BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA
KUL V-5491


EX LIBRIS
WOJEWÓDZKIEJ
I MIEJSKIEJ
BIBLIOTEKI
PUBLICZNEJ
IM. EMANUELA SMOŁKI
W OPOLU

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN.

Sp. D I b. 11.

VIERTER BAND.

GYMNASIAL BIBLIOTHEK
ZU
RATSCHKAU

BRESLAU.
VERLAG VON WILHELM KOEBNER.
1889.

Wojew. i Miej. Bibl. Publ. CZYTELNIA w Opolu
2341 Ś
~~7088~~
801
ZBIORY ŚLĄSKIE
2338/IV
BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA K.U.L.
L. B. 1715.
Akc VI Nr 304/15/68/C

INHALT.

Goldstaub, M., De ἀδείας notione et usu in iure publico Attico.

Stephani, E., De Martiale verborum novatore.

Reitzenstein, R., Supplementa ad Procli commentarios in Platonis de republica libros nuper vulgatos.

Philonis Alexandrini libellus de opificio mundi, edidit Leopoldus Cohn.

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN.

VIERTER BAND.
ERSTES HEFT.

DE ΑΔΕΙΑΣ NOTIONE ET USU IN IURE PUBLICO ATTICO

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS GOLDSTAUB
DR. PHIL.

BRESLAU.
VERLAG VON WILHELM KOEBNER
1889.

DE ΑΔΕΙΑΣ NOTIONE ET USU IN IURE PUBLICO ATTICO

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS GOLDSTAUB
DR. PHIL.

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNER
1889.

GUILELMO STUDEMUND

MAGISTRO MAXIME COLENDO

SACRUM

Liber prior.

Medio fere saeculo a. Chr. n. quinto, cum Athenis discidia intestina sedata essent, populares summam rerum potestatem, quam olim reges et optimates obtinuerant, nacti sunt eamque et in contionibus et in iudiciis exercebant. Quod imprimis Periclis consilio et opera factum est, qui inter viros rem publicam Atheniensium gubernantes gravissimus auctor exstitit ad stabiliendum et perficiendum imperium populare. Postea plebis turbatores potestatem et arbitrium populi legum vinculis liberare studuerunt. Atque Periclis quidem aetate leges manserunt iuris et iniuriae normae, posterioribus autem temporibus, cum populi mores iam corrupti essent, qualis democratia fuerit, optime demonstrant Xenophontis verba [H. G. I 7, 12]: (τὸ δὲ πλῆθος ἐβόα) δεινὸν εἶναι, εἰ μή τις ἐάσει τὸν δῆμον πράττειν ὃ ἂν βούληται. Et tum sane id ius sibi arrogatum populus concitatione et ira inflammatus in contionibus turbulentis exercuit, mox autem populi voluntas norma, qua res publica dirigeretur, est facta, id quod eiusdem quarti saeculi orator dilucide his verbis dixit: ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων κυριώτατος ὢν τῶν ἐν τῇ πόλει ἁπάντων, καὶ ἐξὸν αὐτῷ ποιεῖν ὅ τι ἂν βούληται...[1]). Effrenata igitur democratia id appetit, ut omnia populiscitis decernantur et ex populi arbitrio fiant, cum in moderata democratia plebis libido legibus coërceatur[2]). In utraque autem summum imperium a populo administratur, qui aut ipse aut per magistratus a se creatos de bello et pace, de foederibus, de legibus ferendis, de civibus expellendis, de bonis publicandis decernit, ius vitae necisque exercet, magistratus creat eosque ad rationem reddendam

[1]) [Dem.] LIX 88. cf. ibid. 4.

[2]) cf. Aristot. Pol. IV 4 p. 1292 a (ed. Bekker): ἕτερον εἶδος δημοκρατίας τἆλλα μὲν εἶναι ταὐτά, κύριον δ'εἶναι τὸ πλῆθος καὶ μὴ τὸν νόμον; v. Schoemann: »Griech. Altert.« I 388 sq.; Oncken: »Staatslehre des Aristot.« (Lips. 1875) II 229; Gilbert: »Handbuch der griech. Staatsaltert.« I 295.

vocat.[1]) Quod summum populi imperium in iure publico Attico „τὸ κύριον τῆς πολιτείας“ vocatur,[2]) quae verba quid significent, facile ex scriptorum usu intellegitur. Sicut enim in iure civili ὁ κύριος eum significat, qui suae potestatis est et libero arbitrio rem familiarem administrat, ita in iure publico populum, qui omnia ipse regit:[3]) ut Athenis penes populum summa potestas est, quam in tempus deferre potest, velut ad senatum, quo facto hic quoque „κύριος“[4]) vel „αὐτοκράτωρ“[5]) appellatur. Atque populus, qui summum imperium partim in contionibus partim in iudiciis heliasticis[6]) exercet, idem libero arbitrio rei publicae opibus utitur, quae voce „τὸ κοινόν“[7]) vel „τὰ κοινά“ (sc. χρήματα)[8]) significantur.

Quorum sane verborum (τοῦ κυρίου et τοῦ κοινοῦ) discrimen non satis constanter servant scriptores veteres, quare vocem τοῦ κυρίου quidem nunquam usurpant ad significandum τὸ κοινόν, non raro tamen τὰ κοινά etiam τὸ κύριον comprehendunt, quia τοῦ κυρίου una omnes cives participes sunt,[9]) h. e. τὸ κύριον totus populus exercet, τὸ κοινόν vel τὰ κοινά eis summae potestatis partibus efficitur, quae singulis civibus competunt.[10])

[1]) Cf. Busolt: »Die griech. Altert.« in I. Muelleri »Handbuch der class. Altert.-Wissensch.« tom. IV (1887) § 38.

[2]) cf. Aristot. Rhet. I 8 p. 1365 b: ... τὰ δὲ κύρια διήρηται κατὰ τὰς πολιτείας· ὅσαι γὰρ αἱ πολιτεῖαι, τοσαῦτα καὶ τὰ κύριά ἐστιν. cf. Pol. III 5 p. 1278 b; IV 1 p. 1289 a; recenti voce τὸ κύριον τῆς πολιτείας est »Staatssouverainitaet«; cf. Busolt l. l. § 45.

[3]) cf. Arist. Pol. III 6 p. 1278 b: κύριον μὲν γὰρ πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως, πολίτευμα δέ ἐστιν ἡ πολιτεία. λέγω δ'οἷον ἐν μὲν ταῖς δημοκρατικαῖς κύριος ὁ δῆμος...; III 8 p. 1279 b: δημοκρατία δέ ἐστιν, ὅταν ᾖ κύριον τὸ πλῆθος; III 1 p. 1275; IV 4 p. 1292 a; Isocr. X 36; Dem. XX 107; XIX 259; III 30; [Dem.] XIII 31: τούτων δ'αἴτιον ἁπάντων ὅτι τότε μὲν ὁ δῆμος δεσπότης ἦν καὶ κύριος ἁπάντων...

[4]) cf. Dem. XIX 154: ... τὴν βουλὴν ποιήσαντος τοῦ δήμου κυρίαν...; [Dem.] XXV 23; CJA. II 17 vs. 34 sq.; II 809 b vs. 35.

[5]) Andoc. de myst. 15; cf. Gilbert: »Staatsaltert.« I 261 adnot. 1; Busolt l. l. § 183 p. 165 adn. 10.

[6]) de his cf. Guilelmum Hofmann »de iurandi ap. Ath. formulis« (Darmstadii 1886) p. 11 sqq.

[7]) Dem. III 26; XX 24; [Dem.] XLII 25; Thuc. I 80, 4; 141, 3; VI 8, 2; Aristot. Pol. II 9 p. 1271 b.

[8]) Dem. XIX 294; XXIV 9. 97. 102. 172; XXIII 209; [Dem.] LVIII 15; Dem. VIII 21. 23; Arist. Pol. II 9 p. 1271 b.

[9]) Busolt l. l. § 188 p. 169.

[10]) Aesch. in Ctes. 17; Dem. XX 108; XXIV 192; IX 44; XV 32; III 34.

Secundum Aristotelis sententiam res publica per se ipsa naturae quadam necessitate orta est et permanet[1]), populus autem, qui de his rebus aliter ac philosophi sentire solet, rem publicam divinitus esse institutam credidit.[2]) Quam ob causam res publica instar deorum omnipotens, τὸ κύριον sacrosanctum vel inviolabile, τὸ κοινόν integrum ratumque sit oportet, quae omnipotentiae, sanctitatis, integritatis notiones in Atheniensium civitate democratica plurimum valent. Cumque ex iuris publici Attici ratione salus reipublicae ex sanctitate et integritate et τοῦ κυρίου et τοῦ κοινοῦ pendeat, populi est utramque rem omni modo munire et conservare. Itaque si quis summum populi imperium illegitima rogatione violaturus esset, ut cives testarum suffragiis decem annorum exilio multati ante legitimum tempus revocarentur, παρανόμων eum accusare, aut si quis remissione fiscalium debitorum rogata aerarii publici deminutionem illegitimam facturus esset, eius nomen per ἔνδειξιν ad heliasticum iudicium deferre licuit.

Nihilo tamen secius interdum populus ipse, ut aut sanctitas τοῦ κυρίου aut integritas τοῦ κοινοῦ violaretur, concedebat.

Quod quando factum sit, quam ob causam fieri potuerit, denique quomodo rite sit factum, hac commentatione demonstrare conabor. Agitur autem de instituto publico: de ἀδείας notione et usu.

Quae vox apud scriptores Atticos, imprimis apud oratores, creberrimo in usu est; sed quae vis insit in verbo, quamquam plures iam homines docti indagare studuerunt, nemo tamen adhuc satis subtiliter et commode expedivit. Posteaquam enim Augustus Boeckh primus [„Staatshaush. d. Ath.[2a]“][3]) hunc obscurum antiquitatum Graecarum locum illustrare conatus est, Georgius Schoemann, ut verbi vim explicaret, operam dedit;[4]) tum copiosius et felicius res tractata est a Victore Thumser [„de civium Athenien-

[1]) Oncken: »Staatslehre des Aristoteles« II 8. 14.

[2]) cf. Oncken l. l. II 22; Busolt l. l. § 1 p. 4.

[3]) pluribus locis: cf. I 516. 580. 582 sq. II 40 sq. 64, quos occasione data attingemus. [Recentissimam editionem a Fraenkelio curatam inspicere mihi non licuit].

[4]) »de comitiis Atheniensium« p. 334; cf. eundem: »Griech. Altert.« I 399; cf. etiam Rangabé: »Antiquités helléniques« I 210; Westermann in Paulyi »Real-Encycl.« I 1 p. 168.

sium muneribus eorumque immunitate“[1]), nuperrime denique sagaciter retractata a Valetonio [Mnemosyne n. s. XV (1887) p. 2 sqq.].

Iam vero ut a re gravissima ordiar, quam homines docti nondum enuclearunt: verbum ἀδείας modo propria, i. e. ad ius publicum pertinente, modo translata quadam et amplificata notione apud scriptores in usu fuisse tenendum nobis est.

Atque primum de tralatis quibusdam vocabuli ἀδείας notionibus, quae omnes ad unam referri possunt, pauca dicam. Significat enim ἄδεια metus vacuitatem sive securitatem, ita ut quis aut tuto rem exequi possit, i. e. libertatem[2]) vel potestatem vel veniam aliquid faciendi habeat, aut impunitatem delicti iam commissi[3]) vel oblivionem praeteritorum: id quod grammatici quoque docent. Ita Suidas ἀδείας loco ponit ἀφοβίαν, accuratius Hesychius et ἀφοβίαν et ἐξουσίαν ἄφοβον. His usus speciebus pro fundamento est significatio vacuitatis a metu vel securitatis, deinde impunitatis, sive cui impune aliquid faciendi venia est, sive post factum venia datur; quare ἄδεια hac notione amplificata idem significat, quod nomina ἀσφαλείας et ἐξουσίας. Cuius usus exempla nonnulla iam afferamus. Itaque securitatis notionem in verbo ἀδείας inesse voluerunt cum alii tum Lysias XVI 13: ...ἡγούμενος αἰσχρὸν εἶναι τοῦ πλήθους μέλλοντος κινδυνεύειν ἄδειαν ἐμαυτῷ παρασκευάσαντι στρατεύεσθαι.[4]) Saepissime autem hoc vocabulo scriptores utuntur, ubi indicare volunt homini alicui libertatem vel potestatem vel veniam vel impunitatem esse cuiuslibet rei faciendae,

[1]) (Vindob. 1880) p. 19 sqq. — Etiam in epitomis antiquitatum Graecarum de ἀδείᾳ agitur, velut apud Hermannum in »Gr. Altert.« I 124, 2. 133, 3; imprimis apud Gilbertum: »Staatsalt. d. Gr.« I 271. 293. 319. 338. 345; etiam apud Busoltium pluribus locis de ratione ἀδείας dandae, nullo fere de notione huius actionis sermo fit.

[2]) raro ἄδεια notionem ἀργίας (i. e. vacationis) habet (cf. Hesych. s. v. ἄδεια), quae significatio ei adiungenda est, quam verbis »libertas aliquid faciendi« explicavi. cf. Henr. Steph. in thesauro Graecae linguae s. v. ἄδεια.

[3]) Thumser l. l. p. 20 sic explicat: »venia et incolumitate aliquem, si delictum iam commiserit, donare.«

[4]) cf. Herod. IX 42: ...ἐν ἀδείῃ δὲ οὐ ποιευμένων τὸ λέγειν, Latine: »haud pro tuto habentium proferre«; Thuc. VIII 91:... εἰ τοῖς γε σώμασι σφῶν ἄδεια ἔσται. — Lysiae loco, quem supra protuli, ut verbum κινδυνεύειν oppositum voci ἀδείας docet, ἄδεια idem quod ἀσφάλεια significat; cf. Lys. II 15; Dem. XXI 210; XXII 25; XXIII 128. 133; XXIV 31; [Dem.] LVIII 65.

velut apud Lysiam XXX 34: ἐλπίζουσιν ὑμᾶς ἐξαπατήσαντες ἄδειαν εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον λήψεσθαι τοῦ ποιεῖν ὅ τι ἂν βούλωνται, Isocr. XIV 24: ἐπειδὴ δὲ νομίζουσιν αὐτοῖς ἄδειαν γεγενῆσθαι ποιεῖν ὅ τι ἂν βουληθῶσιν, Dem. LIV 21: οὐδὲ ἄδειαν ὑπάρχειν παρ' ὑμῖν, δι' ἣν ὑβρίζειν ἐξέσται.[1]) Veniae denique rerum praeteritarum sive amnestiae notionem habet vox ἀδείας e. c. apud Lysiam XXV 28; Antiph. V 77.[2])

His, quas supra dixi, notionibus tralatis amplificatur primaria et principalis, quae ad ius publicum pertinet,[3]) significatio,[4]) de qua copiosius nunc agendum est.

Et Westermann quidem [in Paulyi „Real-Encycl.“ I 1 p. 168] ἄδειαν his verbis explicat: „Ἄδεια ist die Befugniss, welche der Staat einem Individuum ausserordentlicherweise zum Behuf der Vollziehung einer bestimmten Handlung erteilt, zu welcher er an und für sich nicht berechtigt ist;“ rectius autem Boeckh [l. l. II 40] his: „Ἄδεια ist Sicherheit in irgend einer Lage oder Handlung gegen Belangung oder Angriff.“[5]) Sed ne id quidem prorsus sufficere mihi videtur. Nostris demum temporibus homines docti, ut vim ἀδείας subtilius exponerent, operam dederunt, veluti Thumser haec dixit [l. l. p. 19 sq.]: „Angustior ...vocis

[1]) cf. Lys. XXIX 13. I 48; Hyperid. frg. 44 (ed. Blass); Dem. XXIII 159; LI 15. 16; [Dem.] LIX 111; Dem. XXIV 205; XIII 17; XIX 289; XXII 42; [Dem.] LVIII 6; Dem. XXIV 102. 103. 106. 217; XVIII 286: ...ὧν ἐφρόνουν λαβόντας ἄδειαν, Latine: »sententiae suae impunitatem nactos,« Germanice: »Gedankenfreiheit«, quem locum Reiske in indicibus ad orat. Att. ita explicat: ἐξουσίαν τοῦ ταῦτα ἀδεῶς φανερῶσαι.

[2]) Herodianus (cf. V 4, 10) nonnunquam ἄδειαν et ἀμνηστίαν copulat; v. H. Steph. s. v. ἄδεια. — Thumser cum l. l. p. 21 dicit: »Deinde huc etiam eos locos referendos esse existimo, quibus noxae sociorum nomina aliquos detulisse memoriae proditur,« tralatam notionem ab ea, quae ad ius publicum pertinet, non discernit.

[3]) In lingua sacra dicitur: ὁ θεὸς λήθην δίδωσιν (cf. [Lys.] VI 27), sicut in iure publico: ὁ δῆμος ἄδειαν δίδωσιν vel ψηφίζεται.

[4]) Huic ea quoque subest notio, quam Thumser l. l. p. 21 not. 2 vocabulo sanctitatis (ἀσφαλείας) explicat. Significat enim ἄδεια [cf. Dem. V 6. 8; (huc autem Dem. XXIV 31, quem locum Thumser cum illis coniungit, non pertinet)] idem quod apud Romanos »fides publica« i. e. securitas peregrinis data, ne comprehendi possint, vel venia commeandi.

[5]) Similiter Caillemer in »Dict. des antiqu.« (ed. Daremberg et Saglio) I 66, qui non inepte ἄδειαν ita explicat: »dispense ou exemption de la responsabilité que pouvait entraîner un certain acte: elle (ἄδεια) était accordée à Athènes par l'assemblée du peuple.«

ἀδείας notio optime explicari videtur, si verba ἄδειαν διδόναι vel ψηφίζεσθαι modo 'decernere, ne cui res sit fraudi, quae ceteroquin supplicio digna habeatur, ut legis alicuius vis alicuius hominis causa ad tempus tollatur',[1]) modo 'venia et incolumitate aliquem, si delictum iam commiserit, donare' significare statuimus;" imprimis autem Valeton, qui ἄδειαν his verbis sollerter explicat [Mnemos. n. s. XV p. 2]: „Impunitas rogandi est copia data rogationis eiusmodi impune ferendae, qua sine illa civibus lex interdixerit."

At vero non solum, quid iuris vel quale privilegium ἀδείᾳ tributum sit, sed etiam, quid sit ἀδείας natura, accuratius definiri posse opinor. Ἀδείᾳ enim, ut uno verbo dicam, gratia a populo concessa est, quae in Atheniensium iure in privilegiorum vel ψηφισμάτων ἐπ' ἀνδρί numero est. Nam cum adhibitis legibus non raro civibus iniuriam fieri nimisque acerbe atque dure eos tractari intellexissent homines, id in plerisque civitatibus agebant, ut esset aliquis in civitate, qui legibus non obnoxius esset[2]) atque legum asperitatis et iniquae severitatis mitigandae ac levandae potestatem haberet. Quod ius gratiae dandae nostris temporibus in regnis longe plurimis exercet rex, in libera re publica summus magistratus. Leges sane, quae valent, non abrogantur, si gratia datur, sed novum fit in beneficium hominis alicuius populiscitum. Quod ubi fit, Romae a populo privilegium irrogatur, in Atheniensium autem re publica, cum nemini illius iuris administrandi vel gratiae dandae potestas tributa sit, in iure publico Attico vera privilegia sunt nulla.[3]) Attamen simile quoddam Athenis fuit institutum. Neque enim populus Atheniensium, ut gratiam alicui faciat, poenam, sicut nostra aetate in civitatibus fit, remittit aut ex parte levat, non impunitatem dat, sed ἄδειαν tribuit i. e. vacuitatem a metu accusationis. Populus igitur in maximo comitiatu occultis suffragiis decernit, ne is, qui illegitimi aliquid commissurus sit, timeat, ne accusetur, neve aut ipse aut ii magistratus, quorum sit accusationes instruere, illum in ius vocent. Quae cum ita sint, ἄδεια homines inviolabiles reddit non secus atque στεφανηφορία, quacum illam Demosthenes XXI 33 coniungit.[1]) Haec ἀδείας vocabuli propria in iure publico Attico significatio est.[2])

[1]) cf. Boeckh: »St. d. Ath.« II 64.

[2]) cf. Mnemos. n. s. XV p. 9.

[3]) Cuius rei etiam alia causa subest: leges privas rogare in iure Attico non licuisse, sed populiscita tantum priva Valeton contendit l. l. p. 7. 15 sqq.

A principio autem ἄδεια non inter instituta iuris publici fuit, sed, sicut pleraeque iuris publici antiqui sollemnitates ex rebus divinis ortae sunt, ita ἄδεια ex ea caerimonia sacra, quam ἱκετηρίαν Graeci vocant. Civitas igitur verecundia erga deos commota deorum loco gratiam facit. Sed quando ἄδεια ex re sacra iuris publici institutum factum sit, non satis liquet; illud tamen constat, perfectae demum democratiae temporibus, fortasse, ut coniectura utar, iam ipsius Clisthenis aetate, certe Periclis — sive is publice ἄδειαν instituit sive iam pridem institutam amplificavit — illud paulatim evenisse. Et primum, quod sciamus, quinto a. Chr. n. saeculo ἄδεια a populo decreta est,[3]) quibus temporibus raro id factum esse verisimile est, vel accuratius, ut Valetoni[4]) verbis utar: „rogandi licentia (illis quidem temporibus) peti potest, si lex, quae rogationem vetat, simul addit exceptionem petitae impunitatis."[5]) Saepius autem populum democratia iam immoderata facta ea potestate usum esse opinor, id quod cum ἀδείας natura maxime congruit. Est enim huius instituti publici natura eiusmodi, ut populus ius gratiae exercens decreta contionis legibus superiora esse ducat, quamquam haec lex valebat: ψήφισμα... μηδὲν (μήτε) βουλῆς μήτε δήμου νόμου κυριώτερον εἶναι[6]); idque optimo iure, nam, ut ait Busolt [l. l. § 3 p. 5][7]): „in jedem Rechtsstaat ist der νόμος der eigentliche Gebieter." Quod tamen secus accidit in Atheniensium republica, si quando populus e. g. de debitorum fiscalium remissione agendi, quamquam leges id fieri vetabant, tamen venia concessa facultatem

[1]) cf. Boeckh l. l. II 40. Demosthenes l. l. haec duo verba etiam cum vocabulo τιμῆς coniungit; cf. Caillemer l. l. I 67.

[2]) Recte igitur naturam ἀδείας Lipsius explicat (cf. Meier et Schoemann: »Att. Process²« p. 991) his verbis: »Rücksichtlich der in öffentlichen Prozessen verhängten Strafen stand auch in Athen dem Volkssouverain das Recht der Begnadigung zu.«

[3]) v. infra s. II c.

[4]) v. Mnemos. XV p. 2.

[5]) De sollemni harum legum formula cf. Mnemos. l. l. p. 3.

[6]) Andoc. de myst. § 87; Dem. XXIII 87; v. Perrot: »Essai sur le droit public d' Athènes« Paris 1869 p. 147 et 178; Busolt l. l. § 143 p. 129 adn. 4.

[7]) cf. ibid. § 45 p. 42 adn. 6; § 193 p. 174. — cf. Valeton in Mnemosyne n. s. XV p. 389; cf. ibid. p. 10.

dabat. Itaque olim, dum populiscita legibus coërcentur, multo rarius quam posterioribus temporibus, quibus omnia fere penes populum erant et ex libero eius arbitrio fiebant, ius gratiae dandae populum Atheniensium exercuisse verisimile est.

Sed iam videamus, quibus in rebus vel quibus hominibus petentibus illa gratia, quam secundum ius publicum Romanorum vocabulo privilegii significare liceat quamque nos recenti nomine „Indemnitaet“[1]) vocamus, data sit.

Ut paucis rem complectar: Ἄδεια id privilegium est, quo populus, penes quem summa potestas est, in maximo comitiatu occultis suffragiis aut rogatori rogationis alicuius ferendae, qua aut τὸ κύριον aut τὸ κοινόν (vel potius aerarium et publicum et sacrum) violetur, aut ipsi harum rerum violatori veniam sive impunitatem concedit. Itaque id privilegium semper eiusmodi est, ut quis gratiam aut sibi aut alteri rogans rei publicae aut summam potestatem violaturus aut opes illegitime deminuturus sit. Nunquam vero ἄδειαν dari necesse fuit ad ea privilegia irroganda, quae praemia erant et honoris causa dabantur. Sua igitur natura haec privilegia leges violant, quippe quae et τὸ κύριον inviolabile et τὸ κοινόν integrum servanda curent. Venia autem et impunitate a populo data rogator poenas ex legibus illis constitutas non luit, itaque, nisi certa poena proposita est, illa, quam Graeci γραφὴν παρανόμων vocant, actio iudicialis prohibetur, cui omnes illegitimae rogationes subiectae sunt, aut ille poenas non subit, quibus, si ἄδεια data non esset, afficeretur. Eis, quibus ἄδεια data non est, saepe actio acerrima ἔνδειξις instat, in qua supplicium propositum esse solebat, semper autem rogatores παρανόμων accusare licet, cui actioni rogationes ipsae, etiamsi rogator impunitatem nactus rogationesque perlatae essent, semper obnoxiae manserunt, sicut, ut analogia utar, rogator quidem unius cuiusque psephismatis tantum per annuum tempus γραφῇ παρανόμων subiectus fuit, sed rogatio ipsa perpetuo subiecta mansit.[2])

[1]) cf. Boeckh: »St. d. Ath.« II 41; Lipsius: »Att. Proc.[2]« p. 991.

[2]) Itaque id, quod Valeton (Mnemos. n. s. XV (1887) p. 5 et adn. 1) putavit γραφὴν παρανόμων non suffecisse, reiciendum puto. Causae enim viri docti magna ex parte eiusmodi quidem sunt, ut afferri possint, cur haec actio non perfecta institutio habenda sit, sed γραφὴν παρανόμων non suffecisse

Quare denique populus summum illud privilegium impertiverit, postea demonstrare conabor; in universum tamen iam hoc loco dici potest semper rei publicae commodum esse causam, cur τὸ κύριον aut τὸ κοινόν ut violetur, populus concedat.

Sed priusquam ad singulas res pertractandas nos vertamus anquiramusque, ad quas rogationes ferendas ἄδειαν dari oportuerit, disceptandum est, quibus rationibus propositis materia optime disponatur. Et Iulius Pollux [VIII 96] quidem de ἀδείᾳ dicens materiam disponit hunc in modum: ἡ δὲ δευτέρα ἐκκλησία ἀνεῖται τοῖς βουλομένοις, ἱκετηρίαν θεμένοις, λέγειν ἀδεῶς περί τε τῶν ἰδίων καὶ τῶν δημοσίων; aliter Schoemann [„de com. Ath.“ p. 334], qui haec dicit: „Duplex statui potest illorum supplicum genus: alterum eorum, qui **beneficium** aliquod aut **auxilium** a populo petunt; alterum eorum, qui maleficium aliquod delaturi, cuius ipsi affines sunt, **impunitatem** a populo poscunt.“ Sed nobis explicatione notionis ἀδείας privilegii supra allata per se ipsa dispositio materiae in duas partes generales offertur:

Ἄδεια ei opus est, qui rogatione aliqua
I aut summam populi potestatem violaturus
II aut aerarium (a) sive rei publicae (b) sive deorum [aut (c) quinto quidem saeculo res familiares civium] illegitime deminuturus est.

Ante omnia autem secernamus necesse est[1]) eam ***veniam vel impunitatem*** (*A*), ***quae legis aut psephismatis cuiusdam rogatori conceditur,*** (*h. e.* ***venia vel impunitas rogandi),*** et eam ***impunitatem*** (*B*), ***quae ipsa rogationis finis est, id est quae sua ipsius causa petitur,*** (*h. e.* ***impunitas indicandi delicti et venia commeandi).***

nullo modo demonstrare mihi videntur. Itaque in Hyperidis causa, cuius [Dem.] XXVI 11 mentionem facit, haec sola actio adhibita esse videtur, et id, quamquam rogationem ille tulerat: εἶναι τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους, ad quam ferendam venia ei non concessa erat. Confer etiam accusationem Timocratis (Dem. or XXIV). De γραφῇ παρανόμων contra dationem civitatis instituta v. infra in libri alterius cap. II et III. — Ceterum huic quoque actioni (γρ. παρ.) gravissimae poenae propositae erant.

[1]) cf. Mnemosyne n. s. XV p. 2.

A. Venia vel impunitas rogandi a populo concessa.

I. Populus ei veniam dat, qui rogatione summam potestatem (τὸ κύριον) violaturus est; vel, ut accuratius sententiam meam explicem: **impunitate rogandi** opus fuit, si quis impediturus esset, ne ii, quos populus sive ostracismo in decem annos sive ἀειφυγίᾳ in perpetuum relegasset, exules, aut ii, quos capitis deminutione multasset, capite deminuti manerent. Sed singula iam videamus.

1. Eius ἀδείας speciei, quam primo loco tractare in animo habeo, memoria valde lacunosa et manca est. Agitur autem de ostracismo, quam actionem, antequam nos ad quaestionem ipsam vertamus, summatim attingere liceat.[1])

Lex fuit, ut, si quem populus Atheniensium occultis suffragiis in maximo comitiatu per ostracismum damnasset, is intra decem dies ex Attica exulatum abiret in decem annos.[2]) Sed neque capitis deminutio (ἀτιμία) neque bonorum publicatio[3]) homini testarum suffragiis e civitate eiecto accidit; manifesto enim ostracismus non actionis iudicialis instar habebatur.[4]) Intra illud

[1]) De modo huius actionis instruendae relego ad eos homines doctos, qui totam materiam congesserunt: Lugebil: »Üb. d. Wes. u. d. hist. Bdtg. d. Ostracism. in Ath.« in Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. IV (1861); Fraenkel: »Att. Geschworenenger.« (Berol. 1877) p. 14 sqq.; Gilbert: »Staatsalt.« I 294 sqq.; Busolt l. l. § 192 p. 173 sq.; nuper accuratissime res tractata est in Mnemosyne n. s. XV 129 sqq.

[2]) Secundum Schol. ad Aristoph. Equ. v. 855 (cf. Lex. rhet. Cant. s. v. ὀστρ. τρόπος) homines docti putaverunt illos in quinque tantum annos posteriore aetate e patria expulsos esse, quod in suspicionem vocavit Valeton l. l. p. 339 adn. 1; cf. etiam Gilbert I 295, 1.

[3]) cf. Meieri: »Historiae iuris Attici de bonis damnatorum et fiscalium debitorum libri II« (Berol. 1819) p. 98.

[4]) cf. Platner: »Proz. u. Klagen bei d. Att.« (Darmst. 1824) I 389. — Busolt dicit eam actionem »einen Akt politischer Zweckmässigkeit«; cf. l. l. § 192 p. 173 adn. 7 et p. 174; Valeton: Mnemosyne XV 342.

decennium quis rem familiarem exulis administraverit, non traditur: propinquos aut amicos id fecisse verisimile est. Cum igitur hoc proprium illius esset exilii, ut neque bona publicarentur et tempus exilii determinaretur,[1]) non verbo φυγῆς, sed μεταστάσεως[2]) utebantur in iure publico Athenienses. Quamquam autem totus populus — sex enim milia Atheniensium, qui numerus minimus erat eorum, quos in suffragia ire oportebat, ex fictione iuris publici Attici totius populi loco fungebantur[3]) — exilium decreverat, fieri tamen potuit, ut poena remitteretur et tempus remotionis minueretur. Nec pauci exules ante decimum annum populiscito revocati sunt.[4]) Revocandi autem modus extraordinarius videtur fuisse: hanc enim rogationem ad populum ferre nemini licuisse nisi impunitatis indulgentia impetrata opinor Schoemanno[5]) adstipulatus. Ac duobus Plutarchi locis[6]) significatur id revocationis privilegium nisi sollemni psephismate irrogari non potuisse, quamquam non dilucide dicitur eis rogatoribus ἀδείᾳ opus fuisse. Qua obiecta difficultate prohibebant Athenienses, ne rogatio de revocandis exulibus saepius ferretur.

[1]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 246; Suid. s. v. ὀστρακισμός.

[2]) cf. Aristot. Pol. III 13 p. 1284a; [Dem.] XXVI 6; Lex. Rhet. Cantabr. s. v. ὀστρ. τρόπος [Philoch. fr. 79b ed. Muell.]; cf. Schoemann: »Antiquit. iur. publ. Graec.« p. 98, qui μετάστασιν vocabulo remotionis vertit.

[3]) de his cf. alt. commentat. libr. cap. l.

[4]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 246.

[5]) cf. eundem: »Griech. Altert.« I 399; Mueller-Struebing: »Arist. u. d. hist. Krit.« (Lips. 1873) p. 313 sq.

[6]) Plut. Pericl. X; Cim. XVII; cf. Plut. Aristid. VIII: Τρίτῳ δ' ἔτει Ξέρξου διὰ Θετταλίας καὶ Βοιωτίας ἐλαύνοντος ἐπὶ τὴν Ἀττικήν, λύσαντες τὸν νόμον ἐψηφίσαντο τοῖς μεθεστῶσι (cf. [Dem.] XXVI 6; Lugebil l. l. p. 132) κάθοδον. Cuius generis exules Plutarchus significet, manifestum est. Agitur praecipue de revocando Aristide, qui testarum suffragiis e patria erat eiectus (cf. ibid. VII). Etiam verba: λύσαντες τὸν νόμον (sc. ἐπ' ἀνδρί) ad ostracismum pertinere mihi videntur. Quid autem hoc loco numerus pluralis (τοῖς μεθεστῶσι) significat, cum alios quoque viros ostracismo expulsos eo tempore esse auctores non tradant? Plutarchum sane diversas res confudisse vel potius rem non accurate exposuisse opinor. Tum enim omnes, etiam ii, qui non per ostracismum, sed alio modo exules facti erant et propter exilium (cf. And. de myst. 78) expertes amnestiae, revocatos esse verisimile est, itaque id quod Andocides (de myst. 107) de pugna apud Marathona commissa tradit, ad pugnam Salaminiam referendum esse cum Carolo Scheibe [»Oligarch. Umwälz. zu Ath.« (Lips. 1841) p. 38 adn. 19] arbitror. Horum exilium verbo μεταστάσεως non accurate significavit Plutarchus.

Quae cum ita sint, — causas autem infra afferemus — mirandum est, quod psephisma sex milium civium suffragiis occultis perlatum impunitate rogandi totidem suffragiis decreta simplici populiscito abrogari potuit. Populus scilicet summa potestate usus in populisciti incommodi ac molesti locum subrogabat alterum, quod temporariis voluntatibus populi aptius esset.[1]) Ut autem causa huius ἀδείας dandae intellegi possit, nonnulla de ostracismi notione disseramus necesse est. Atque olim quidem homines docti existimaverunt Clisthenem[2]) testarum suffragia instituisse, ut prohiberet, quominus sicut superioribus temporibus viri, qui vel opibus vel auctoritate vel virtute imprimis laude bellica insignes in civitate essent populique libertati officere viderentur, rem publicam in periculum discrimenque adducerent.[3]) Quocum ostracismi consilio id, quod auctores tradunt, congruit, ostracismum initio in socios Pisistratidarum adhibitum esse, in quorum numero Hipparchus erat, qui primus testarum suffragiis de civitate exterminatus est.[4]) Hanc autem sententiam ita impugnavit Lugebil[5]), ut exponeret ostracismo abusos esse principes factionum ad sua consilia exequenda, qui populum commoverent, ut ipsorum partes sequeretur, itaque rem publicam a seditione civili tuerentur;[6]) quod ad ea quidem, quae inde ab ineunte saeculo quinto facta sunt, quadrare concedendum est. Apud Plutarchum compluribus locis, quibus de ostracismo agitur,[7]) diversae opiniones (et Lugebili et aliorum) quasi in speculo

[1]) Simile aliquid in secunda Andocidis oratione (π. τ. ἑαυτοῦ καθόδου) legimus, qua Andocides a populo impetrare studet, ut ἄδεια pridem sibi decreta restituatur (§ 23 et 27). Eodem pertinet, quod civitatem per sex milia civium decretam γραφῇ παρανόμων abrogare licuit. v. Hofmann: »de iurandi ap. Ath. formulis« p. 11; Caillemer: »la naturalisation à Ath.« Paris 1880 p. 14; v. infra in libro altero. In his rebus accidit, id quod Aristoteles (Pol. IV 4 p. 1292a) dicit: κύριον δ' εἶναι τὸ πλῆθος καὶ μὴ τὸν νόμον.

[2]) cf. Busolt l. l. § 135 p. 121 (contra v. Oncken: »Staatslehre« II 458, cuius sententia non recta est); Valeton: Mnemosyne l. l. p. 129sqq.

[3]) Meier: »de bon. damnat.« p. 98.

[4]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 246sq. et adn. 13. 14; Oncken: »Staatsl.« II 459sq.; Gilbert: »Staatsalt.« I 144sq.; Busolt l. l. § 135 p. 121 adn. 9; Mnemos. l. l. p. 130 adn. 2.

[5]) cf. Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. IV (1861) p. 124—136; Oncken: »Athen und Hellas« (Lips. 1865) I 119.

[6]) cf. Oncken: »Staatsl.« II 461.

[7]) cf. Plut. Themist. XXII; Aristid. I. VII; Poll. VIII 20; v. Schoemann: »de com. Ath.« p. 243 not. 2. Contra cf. Plut. Pericl. XIV.

cernuntur. Mihi Lugebil ostracismi originem non recte videtur intellexisse; rectius iudicavit Platner [„Proc. u. Klagen“ I 387sq.], qui diversas Plutarchi opiniones duplici genere ostracismi explicare studet. Optime autem Gilbert [„Staatsalt.“ I 145] his verbis rem exposuit: „Erst in der späteren Zeit ist der Missbrauch aufgekommen, den Ostracismus zu Parteizwecken zu benutzen. Von dieser missbräuchlichen Anwendung desselben, welche aber bereits im Anfange des 5. Jahrh. eingetreten ist, gilt dasjenige, was man verkehrter Weise als das ursprüngliche Wesen des Ostracismus aufgefasst hat.“[1]) Recte igitur Aristoteles [Pol. III 13 p. 1284a] ostracismum explicat,[2]) qui, cum paulo infra addat: οὐ γὰρ ἔβλεπον (sc. αἱ πόλεις) πρὸς τὸ τῆς πολιτείας τῆς οἰκείας συμφέρον, ἀλλὰ στασιαστικῶς ἐχρῶντο τοῖς ὀστρακισμοῖς, ipse testatur commutatam ostracismi vim et dilucide distinguit,[3]) quam ob rem ostracismus institutus et ad quas res postea usurpatus sit.[4]) Verum autem Clisthenis, qui ostracismum instituit, Valeton [Mnemos. n. s. XV] intellexit consilium. Instituit enim Clisthenes ostracismum propter tyrannidis suspicionem, in qua tunc erant demagogi nobiles. Quare omnes quidem demagogos nobiles relegationem meruisse statuit, sed quis eorum relegandus esset, populi arbitrio permisit. Quae cum ita sint, eiectus est demagogorum aliquis, non quod

[1]) cf. Busolt l. l. § 135 p. 121sq.; cf. etiam Valeton l. l. p. 340 adn. 1.

[2]) his verbis: ὁ (γὰρ) ὀστρακισμὸς τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν τρόπον τινὰ τῷ κολούειν τοὺς ὑπερέχοντας καὶ φυγαδεύειν. cf. V 3 p. 1302b.

[3]) cf. Thucyd. VIII 73, 3: ...ὠστρακισμένον [sc. Ὑπέρβολον] οὐ διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος φόβον...; cf. Plut. Alcib. XIII; Cic. Tuscul. V 36; v. de hac re Valeton Mnemos. n. s. XV p. 350sq. p. 354sq.

[4]) Ex democratiae quoque natura et ratio et notio ostracismi intellegi possunt. In democratia enim pauperes (cf. Arist. Pol. III 8 p. 1279b) — ut ait Aristoteles: οἱ ἄποροι — summam exercent potestatem, et omnes pares sunt (cf. Arist. Pol. III 13 p. 1284a; v. Busolt l. l. § 45 p. 42 et adn. 2), in aristocratia autem οἱ πλούσιοι; quare Aristoteles [Pol. III 8 p. 1279b] recte dicit: .....ᾧ δὲ διαφέρουσιν ἥ τε δημοκρατία καὶ ἡ ὀλιγαρχία ἀλλήλων, πενία καὶ πλοῦτός ἐστιν... [cf. Büchsenschütz: »Besitz u. Erwerb im gr. Altert.« (Hal. 1869) p. 35 adn. 3]. Cum autem homines ingentibus pecuniis aut summa auctoritate inter cives excellentes in democratiae angustis quasi finibus versari non possint, immo rei publicae periculosi sint, ostracismus institutus est, ut ei homines e civitate expelli possent. (De iure, quod populus in hac re exercuit, cf. Schoemann: »Griech. Altert.« I 182sq.). Cf. etiam id, quod exposuit Valeton. Mnemos. XV p. 134sqq.

aliis periculosior esset, sed quod plebi magis displiceret. Et sane iram populi maxime ad potentissimum quemque pertinere Clisthenes non ignoravit, sed id ei nullius momenti fuit. Ut igitur paucis verbis rem comprehendamus: ostracismus nihil aliud est quam ἐπιχειροτονία demagogorum. Fictio utique ea erat, ut populus Atheniensium per ostracismum eos in exilium expelleret, a quibus libertati civitatis periculum imminere videretur. Et simulac populus ostracismum decrevit, eodem tempore is, quem populus designaverat, τῇ πολιτείᾳ putabatur periculosus idque exilio decem annorum quasi expiabat. Atqui eos homines populus ipse ante legitimum tempus non raro revocavit certo quodam consilio commotus. Considerantibus enim nobis eas revocationes in maximis tantum periculis discriminibusque rei publicae — cui Aristidis, Alcibiadis, aliorum non in mentem venit? — factas esse, facile intellegitur publici emolumenti causa eos revocatos esse. Namque cum status et salus rei publicae in summas angustias adducta esse viderentur, praeclarissimos viros, quamvis periculosos rei publicae, revocare populus maluit;[1]) confisus igitur illos nihil aliud quam patriae libertatem vindicaturos populus Atheniensium ex duobus malis minus elegit. Sed quod populi voluntas, quam in maximo declaraverat comitiatu, neglegitur, itaque τὸ κύριον violatur et res publica audacter in periculum vocatur, rogatori ἄδεια impetranda est. Quod, etiamsi certis veterum scriptorum testimoniis non affirmatur, tamen pro certo statuendum est. Quamquam Valeton hanc sententiam reicit. Dicit enim rogationem non legitimam eam quidem fuisse, sed ratum factum esse populiscitum, „quia nemo fuisset, qui παρανομίαν persequeretur.“[2]) Tamen iam ex eo, quod non raro revocationes factas memoriae proditum est[3]), patere videtur eiusmodi rogationes (venia scilicet concessa) ad populum ferre licuisse. Atque, ut ego opinor, nunquam potuit fieri, quin civitas Atheniensium omni tempore accusatorum copia abundans a rogatoribus rationes rogationum non legitime latarum reposceret. At, inquies, tale quid nunquam factum esse non certo possumus scire, cum scriptores nescio quo casu de hac re nihil tradiderint. Concedo. Verum rei publicae

[1]) cf. Plut. Aristid. VIII; Cim. XVII.

[2]) cf. Mnemos. l. l. p. 11 adn. 3.

[3]) cf. Mueller-Struebing: »Arist. u. d. hist. Krit.« p. 313.

causa legislator sapiens impedire non poterat, quominus populus praeclarissimum quemque, qui nullum aliud delictum commisisset, quam ut rei publicae libertati periculosus haberetur, in angustiis rerum revocaret; et popularis legislator rationis suae ac propositi memor populo potestatem decreta temporaria faciendi servare debuit, dummodo praecaveret, ne illam nimis immodice exerceret. Quod ἀδείᾳ effectum esse demonstravi, quae, ut ex re sacra publicum institutum fieret, haud scio an ipse Clisthenes, qui ostracismum instituit, lege sanxerit.[1]) Opus autem fuit rogatori ἀδείᾳ, quod summae populi potestatis violandae auctor factus est.

2. Atque eadem fuit causa eius, qui populum commoturus erat, ut exules revocarentur.

Sunt enim in iure publico Attico duae exilii formae secernendae, quas Athenienses verbis ὀστρακισμοῦ et ἀειφυγίας s. φυγῆς significant.[2]) Discrimen autem, quod iam supra (p. 10) breviter attigimus, triplex est. Nam ostracismus nihil aliud quam ratio rei publicae tuendae, ea autem, quam Graeci ἀειφυγίαν vocant, sceleribus quibusdam poena constituta est; deinde ostracismus exilium decem annorum, φυγή s. ἀειφυγία, ut ipsum nomen demonstrat, sempiternum exilium fuit; denique is, qui testarum suffragiis e civitate eiectus est, nullam rei familiaris iacturam facit neque honorum ad tempus tantum in suspenso relictorum, cum interdictione autem aquae et ignis etiam bonorum publicatio coniuncta est. Vidimus, quibus condicionibus exilii tempus civium per ostracismum relegatorum potuerit imminui. Sed licetne omnino de eorum quoque revocatione cogitare, qui aquae et ignis interdictione sempiterna puniti erant? Notum est exules ne amnestiae quidem, quae anno 403 decreta est, participes fuisse: cum enim post triginta tyrannorum imperium dissolutum omnis memoria discordiarum sempiterna oblivione deleta esset, tamen in iusiurandum senatorum hoc receptum est: καὶ οὐ δέξομαι ἔνδειξιν οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φυγόντων („neminem, nisi exules, deferri ducive sinam praeteri-

[1]) v. supra p. 7.

[2]) Tertia forma, quam Meier: »de bon. damn.« p. 99 commemorat, non huius loci est.

torum causa)".[1]) Atque similiter in Patroclidis psephismate,[2]) ex quo capite deminuti et debitores publici restituuntur, ob homicidium commissum capite damnati aut exilio[3]) puniti homines excepti sunt. Denique huius loci nonnulla verba sunt iurisiurandi heliastarum apud Demosthenem Timocrateae inserti;[4]) lex enim de iure iurando quodam lata — quod iusiurandum sit, ambiguum esse possit — haec est: οὐδὲ τοὺς φεύγοντας κατάξω, οὐδὲ ὧν θάνατος κατέγνωσται („exules non reducam neque capitis damnatos, qui supplicium subterfugerunt").[5]) Quibus rebus, quam diligenter Athenienses id egerint, ut exulibus omnem spem reditus eriperent, perspicuum est.[6]) Atque Hyperides, cum clade ad Chaeroneam accepta rogasset,[7]) ut liberi fierent servi, civitate donarentur peregrini, capite deminuti restituerentur, exules reducerentur, παρα-

[1]) cf. Andoc. de myst. § 91; ad h. l. cf. Gilbert l. l. I 373sq. adn. 2. — Scheibe: »Die oligarch. Umwälz. zu Ath.« p. 137sq.; Dict. des antiqu. I 233; cf. etiam CJA. I 9; IV 27a vs. 7sq.; Hofmann: »de iurandi formulis« p. 40. — De his ἐνδείξεως vel ἀπαγωγῆς actionibus cf. H. Meuss: »de ἀπαγωγῆς act. ap. Ath.« Vratislav. 1884 p. 16sq., imprimis p. 33sq. — Contra Solon cum multos alios peregrinos tum exules (φεύγοντας ἀειφυγίᾳ τὴν ἑαυτῶν) civitate donavit, quippe quibus in patriam redeundi nulla spes esset. cf. Plut. Sol. XXIV.

[2]) apud Andoc. de myst. 78 servatum; cf. ibid. § 80.

[3]) Supplicium capitis et sempiternum exilium antiquissimis temporibus iuxta aestimantur; cf. e. c. [Aesch.] epist. XII 5; CJA. II 17 vs. 59sq.

[4]) de hoc iureiurando cf. Fraenkel: Hermes XIII 452sqq.; de nonnullis litis instrumentis, quae extant in Demosthenis Timocratea (or. XXIV), cf. R. Schoell in Sitz.-Ber. d. k. Bayr. Acad. d. Wissensch. (philos.-hist. Classe) 1886 p. 83sqq. et de hoc ipso iureiurando cf. Hofmann: »de iurandi ap. Ath. formulis« p. 3–28; ad quam commentationem v. C. Schaefer: Berliner Philolog. Wochenschrift 1888 num. 13.

[5]) Extrema enuntiatio lacunosa est et ita fere supplenda: »qui supplicium subterfugerunt.« (Ad loci sententiam v. Poll. VIII 117: μετὰ δὲ τὸν πρότερον λόγον ἐξῆν φυγεῖν, εἴ τις γονέας εἶχε ἀπεκτονώς, ubi Meier coniecit: εἰ μή, Hemsterh.: πλὴν εἴ τις). Hic iuris iurandi locus genuinus est, sed dubium esse puto, utrum post triginta tyrannos receptus posteaque abolitus sit, an semper valuerit aut in ipso heliastarum iure iurando aut in alia quadam iuris iurandi formula scriptus. (cf. Fraenkel l. l. s. fin. commentat.). Ceterum cf. Hofmann l. l. p. 13, qui locum ad iudicum iusiurandum pertinere semperque valuisse putat, quae sententia mihi quidem reicienda videtur.

[6]) cf. [Lys.] VI passim, e. c. § 15. 18; cf. etiam Dem. XXIV 153: ...καὶ περὶ τῶν φευγόντων καθόδου καὶ περὶ τῶν ἄλλων τῶν δεινοτάτων.

[7]) cf. Lyc. adv. Leocr. XI § 41; v. de hac re Schenkl: »Wiener Stud.« II 173.

νόμων ab Aristogitone accusatus,[1]) sed Ps.-Plutarcho auctore absolutus est.[2]) Vetiti igitur erant cives reditum exulum rogare. Nihilo tamen minus illos nonnunquam revocatos esse constat.[3]) Ex quo sequi mihi videtur, ut, qui exulum, sive singulorum[4]) sive (in amnestiis) complurium, revocationes rogare vellet, ei ἀδείᾳ opus fuerit.[5]) Et Hyperidem quidem ob civitatem peregrinis dandam et exulum revocationem rogatam παρανόμων accusatum esse supra commemoravimus. Alii autem, qui eandem illegitimam rogationem tulerant, non in ius sunt vocati. Ergo nulla alia ex causa fieri potuit, ut Hyperides accusaretur, quam quod rogator legitima quaedam observare oblitus erat, vel, ut aliis verbis dicam, quod orator — causam autem ignoramus — veniam rogationis ferendae sibi dandam non curaverat.[6]) Sed, ut Plutarchus tradit, absolutus est, quoniam populus manifesto rogationem Hyperidis approbavit et liberaliter impunitatem dedit legum laesarum.

[1]) cf. [Dem.] XXVI 11. — Fortasse huic rei etiam ἔνδειξις proposita erat; v. de hac re Mnemosyne n. s. XV p. 5.

[2]) cf. Meier: »de bon. damn.« p. 50 not. 157: »Habemus fragmentum defensionis Hyperidis ap. Rutil. Lup. p. 63 (a Ruhnkenio praeclare emendatum): 'Quid a me saepius his verbis de meo officio requiritis? »Scripsisti, ut servis libertas detur?« Scripsi, ne liberi servitutem experirentur. »Scripsisti, ut exules restituerentur?« Scripsi, ut ne quis exilio afficeretur. »Leges igitur, quae prohibebant haec, nonne legebas?« Non poteram, propterea quod litteris earum arma Macedonum opposita officiebant.'

[3]) cf. e. c. Lys. XXV 27.

[4]) Cf. Lipsius: »Att. Proc.²« p. 993 not. 640. — Ceterum num singulorum revocationes acciderint, pro certo dici non potest. Nam etiam Alcibiadis revocatio, quae commutatione rei publicae facta a populo decreta est, amnestia quaedam videtur fuisse; cf. Thuc. VIII 97.

[5]) De revocatione sollemni populiscito decreta cf. Thuc. VIII 97, 3. 81, 1; Plut. Alcib. XXXIII; Diod. XIII 69; Lipsius: »Att. Proc.²« p. 992. — Ceterum exules, qui ipsi veniam a populo petituri Athenas redire volebant, per litteras plerumque populum rogabant, ut fides publica (ἄδεια) sibi daretur [de hac re v. infra s. B 2a], propterea quod exuli periculosissimum erat vel sub tutela deorum a populo veniam petere. Haec enim tutela non semper securitatem praebuit; cf. e. c. Lyc. adv. Leocr. § 129, qui Pausaniam regem in templo Minervae fame enectum esse tradit his verbis: καὶ πᾶσιν ἐπίσημον ἐποίησαν (sc. οἱ Λακεδαιμόνιοι) τὴν τιμωρίαν, ὅτι οὐδ' αἱ παρὰ τῶν θεῶν ἐπικουρίαι τοῖς προδόταις βοηθοῦσιν.

[6]) Valeton l. l. p. 5 (cf. ibid. adn. 1) Hyperidem, cum ἄδειαν nactus esset, tamen παρανόμων accusatum esse contendit. Sed illi ἄδειαν concessam esse prorsus nescimus.

Ceterum verisimile est Hyperidem in defensione exposuisse, qua de causa psephisma illegitime tulisset. Quodsi quis suspicetur Hyperidem ob nullam aliam causam παρανόμων accusatum esse, quam quod rogavisset, ut civitas peregrinis daretur,[1]) fragmentum defensionis, quod extat,[2]) satis demonstrat Hyperidem etiam causam exulum sua opera revocatorum dixisse. Denique dubito an ex verbis Plutarchi, quibus de Alcibiadis revocatione agitur,[3]) id, quod supra diximus, conici possit. Atque etiam aliae causae, quae rebus ipsis suppeditantur, ei rogatori ἀδείᾳ opus fuisse comprobant. Reditu enim exulum vel potius revocatione violatur iusiurandum, quod senatus iuravit. Contio igitur rogatione probata consulto iusiurandum laedit, quod senatores per tres deos publicos iuraverunt, laedit divinum rei publicae ordinem, laedit sacras leges[4]) et rei publicae instituta, et iusiurandum contemnendo iras caelestes in se ipsa detestatur.[5]) Quam ob causam rogatorem παρανόμων accusare licuit. Sed rogationem exules revocandi ferri omnino lex vetat, quia τὸ κύριον τῆς πολιτείας violatur, ita quidem, ut populus, postquam pro scelere commisso aquae et ignis interdictionem sempiternam constituit, ut poenam remittat, commoveatur. Nam si quem iudicium heliasticum, penes quod summum harum rerum arbitrium erat, exilio sempiterno multasset, poena remitti non poterat;[6]) si autem remissio rogabatur, τὸ κύριον violabatur, perinde atque τοῦ κοινοῦ integritas violabatur rogatione facta, ut pecuniam aerario debitam populus remitteret.

Quare exulum restitutio privilegium erat, quod impunitate

[1]) In hac re γραφὴν παρανόμων intendere licuit; cf. [Dem.] LIX 90; Schoemann: »de com. Ath.« p. 338; Meier: »de bon. damn.« p. 57. — Ad eam, de qua supra agitur, rem cf. Schenkl l. l. II p. 173.

[2]) v. supra p. 17 adn. 2.

[3]) cf. Plut. Alcib. XXXIII.

[4]) de quibus legibus haec dicit [Dem.] XXV 21: ἐπειδὴ τοίνυν οἱ νόμοι μετὰ τοὺς θεοὺς ὁμολογοῦνται σώζειν τὴν πόλιν...; cf. Aesch. I 5; Dem. XXI 225. Populus autem legum custos est, ut e. c. Aesch. I 7 dicit.

[5]) cf. Lyc. adv. Leocr. § 76: ὃν (sc. ὅρκον ἐφηβικόν) εἰ μὲν ὀμώμοκε Λεωκράτης, φανερῶς ἐπιώρκηκε, καὶ οὐ μόνον ὑμᾶς ἠδίκηκεν ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ θεῖον ἠσέβηκεν· ....ἀνθ' ὧν δικαίως ἂν αὐτὸν καὶ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ ὑπὲρ τῶν θεῶν τιμωρήσαισθε.

[6]) Cf. Schoemann: »Gr. Altert.« I 399.

non data rogare nemini liceret.[1]) Cur autem venia rogandi data sit, eadem causa est, quam supra, ubi agebamus de virorum per ostracismum eiectorum revocatione, attulimus: rei publicae commodum, cui omnia cedunt. Si igitur rei publicae salus postulat, sanctissimum iusiurandum sanctissimaeque leges violantur.[2]) Verum enim vero extra ordinem tantum et potissimum, cum de amnestiis agebatur, in summis rei publicae discriminibus crebrae revocationes exulum factae sunt: ita bello Persico,[3]) post bellum Peloponnesiacum confectum,[4]) alias.[5]) Tum civitas oblita rerum ante actarum revocat cives expulsos, ut patriam tueantur; deos autem laesos sacris placat, quibus non oblatis psephisma rite perferri non potest; si bene ceciderint sacra, placatos se esse di ostendere creduntur.

Cuius ἀδείας speciem quandam paucis exponam: Caedis voluntariae reis post primam defensionem, si causae diffiderent, voluntario exilio solum vertere licuisse constat.[6]) Quo facto redeundi veniam dare propinquos lex vetuit, et thesmothetarum fuit videre, ut exules eius generis reduces morte punirentur.[7]) Quodsi quis revocationem illorum rogaturus esset, id nisi venia populi impetrata fieri non potuit. Nam revocatio quidem cum leges violat tum deos, quorum loco populus interfectorem a republica excludit;[8]) redux autem interfector civitatem universam polluit.

[1]) Ad sententiam nostram Schoemann in »antiquitat. iur. publ. Gr.« prope accessit, ubi (p. 234) haec dicuntur: »Etiam alii exules, qui non ostracismo sed iudicio damnati simulque infamia (ἀτιμίᾳ) et bonorum publicatione puniti erant, restitui non poterant nisi populi iussu; nec alia ulla poena legitime nisi a populo in comitiis remitti aut imminui, nec rogari hac de re populus poterat, nisi venia ante impetrata.« Disertim autem Schoemann ἀδείᾳ opus fuisse ad hanc rogationem ferendam [»Gr. Altert.« I 399] affirmavit argumentis sane non allatis; nec secus Lipsius: »Att. Proc.²« p. 992.

[2]) Ex sanctissimis autem legibus una erat haec: τοὺς φεύγοντας μὴ κατάγειν, id quod ex natura et condicione antiquarum rerum publicarum intellegitur; cf. Cic. Verr. V 6.

[3]) cf. Andoc. de myst. 107. 109; Scheibe l. l. p. 38 adn. 19.

[4]) cf. Andoc. l. l. 80; Meier: »de bon. damn.« p. 229 not. 247; Scheibe l. l. p. 38 adn. 20.

[5]) cf. Xen. H. Gr. II 2, 11. 20. 23; Lipsius: »Att. Proc.²« p. 992 adn. 638.

[6]) cf. Poll. VIII 117; Meier: »de bon. damn.« p. 18 (adn. 47); Gilbert I 368 adn. 1.

[7]) cf. Poll. VIII 86; [Lys.] VI 15; Dem. XXIII 31; Gilbert I 368 adn. 4; H. Meuss: »de ἀπαγωγῆς actione« p. 19 sqq.

[8]) cf. Gilbert I 361.

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA K.U.

3. Consimili deinde modo ei, qui rogaturus esset, ut quis capite damnatus vita donaretur,[1] ἀδεία opus fuisse puto. Quod nonnunquam factum esse e Demosthenis or. L 48 videtur patere.[2]

4. Denique quae de iis diximus, qui exules revocandi rogationem laturi erant, eadem ad eos pertinent, qui rogaturi erant, ut capite deminutis sempiterna ἀτιμία abiudicaretur,[3] itaque etiam his impunitas rogandi impetranda fuit.[4] Atque huius ἀδείας certiorem notitiam habemus legis in Demosthenis Timocrateam insertae auxilio. Lex haec est [§ 45]: Μηδὲ περὶ τῶν ἀτίμων, ὅπως χρὴ ἐπιτίμους αὐτοὺς εἶναι, μηδὲ περὶ τῶν ὀφειλόντων τοῖς θεοῖς ἢ τῷ δημοσίῳ τῷ Ἀθηναίων περὶ ἀφέσεως τοῦ ὀφλήματος ἢ τάξεως, ἐὰν μὴ ψηφισαμένων Ἀθηναίων τὴν ἄδειαν πρῶτον κτλ. Genuinam autem hanc legem esse verba ipsius Demosthenis ibid. § 46 demonstrant.

Ante omnia duo genera capite deminutorum nobis distinguenda sunt: alterum eorum, qui debita publica tempore legitimo non pependerunt ob eamque causam in tempus capitis deminutione maxima multati sunt;[5] alterum eorum, qui diversis de causis sempiterna ἀτιμίᾳ affecti sunt.[6] Utriusque autem generis capite deminutorum restitutionem nisi impunitate impetrata rogare non licuit. De debitoribus publicis hoc loco non agitur, sed de iis solis, quorum ἀτιμία fuit sempiterna. Atque primum quidem ex psephismate Patroclidis ab Andocide in oratione de mysteriis memorato [§ 77 sqq.] restitutionem illorum venia demum impetrata rogare licuisse colligendum est. Cuius psephismatis initio,

[1]) v. supra p. 16 adn. 3.

[2]) Cuius rei copiosius mentionem facit Hauvette-Besnault: »Les Stratèges Athéniens« Paris 1884 p. 103; Lipsius autem: »Att. Proc.[2]« p. 993 id factum esse negat. Quod si verum esset, Callistratum aut supplicio non affectum esse aut primo quidem effugisse, deinde autem venia non impetrata tamen impune rediisse ponendum esset.

[3]) v. Schoemann: »Antiqu. iur. publ. Gr.« p. 225; accuratius: »Gr. Alt.« I 399; cf. Lys. XXV 27; And. de myst. 107.

[4]) cf. Paulyi »Real-Encycl.« I 1, 168; Gilbert I 293; Busolt § 194 p. 175, 3; Caillemer: »Dict. des antiqu.« I 66; Valeton: Mnemosyne n. s. XV p. 2, qui hanc legis formulam statuit: »ne quis rogaverit, ut ἄτιμος fiat ἐπίτιμος.«

[5]) cf. Busolt § 158 p. 143, 7.

[6]) De capite deminutis cf. Meier: »de bon. damn.« p. 101 sqq.; Schoemann: »Gr. Alt.« I 362; Busolt l. l. § 158 p. 143.

quod, quamquam genuinum esse constat, tamen, ut Droysen ipse concedit[1]), satis depravatum et interpolatum est, haec leguntur: Πατροκλείδης εἶπεν, Ἐπειδὴ ἐψηφίσαντο Ἀθηναῖοι τὴν ἄδειαν περὶ τῶν ὀφειλόντων, ὥστε λέγειν ἐξεῖναι καὶ ἐπιψηφίζειν... et inferiore loco [§ 78]: ὅσοι[2]) ἄτιμοι ἦσαν ἢ ὀφείλοντες. Verba autem „περὶ τῶν ὀφειλόντων“ dubitationes afferre possunt. Habet enim offensionis aliquid sententiarum nexus: ὀφείλοντες, ὥστε λέγειν ἐξεῖναι κτλ., quae verba per ambages dicta sunt. Nam debitor fiscalis (ὁ ὀφείλων τῷ δημοσίῳ) sane contionandi (τοῦ λέγειν) facultatem non habet neque epistata in suffragium mittendi (τοῦ ἐπιψηφίζειν), sed tantummodo quatenus debitor aerarii idem capite deminutus (ἄτιμος) est, „ᾧ μὴ ἔξεστιν εἰπεῖν ἐν τῷ δήμῳ.“ Quod levioris esset momenti,[3]) nisi psephismatis haec verba essent, in quo omnia accurate scripta esse solent. Gravior autem altera est causa. Apud eundem enim Andocidem in oratione de mysteriis habita, postquam [§ 73] orator dixit: ...καὶ ἔδοξεν ὑμῖν τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ποιῆσαι, καὶ εἶπε τὴν γνώμην Πατροκλείδης, [usque ad § 76] de diversis generibus capite deminutorum agitur iique, a quibus singula iura abiudicata erant, enumerantur. Denique [§ 76] haec verba sequuntur: καί μοι ἀνάγνωθι τὸ ψήφισμα τὸ Πατροκλείδου, καθ' ὃ ταῦτα ἐγένετο. Πατροκλείδης εἶπεν κτλ.

Hic quaerat quispiam, qua de causa in psephismate de debitoribus agatur, sed οἱ ἄτιμοι, quamquam supra de omnibus horum generibus copiose orator dixerat, ne memorentur quidem. Atqui, postquam psephisma recitatum est, addit Andocides: κατὰ μὲν τὸ ψήφισμα τουτὶ τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους ἐποιήσατε. Nihil de debitoribus aerarii; idque optimo iure mea quidem sententia. Debitores enim fiscales tantum capite deminutorum numero comprehenduntur, sed non omnes capite deminuti numero debitorum.[4]) Itaque Saupii exemplo post verba τὴν ἄδειαν haec inseri: „περὶ τῶν ἀτίμων“ itaque legi volo: ἐπειδὴ ἐψηφίσαντο Ἀθηναῖοι τὴν

[1]) cf. I. Droysen: »de Demophanti Patroclidis Tisameni populiscitis« Berol. 1873. Is enim acta publica apud Andocidem servata utrum a falsario quodam ficta sint necne, quaesivit.

[2]) ita Blass; Droysen verba »ἢ ὀφείλοντες« deleri iubet.

[3]) praesertim si conferamus Demosthenis verba XXIV 90: ... πρὸς δὲ τούτοις ἐπιτίμους τοὺς ὀφείλοντας... καθίστηαιν.

[4]) Velut debitores aerarii disiungit a reliquis capite deminutis [Dem.] XXV 30.

Wolew. i Miej. Bibl. Publ. CZYTELNIA w Opolu

ἄδειαν περὶ τῶν ἀτίμων καὶ τῶν ὀφειλόντων,[1]) id quod Blass quoque in editione infra textum posuit. Quae cum ita sint, iam ex his verbis id comprobatur, quod supra diximus: restitutionem omnium capite deminutorum, non solum debitorum fiscalium, nisi venia data rogare non licuisse. Deinde autem eadem dicuntur in lege ea, quam Demosthenes in Timocratea[2]) memorat, quae recte ita incipit: μηδὲ περὶ τῶν ἀτίμων, ὅπως χρὴ ἐπιτίμους αὐτοὺς εἶναι, quibus verbis singillatim adduntur: μηδὲ περὶ τῶν ὀφειλόντων κτλ.[3]) Idem denique ex verbis Andocidis ipsius colligitur, qui omnibus capite deminutorum generibus enumeratis [de myst. § 73—76] psephismate Patroclidis omnes capite deminutos venia rogatori concessa in integrum restitutos esse[4]) docet.

Iam exemplis nonnullis ea, quae dixi, illustrabo. Si quis oratorum ter παρανόμων convictus esset, aliqua ex parte eum capite deminutum esse Demosthenes [LI 12] narrat;[5]) si nihilominus in contione rogat, ei ἄδειαν datam esse necesse est. Itaque Demadi oratori, cui, quamquam ἄτιμος factus erat, tamen rogationem ferre licebat, concessa demum venia fuit rogandi impunitas.[6]) Eodem modo, cum Ps.-Demosthenes [XXV 30] liberis eorum, qui morte puniti essent, ius in senatu et in contione dicendi ademptum fuisse referat, ne his quidem ἐπιτιμία nisi venia data restitui potuit.[7]) Denique qui, cum a locis quibusdam per capitis quandam deminutionem arceantur, ea tamen adierunt, per ἔνδειξιν[8]) ad thesmothetas[9]) deferuntur aut ab undecimviris (capitalibus) in vinculis tenentur, quoad iudicium heliasticum eos damnaverit,[1]) nisi iis prius ἄδεια data est,[2]) quo facto loca adeundi illis facultas sive impunitas fuit. Quae ἄδεια cum fide publica exulibus, qui redituri erant, concessa similitudinem quandam habet.[3]) Alia autem eorum ratio fuit, qui, cum illud rogationes ferendi ius iis abrogatum esset, tamen id exercere h. e. in priorem statum restitui voluerunt. Quod, nisi ἄδεια sive impunitas rogandi data esset, quae ab illa ἀδείᾳ sive impunitate adeundi differt,[4]) fieri non potuit.

[1]) cf. And. de myst. § 78, ubi οἱ ἄτιμοι et οἱ ὀφείλοντες coniuncti sunt; Lipsius: »Att. Proc.[2]« p. 992 adn. 633.

[2]) § 45; v. supra p. 20.

[3]) In altera quidem eiusdem legis parte [Dem. XXIV 50] de solis debitoribus fiscalibus agitur, sed id nihil habet offensionis, cum oratores eos tantum locos legum recitaverint, qui suis consiliis servirent (v. infra s. III 3).

[4]) cf. Caillemer l. l. — De Solonis lege, quae fundamentum psephismatis a Patroclide perlati fuit, cf. Plut. Sol. XIX.

[5]) v. Meieri emendationem huius loci: »de bon. damn.« p. 130 not. 435; cf. Schoemann: »Gr. Altert.« I 362; Gilbert l. l. I 285 not. 1; Busolt l. l. § 158 p. 143.

[6]) cf. Plut. Phoc. XXVI; contra cf. orationes Ps.-Demosthen. XXV et XXVI, quibus Aristogiton, qui, quamquam ἄτιμος erat, tamen apud populum verba fecerat, παρανόμων accusatur.

[7]) cf. Meier l. l. p. 136.

[8]) cf. Poll. VIII 50.

[9]) cf. Poll. VIII 86; v. de hoc loco Platner: »Proc. u. Klagen« I 432.

Quae cum ita se habeant, nunc iam indagemus, qua de causa ei, qui restitutionem τῶν ἀτίμων rogaturus erat, ἄδεια impetranda fuerit. Cum enim duo fuerint capite deminutorum genera, quorum utrumque in vitae tempus ἀτιμίας poena afficiebatur,[5]) alterum eorum, a quibus omnia iura et honores civium abiudicata erant, alterum eorum, quibus civitatis quadam parte frui non licebat:[6]) in universum dicendum est ei, qui rogaturus esset, ut sempiterna ἀτιμίᾳ multati in integrum restituerentur, ἀδείᾳ opus fuisse, quippe qui populum impediret, ne voluntatem, quam in heliastico iudicio declarasset, exequeretur eoque modo τὸ κύριον violaret. Nam poena ab heliastis constituta in contione cum populo de ea re denuo agere non licuit, nisi totus populus, qui summa potestate utitur, ipse veniam dicendi decrevisset.

At in pace quidem eos, qui e. c. ob ἀστρατείαν vel ob δειλίαν, ut ait Andocides, „ἄτιμοι ἦσαν τὰ σώματα,“ non restitutos esse certum est.[7]) Quod tum demum, cum respublica in summis periculis erat, fieri potuit, factumque est, ut restitutiones, de

[1]) cf. Dem. XXIV 105 (in lege).

[2]) v. Meier: »de bon. damn.« p. 43.

[3]) De hac re v. infra s. B 2a.

[4]) De ratione huius impunitatis dandae id, quod et de impunitate in dicandi delicti et de fide publica exponemus, conferendum est; v. infra s. B.

[5]) Athenis capitis deminutione maxima multatis sicut Romae ne libertate quidem uti licuisse pro certo dici non potest, quamquam nonnullae »προστάξεις« aliquam partem libertatis ademerunt [cf. And. de myst. § 76], id est capitis deminutio maxima a foro sacrisque arcebat; cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 362; Busolt l. l. § 158 p. 143. — Ceterum, ut supra dixi, de debitoribus publicis hic non agitur, quippe qui ἄτιμοι essent, dum solverent debita.

[6]) cf. Gilbert I 189, 1; Busolt § 158 p. 143.

[7]) de his capite deminutis cf. e. c. Hauvette-Besnault l. l. p. 141 sq.

quibus agunt scriptores, demonstrant. Ac Solon, qui Plutarcho[1]) quidem auctore νομοθέτης αὐτοκράτωρ amnestiae gratiam dedit, τοὺς ἀτίμους in integrum restituit exulesque reduxit. Posterioribus autem temporibus nonnunquam ii restituti sunt, qui in commutationibus rei publicae oppressam factionem consectati eamque ob rem ἄτιμοι facti erant. Velut oligarcharum factio Athenis restitutione eorum aucta est,[2]) quorum primum locum illi Quadringenti obtinuerunt; similemque Patroclidis psephismatis causam fuisse Andocides docet.[3]) Alias etiam propter inopiam civium ἄτιμοι sunt restituti.[4])

Atque hanc quoque ἄδειαν concedere e republica fuit, si quidem restitutione id egit populus, ut factiones gratia inter sese reconciliarentur, concordia inter cives restitueretur, novi defensores patriae compararentur, itaque sicut exulum revocationes plerumque in amnestiis illa restitutio evenit.[5])

Una restat quaestio, num capite deminutis et ipsis restitutionem a populo petere licuerit, quibus ius „ἐν τῷ δήμῳ λέγειν" abrogatum esset. Et ex his quidem legis, quae extat apud Demosthenem XXIV 50, verbis: ....ἐὰν....αὐτὸς ὁ ὀφλὼν ἱκετεύῃ πρὶν ἐκτῖσαι κτλ. colligendum est debitoribus ipsis ut in senatu aut in comitiis venia data rogare, ita ἄδειαν petere licuisse;[6])

[1]) cf. Plut. Sol. XIX; de iis, qui amnestiae expertes erant, cf. ibid.; v. de hac re Platner l. l. I 14; Curtius: »Gr. Gesch.⁵« I 334.

[2]) cf. Xen. H. Gr. II 2, 11 (cf. de illis temporibus Lys. XII 43—46); Schoemann: »Antiquit. iur. p. Gr.« p. 183.

[3]) cf. And. de myst. 73; Scheibe: »Olig. Umwälz. zu Ath.« p. 36 sq.

[4]) cf. Meier: »de bon. damn.« p. 49. 50; Andoc. de myst. 109, quae restitutio praemium erat bene de republica meritis tributum (cf. § 107; cf. etiam Lyc. adv. Leocr. § 41); tamen in his rebus (i. e. in poenis remittendis) rogatori ἀδείᾳ opus fuit. De privilegiis, quae venia non data praemii causa tributa sunt, s. III agetur.

[5]) Revocatio exulum et restitutio capite deminutorum praecipua gratia est, quam populus in amnestiis dare solet. Aliter sane h. e. missis omnibus ambagibus Athenienses in civitates subiectas consuluerunt. Cum e. c. Alcibiades Selymbriam urbem recepisset (cf. Xen. H. Gr. I 3, 10; Plut. Alcib. XXX), simplici Atheniensium decreto amnestia facta est. Cuius psephismatis fragmentum extat in CJA. IV 1, 61 a, ubi statuitur, ut bona publicata reddantur, capite deminuti in integrum restituantur, exulibus in patriam liceat redire.

[6]) cf. poenam ἐνδείξεως, quam eadem lex eis de decernit, qui venia non data iura abrogata exerceant.

altero autem eiusdem legis loco [ibid. or. XXIV 45] in eum debitorem aerarii, qui ipse venia non data debiti remissionem rogaturus sit, ἐνδείξεως actionem intendi iubetur. Quare debitori ipsi veniam petere licuisse veri non dissimile est. Quod denique e Plutarchi quidem verbis[1]) patet, quibus Demaden, qui, cum constituto tempore debitum publicum non solvisset, ob eam causam ἄτιμος factus erat, ipsum impunitate a populo impetrata rogationem quandam ad populum tulisse docemur.[2]) Quamquam Valeton[3]) putat Plutarchum ipsam ἀτίμου restitutionem ἄδειαν dixisse loco ἐπιτιμίας. „Quod si verum est", pergit ille, „necesse est alius aliquis civis petiverit pro Demade ἐπιτιμίαν; itaque eum civem ipsi primum ἄδειαν, Demadi deinde ἐπιτιμίαν comparavisse dicere debuit Plutarchus." Sed Plutarchi verba tam dilucida sunt, ut de errore aut neglegentia vix cogitari possit, quare verba „ἄδειαν εὑρόμενος" nihil aliud significare videntur nisi: „veniam sive impunitatem rogandi consecutus." Atque ne uno quidem verbo ἐπιτιμίαν Demadi restitutam esse Plutarchus dicit. At ἄδεια rogandi concessa est, idque, ut opinor, quamvis debitor aerarii ille manserit. Quod si verum esset, haec rogandi sive dicendi venia multum differret ab illa impunitate, quam is petebat, qui restitutionem capite deminutorum vel debitorum rogaturus erat.[4]) Utcunque autem res se habet, non est, quod dubitemus, num capite deminutis vel debitoribus ipsis facultas ἀδείας petendae fuerit. Nam, ut in altero commentationis libro demonstrare conabor, ἄδειαν ipsam debitor supplex deorum petit, venia autem impetrata debitori remissionem rogare licuit; haec enim ἀδείας natura est, ut illegitimi aliquid impune faciendi potestas a toto populo detur.[5]) In hac autem re duas potissimum invenio causas, ob quas ἄδεια daretur necesse fuerit: alteram, quod rogator summam populi potestatem violat — populus enim ius rogationum ferendarum ab illo abiudicaverat, — alteram, quod ii, qui potestate verba faciendi vel rogationes ferendi abrogata capitis deminutione maxima puniti simulque a foro sacrisque prohibiti sunt, impuri

[1]) Plut. Phoc. XXVI.

[2]) cf. Paulyi »Real-Encycl.« I 1, 168; Caillemer l. l.

[3]) cf. Mnemos. n. s. XV p. 3 adn. 1; v. infra de eadem re s. IIa. 2 s. f.

[4]) cf. ἄδειαν loca quaedam adeundi ei concessam, qui ab iis exclusus erat; v. supra p. 22.

[5]) v. supra p. 6sq.

creduntur, quam ob causam rei publicae numen quoddam divinum, si publica negotia exercent, polluunt, quod scelus ἀδείᾳ expiandum est.

Iam absoluta de capite deminutis restituendis disputatione rem ad Ps.-Demosthenis locum [LVIII 27][1]) pertinentem strictim attingere liceat. Cum enim haec verba legantur: οὐ διὰ μὲν τὴν τούτου πονηρίαν (sc. τοῦ Θεοκρίνου) ἀδελφὸς αὐτοῦ θεσμοθετῶν καὶ τούτῳ χρώμενος συμβούλῳ τοιοῦτος ἔδοξε παρ' ὑμῖν ἄνθρωπος εἶναι, ὥστ' οὐ μόνον αὐτὸς ἀπεχειροτονήθη τῶν ἐπιχειροτονιῶν οὐσῶν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἀρχὴν ἅπασαν (omne illud thesmothetarum collegium) ἐποίησεν· καὶ εἰ μὴ δεομένων αὐτῶν καὶ ἱκετευόντων, καὶ λεγόντων ὡς οὐκέτι πρόσεισι Θεοκρίνης πρὸς τὴν ἀρχήν, ἐπείσθητε ὑμεῖς καὶ πάλιν ἀπέδοτε τοὺς στεφάνους αὐτοῖς, πάντων ἂν αἴσχιστα οἱ συνάρχοντες ἐπεπόνθεσαν,[2]) quaeritur, utrum hoc loco de ἀδείᾳ cogitari possit, ita ut, cum populus in comitiis illos omnes, quos Ps.-Demosthenes commemorat, honore privasset, eorum restitutionem nisi venia concessa rogare non licuerit. Sicut enim ἄτιμος nisi venia rogatori data in pristinum statum restituendus non erat, ita ne ἄρχων quidem καταχειροτονηθείς, a quo ipsi heliastae munus abiudicaverant. Ceterum id quoque verisimile est, magistratibus a re publica remotis ius „τοῦ λέγειν ἐν τῷ δήμῳ" abrogatum h. e. eos aliqua ex parte ἀτιμίᾳ affectos esse.[3]) Quod si verum esset, iis magistratibus venia demum data a populo restitutionem petere licuisset. Sed hic, quem supra attuli, locus alio modo explicandus videtur. Si enim populus in ἐπιχειροτονίᾳ τῶν ἀρχόντων magistratum quendam, de quo querelae motae essent, abrogasset, id scitum heliasticis iudicibus aut comprobandum aut antiquandum erat. De ἀδείᾳ igitur cogitari posset, si de magistratuum restitutione et a populo et a iudicibus honore privatorum ageretur.[4]) Hoc autem loco

[1]) cf. [Dem.] XXVI 5. — De ἀποχειροτονίᾳ cf. Poll. VIII 95; Harpocr. s. v. κυρία ἐκκλησία; Bekk. Anecd. Gr. 268, 27.

[2]) cf. Schoemann: »de comit. Athen.« p. 231 not. 9.

[3]) Colligendum id esse puto ex eo, quod »τοῖς ἀποδεδοκιμασμένοις ἄρχειν λαχοῦσι« (reprobatis ab iudicibus) verba in comitiis facere non licuit; cf. [Dem.] XXV 30; v. Schoemann: »Ant. i. p. Gr.« p. 239; Gilbert l. l. I 210 adn. 5. — Eandem poenam arbitri publici (διαιτηταί) muneris male administrati condemnati subierunt; cf. Gilbert I 371 adn. 3.

[4]) Id quod nunquam factum puto.

magistratuum restitutionem, de qua Ps.-Demosthenes dicit, in ipso heliastico iudicio factam esse opinor.[1])

5. Venimus postremo ad speciem quandam ἀδείας, quam, cum in eam commentationis partem, in qua de aerario illegitime violando agetur, referendam esse putet aliquis, tamen re vera huc pertinere demonstrabo. Agitur autem de impunitate rogandi, ut trierarchus munere explendo liberetur, quae ἄδεια non omni sed certo tantum tempore, idque posteriore demum aetate, in Atheniensium republica valuit. Hac potissimum re ab eis ἀδείας generibus, quae supra exposui, differt.

Ea liturgia, quae voce trierarchiae significatur, ad id instituta est, ut civis aliquis naves longas a re publica traditas conservaret[2]) et armamenta aut compararet aut a re publica data tueretur[3]) navesque nautis et remigibus impleret.[4]) Is, qui hoc munus suscepit, trierarchus appellatur, qui aut ipse navem sequitur aut vicarium mittit.[5]) Quae liturgia cum tantum ad belli usum instituta esset, trierarchi e locupletiorum civium numero[6]) electi sunt a praetoribus, qui iidem lites trierarchicas instruebant.[7]) Iidem curaverunt, si quis liturgiam iniuste sibi imponi aliique se opulentiori potius imponendam esse contenderet, ut provocatus aut susciperet ipse illam liturgiam aut res familiares permutarentur.[8]) Sed quamquam fieri potuit, ut muneribus

[1]) Eandem sententiam Schoemann protulit (v. p. 26 adn. 2). — De vocabulis »δεῖσθαι καὶ ἱκετεύειν« ad actionem iudicialem pertinentibus, quibus Ps.-Dem. l. l. utitur, v. infra s. III 1.

[2]) cf. Schoemann: »Antiquit. i. p. Gr.« p. 326.

[3]) Armamenta navium publice comparanda erant; nam haec non semper a trierarchis praebita esse luculentissime colligitur e Demosthenis or. L 7. 26 sq.; v. Schoemann l. l. p. 312. 327; Gilbert I p. 310 adn. 3. p. 355 sq.; Thumser »de civ. Ath. muneribus« p. 61; Hauvette-Besnault p. 69; Busolt § 223 p. 196.

[4]) Quarto a. Chr. n. saeculo trierarchorum erat gubernatores eosque, qui ὑπηρέται vocantur, conducere iisque stipendia tribuere; cf. Hauvette-Besnault p. 71; Busolt § 223 p. 197 adn. 3.

[5]) cf. Schoemann: »Antiqu.« p. 327.

[6]) cf. Hauvette-Besnault p. 68; Busolt § 223 p. 196.

[7]) cf. Dem. XXXIX 8. XXXV 48; Schoemann: »de com. Ath.« p. 314; Gilbert I p. 223 adn. 1; Thumser l. l. p. 58.

[8]) cf. Isocr. or. XV; Dem. XXI 78; [Dem.] or. XLII; Schoemann: »Antiqu.« l. l.; Platner II 106 sqq.; Gilbert I 342, 4; Thumser p. 100; Busolt § 221 p. 194.

encycliis sive sollemnibus per privilegium immunitatis (ἀτελείας) civis aliquis liberaretur, tamen sicut omnium liturgiarum ita trierarchiae nemo immunis fuit nisi novem archontes,[1]) filiae heredes sive „ἐπίκληροι“, pupilli, dum sub tutela erant,[2]) praeterea coloni publice missi, ii, qui „κοινωνικά“ possidebant, denique qui officii exequendi facultates non habebant.[3]) Neque alii cuiquam e locupletibus quidem, cui praetores[4]) munus mandavissent, officium detrectare licuit.[5]) Itaque Demosthenes[6]) dicit: .... τῶν γὰρ εἰς τὸν πόλεμον καὶ τὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως εἰσφορῶν καὶ τριηραρχιῶν ὀρθῶς καὶ δικαίως οὐδείς ἐστ' ἀτελὴς ἐκ τῶν παλαιῶν νόμων, οὐδὲ οὓς οὗτος ἔγραφε, τοὺς ἀφ' Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος.

Nihilo tamen secius, ut ait Schoemann [„de comit. Athen.“ p. 333], „haud raro factum est, ut trierarchi, qui muneri explendo impares essent (itaque ex causa aequitatis, ut trierarchia liberarentur, postulare se posse putarent), oneris levationem ... a populo peterent[7]),“ qua in re illi ἱκέται[8]) plerumque ad aram Dianae Munichiae[9]) perfugerunt.[10]) Iam oritur quaestio, num vox „ἱκέται“[11]) ad eos supplices referenda sit, qui a populo impunitatem rogandi petierint, et propterea de ἀδείᾳ hoc loco cogitandum sit. Atque Schoemann quidem, qui [l. l.] huius oneris levationem cum debitorum remissione coniungit, concedit ei trierarcho ἀδείᾳ opus fuisse. Quamquam causae duorum ἀδείας generum non eaedem sunt eiusque, de qua nunc agitur, rogationis impunitatem non impetrandam fuisse a populo nisi certo temporis spatio postea demonstrabo.

Nunc autem, qua de causa ἄδεια danda fuerit, exploremus. Hic dicat fortasse quispiam illo privilegio aerarium publicum

[1]) Dem. XX 18. 27. 28.

[2]) cf. Dem. XIV 16. Orbi etiam proximo post tutelam anno immunes erant; cf. Lys. XXXII 24.

[3]) cf. Thumser l. l. p. 118; Gilbert: »Staatsalt.« I p. 353, 1; Busolt § 223 p. 196, 13. Quos verba »οἱ ἀδύνατοι« significent, non recte intellexit Hermann: »Gr. Staatsalt.« § 162, 13.

[4]) cf. etiam Hauvette-Besnault p. 68; Busolt § 223 p. 197.

[5]) Posterioribus temporibus inquilini quoque id munus praestabant; cf. CJA. II 414; v. Gilbert I 172 adn. 3; Busolt § 15 p. 15 adn. 2.

[6]) cf. Dem. XX 18; cf. ibid. § 26 sq.

[7]) cf. Dem. XVIII 107 et Ulp. ad h. l.; v. Boeckh: »St. d. Ath.« I 701.

[8]) cf. Dem. l. l; de notione vocis v. infra s. III 1.

[9]) cf. de hac ara Lys. XIII 24.

[10]) cf. Platner: »Proc. u. Klagen« II 98.

[11]) vel „ἱκετηρίας θέντες“ (v. Dem. l. l.).

violari. At vero liturgia trierarchiae non in reditus ordinarios rei publicae relata est;[1]) et tum tantummodo τοῦ κοινοῦ integritas laeditur, cum ordinarii reditus[2]) illegitime deminuuntur. Itaque ei soli, qui rogationem laturus est, ut horum redituum deminutio illegitima fiat, ἀδείᾳ opus est.[3]) Quae cum ita sint, hanc causam falsam esse intellegitur. Ergo in eo esse causam dixerit alius quis, quod trierarchiam maximi ad servandam rempublicam momenti fuisse multis oratorum locis edocemur.[4]) Atque re vera haec res tam gravis esse videbatur, ut praetoribus liceret de iis comitia convocare.[5]) Trierarchiae enim liturgia ad id instituta erat, ut bello usui esset;[6]) expeditiones autem navales in longum tempus extrahi possent, nisi trierarchi munere perfungerentur: talis igitur officii levationem nulli locupleti civi populus concedere potuit. Nam cum in aliis tum in illa institutione salus rei publicae posita fuit, quare trierarcho muneri administrando impari venia demum data rogationem ferre licuisse dicas, ut liturgiae immunis fieret, idque non tam quod τὸ κοινόν iacturam faceret, quam quod res publica ipsa in periculum adduceretur. Sed id fieri non potuit, propterea quod prioribus quidem temporibus alius quis illius loco trierarchiae munere fungeretur necesse fuit, posterioribus autem, cum symmoriae institutae essent, treceni locupletissimi cives sumptus in trierarchiae liturgiam fecerunt. Quare ne ea quidem causa sufficere videtur; sed res alio modo tractanda est.

Itaque de ratione, qua trierarchi liturgiam praestabant, pauca disseramus oportet, quo facto, num quando haec ἄδεια statuenda sit, et quae causa ἀδείας dandae fuerit, multo facilius apparebit. Tria igitur temporis spatia distinguenda sunt. Atque primo quidem quotannis e locupletissimis civibus quadringenti trierarchi electi sunt.[7]) Cumque nemo per duorum insequentium annorum decursum cogi posset hoc munus praestare,[8]) c. octingenos cives

[1]) cf. Dem. XX 25.

[2]) in quorum numero etiam multae sunt; v. infra s. II a 2 s. f.

[3]) ut postea demonstrabitur; v. infra s. II a.

[4]) cf. Dem. XXIV 91. — De trierarchia idem dicendum est quod de εἰσφορᾷ; cf. Isocr. VIII 12.

[5]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 314.

[6]) sicut εἰσφορά, quacum trierarchiam coniungit e. c. Isocr. VIII 12. 20.

[7]) cf. Ps.-Xen. de rep. Ath. III 4; Busolt § 223 p. 197, 4.

[8]) cf. Gilbert l p. 351.

fuisse ponendum est, qui huius oneris suscipiendi facultates haberent.[1]) Trierarchiae autem munus locupletissimis tantum civium impositum est, quare ei magistratus, quorum erat illud munus impertire, potestate saepius abusos esse vix credibile est. Atque etiam facultates civium quinto quidem saeculo eiusmodi erant, ut satis magnum numerum civium locupletium fuisse statuendum sit.[2]) Cum autem res familiares civium bello Peloponnesiaco valde imminutae essent, ut bini trierarchi unius navis trierarchiam praestarent, concessum est.[3]) Denique ei, qui alium potius quam se ipsum munus suscipere posse putaret, antidosin postulare licuit.[4]) Ita, quinto quidem saeculo, quadringenis trierarchis electis quin expeditiones navales in tempore fierent, nulla mora fuit.[5]) Sed postea anno 357/6 ex Periandri cuiusdam lege symmoriae, quae ad tributum extraordinarium (εἰσφοράν) exigendum institutae erant, in trierarchiae liturgiam praestandam translatae sunt.[6]) Atque in his symmoriis singula milia et duceni cives erant,[7]) ex quibus treceni locupletissimi impensas in triarchiae munus fecerunt. Viginti autem ἐπιμεληταί[8]) singularum symmoriarum sumptus in singulos symmoritas distribuendi liberam potestatem habebant. Tum, ut fieri solet, pauperrimo cuique gravissimum onus imponebatur, itaque Demosthenes

[1]) cf. Buechsenschuetz: »Besitz u. Erwerb« p. 591.

[2]) Temporibus bellorum Persicorum c. duodecim milia, initio belli Peloponnesiaci c. quindecim milia, post pestilentiam illam, quae in divites et in pauperes pariter incesserat, c. undecim milia, post cladem Siciliensem c. novem milia, initio belli Corinthii c. octo milia eorum civium, qui censum militum gravis armaturae h. e. primae et alterius et tertiae classis [v. Schenkl: »Wiener Stud.« II 169] habebant, Athenis fuisse Beloch probavit in praeclaro libro: »Die Bevoelk. d. gr.-roem. Welt« Lips. 1886 p. 71; cf. etiam Schenkl: »Wiener Stud.« II 169. 173. 174, cuius numeri ab iis, quos Beloch affert, paulo discrepant.

[3]) Quam „syntrierarchiam" anno 405/4 factam esse scimus; cf. Gilbert I p. 351, 2.

[4]) v. supra p. 27, 8.

[5]) cf. Hauvette-Besnault p. 72.

[6]) cf. Gilbert I 351 sq; Hauvette-Besnault p. 70; Busolt § 223 p. 197.

[7]) quorum c. quadringeni octogeni munere liberati erant; cf. Gilbert I p. 353 adn. 1.

[8]) vel »ἡγεμόνες«, utique locupletissimi; cf. Gilbert I p. 352; Hauvette-Besnault p. 70.

rebus navalibus praefectus anno 340/39 legem pertulit, ut ex censu cives trierarchiae munus praestarent.[1]) Idemque orator in oratione de corona [or. XVIII 107], antequam illam legem pertulisset, permultos trierarchos supplices muneris remissionem petiisse a populo queritur.[2]) Quo loco de eis ἱκέταις cogitandum esse, qui ἄδειαν petituri fuerint, patet. Nam ex legibus ἐπιμεληταί liberum arbitrium egerunt stipes distribuendi et exigendi. Quodsi onera pauperibus plerumque illi imponerent, ditissimo autem cuique, quantum fieri posset, parcerent, inique et inhoneste illi quidem, sed nihil contra leges fecerunt. Ex quibus sequitur, ut, si quis populum adiret eiusque rogationis ferendae, ut liturgia suscipienda liberaretur, ἄδειαν peteret, eas leges violaverit, quae symmoriarum institutum tuerentur. Populus autem ἄδειαν dando ius gratiae exercet, cuius ipsi soli potestas est. Quamquam enim ex legibus ne populo quidem eos, qui onera distribuebant, in iure interpellare licuit, tamen religione motus ἱκέτην illegitimae rogationis ferendae ἄδειαν petere passus est. Deinde venia concessa illi civi rogationem ferre licebat, ut munere trierachiae levaretur. Dat autem veniam populus ex causis misericordiae et aequitatis. Iniustum enim est et iniquum civi, qui non ex locupletissimis sit, hanc sumptuosam liturgiam[3]) mandari. Neque vero e republica esset, si quis in expeditionibus ad patriam defendendam factis imperium quoddam haberet, cui non satis magnae pecuniae essent.

Hanc, quam modo tractavimus, ἀδείας speciem diversissimam esse ab iis, quas supra exposui, facile intellegitur. Nam hae omnes fere iam pridem, fortasse quo tempore ἄδεια publice est instituta, ortae sunt; illa autem posterioribus demum temporibus ac ne diu quidem valuit. Itaque impunitatem ad trierarchiam pertinentem legibus non constitutam fuisse pro certo habendum est; sed populus illis temporibus, quibus, ut ait orator quidam: ἐξῆν αὐτῷ ποιεῖν ὅ τι ἂν βούληται[4],) ius ἀδείας dandae sibi arrogavit.[5]) Populus enim hac in re gratiam facit vel tale ψήφισμα

[1]) cf. Hauvette-Besnault p. 70; Gilbert I p. 354 sq.

[2]) Habita est illa oratio anno 330.

[3]) cf. Gilbert: »Staatsalt.« I 356.

[4]) [Dem.] LIX 88; v. supra p. 1.

[5]) v. supra p. 8.

ἐπ' ἀνδρί civi irrogat, quale legibus interdictum est, idque propterea quod institutum quoddam publicum simulque iura eorum violantur, quae populus ipse legibus sanxit. Quae cum ita sint, summam populi potestatem ea rogatione violatam esse negari non potest.

Eis, quae hucusque exposui, hoc mihi videor effecisse: ἀδείᾳ ei opus fuit, qui aut remissionem poenae ab ipso populo constitutae aut levationem vel immunitatem liturgiae a populo — vel ab iis, qui eius vice fungebantur, — impositae rogaturus esset.

IIa. Populus ei veniam dat, qui rogatione publici aerarii integritatem violaturus vel qui aerarium publicum (τὸ κοινόν) illegitime deminuturus est.

Hactenus eam rogandi veniam consideravimus, quae rogatori summam populi potestatem violaturo appetenda fuit. Iam ad alterum ἀδείας genus nos vertamus, quam ob aerarii publici integritatem violandam rogatori dari oportuit. Ad statum enim rei publicae maximi momenti esse diximus[1]) rei publicae opes vel aerarium publicum (τὸ κοινόν) integrum vel potius ratum esse[2]), ita ut ratio redituum publicorum et necessitas erogationum inter se congruant.[3]) Aerarii publici autem integritas duplici modo violari potest: aut pecuniis publicis illegitime deminuendis aut augendis, id quod nullo alio modo nisi legitimis quibusdam observatis fieri potuit. In Atheniensium quidem re publica, si quis pecuniis illegitime deminuendis integritatem aerarii laedi vellet, ut is impunitatem rogandi a populo peteret, lex fuit.[4])

Sed ad quas rogationes ferendas populus ἄδειαν dederit, vel, ut aliis verbis dicam, quibus rebus opum publicarum non legitimae deminutiones factae sint, singillatim iam sum examinaturus.

---

[1]) V. supra p. 3.

[2]) ut lingua vernacula utar: »dass das Vermögen des Staates rechnungsmässig richtig ist.«

[3]) Taciti Annal. XIII 50 verba exscripsi.

[4]) Ex iure Romano, in quo omnia subtiliter et constanter excogitata perfectaque sunt, si eadem lex valuisset, etiam ei ἀδείᾳ opus esset, qui aerario illegitime augendo integritatem violaturus esset; sed in Attico iure publico hanc ἀδείας causam frustra quaeras.

1. Atque reditu quidem hominum per ostracismum relegatorum decreto aerarium publicum non cepit detrimentum, cum ex bonis civis remoti nullum fructum perceperit res publica, ut supra (p. 10) demonstratum est. Diversissima autem exulum revocatorum ratio videtur fuisse. Cum exilio enim sempiterno Athenis bonorum publicationem usque coniunctam fuisse notum est.[1]) Hic existimet quispiam omnibus, qui in patriam rediissent, bona reddita esse. Nam populus Atheniensium, cum rationem intellexisset, cur exules restitui oporteret, — restituebantur autem patriae tuendae causa — fortasse imprudenter egisset, si iis rei familiaris restitutionem denegasset.[2]) Et reapse revocatis bona reddita esse a Mitylenacis[3]) Isocrates, ab Atheniensibus Andocides dilucide tradiderunt.[4]) Sed nequaquam id semper et necessario factum vel cum revocatione exulum bonorum restitutionem ipso iure coniunctam esse equidem opinor.[5]) A Plutarcho[6]) enim accepimus post reditum demum Alcibiadis restitutionem bonorum eius decretam esse. Quod intellegi non posset, si cum exulum revocatione semper bonorum restitutio coniuncta esset. An putandum est restitutionem rei familiaris specialiter rogari non oportuisse, nisi bona publicata iam venissent?[7]) Quod si concedendum esset, tamen plerumque restitutio separatim rogaretur necesse fuit, cum semper fere bona statim venire solerent, quo facto non iam recuperari potuerunt.[8]) At id verisimile non est, quare omni modo restitutionem specialiter rogandam

---

[1]) Cf. e. c. Schoemann: »Ant. i. p. Gr.« p. 234.

[2]) Huc refer, quae opinio in antiquis rebus publicis in omnes pervulgata erat: imprimis agrorum possessores summis studiis et animis promptissimis patriam defendere, et Dinarcho auctore praetores quidem eos tantum lex creari iussit, qui fundum intra Atticae fines possiderent; cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 313; v. etiam infra s. III 1.

[3]) Id Mitylenacis cum Atheniensibus commune fuisse recte Meier: »de bon. damn.« p. 229 coniecit.

[4]) cf. [Isocr.] epist. VIII 3; Andoc. de myst. 53; cf. etiam Plut. Alcib. XXXIII; Platner: »Proc. u. Kl.« I 151; praecipue Meier l. l. p. 229 sq., qui magna sagacitate restitutionis modum exposuit.

[5]) Aliter Meier l. l. p. 228 sqq. et Lipsius: »Att. Proc.[2]« p. 993 adn. 642, qui bona semper revocatis reddita esse putant, ea tantum condicione, ut illa nondum vendita essent.

[6]) cf. Plut. Alcib. XXXIII; Nepos Alcib. IV. VI.

[7]) v. adnot. 5.

[8]) cf. Meier: »de bon. damn.« p. 230 et adn. 253.

fuisse arbitror. Id enim iam ex eo colligendum videtur, quod Isocrates [l. l.] restitutionem bonorum exulum diserte commemorat et alio quoque loco[1]) revocationem exulum et restitutionen bonorum ut diversas res coniungit. Atque re vera Athenienses, ut publicandis bonis aerarium augeri cupiebant,[2]) ita aegerrime publicata bona reddebant. Huc accedit, quod damnum multo maius esse oportebat, quam commodum fuerat. Nam aerarium sacrum fructum ex his publicationibus capiebat, quod suam bonorum partem retinuisse certum est, et portio aliqua „τῷ ἀπογράψαντι" dari solebat.[3]) Haec quidem hactenus.

Iam vero quaeritur, num rogationem bona publicata restituendi missis ambagibus ferre licuerit. Res, ut equidem opinor, aeque se habet ac rogatio exules revocandi vel, ut accuratius dicam, ne restitutionis quidem bonorum rogandae, nisi venia data esset, cuiquam civium potestas fuit. Causa autem haec est, quod impensis publicis in gratiam hominis alicuius rogatis aerarium publicum illegitime violatur, sive bona decreta restitutione redduntur sive pretium bonorum venditorum ex aerario persolvitur. Considerantes autem, quomodo populus Atheniensium τὸ κοινόν tueri et servare studuerit, iure existimabimus populum cum ob alias causas tum ideo exulum reditum difficillimum reddidisse, ne bonorum publicatorum iacturam aerarium publicum faceret. Sed exulum reditu decreto si non semper, at tamen plerumque etiam rei familiaris restitutionem factam esse verisimile est venia rogatori concessa. Quam veniam qua de causa populus dederit, facile intellegitur. Etenim revocatorum status restitutione bonorum sublevatur restitutique possessione ad patriam devinciuntur. Quare populus, quamvis invitus faciat, tamen bona reddit ac remittit, quia his opibus praestat rei publicae salus, qua restitutio flagitatur.[4])

[1]) [Isocr.] epist. VII 9: κατάγειν δὲ τοὺς φεύγοντας, ἀποδιδόναι δὲ τοῖς μὲν κατιοῦσι τὰς κτήσεις, ἐξ ὧν ἐξέπεσον, τοῖς δὲ πριαμένοις τὰς τιμὰς τὰς ἑκάστοις γιγνομένας . . .

[2]) Lepidissime hos civium mores perstringit Aristoph. Vesp. vs. 484—507; cf. Lys. XXX 22. XXV 26; Schoemann: »Ant. i. p. Gr.« p. 318.

[3]) Copiosius rem tractavit Meier l. l. p. 201 sqq.

[4]) Eadem interfectorum, quibus populus reditum concessit, condicio est; nam horum quoque bonorum restitutionem, nisi venia data esset, rogare non licuit, si quidem, ut Meier: »de bon. damn.« p. 18 sq. adn. 47 coniecit, illorum res familiares, cum exules facti essent, publicatae sunt (cf. etiam Schoemann: »Antiqu. iur. publ. Gr.« p. 292; Boeckh: »St. d. Ath.« I 517). Quod si verum est, restitutio bonorum aerarium illegitime deminuit, quare rogatori impunitate opus fuit. De interfectorum reditu cf. etiam Meier l. l. p. 43.

2. Transeamus ad alteram ἀδείας speciem et, quae de remissione debitorum publicorum nobis tradita sunt, exponamus.

Populum Athenicnsium, ubi de opibus publicis servandis agebatur, non multum misericordiae aut indulgentiae adhibuisse cum alia docent tum severae illae leges de debitoribus fiscalibus latae,[1]) quibus debitores pecuniarum sacrarum adnumerandi sunt.[2]) Ita pecunia multati homines, nisi statim[3]) solvissent, et debitores fiscales ἄτιμοι facti sunt[4]) et capitis deminutione usque eo affecti manserunt, quoad pependissent, ex hac lege: Τὸν ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ μὴ πολιτεύεσθαι[5]) vel his verbis significata: Τὸν ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ, μέχρις ἂν ἐκτίσῃ, ἄτιμον εἶναι.[6]) Certo autem tempore interiecto summa debita ipso iure duplicata est[7]), nec iudicum sententia opus erat.[8]) Atque etiam custodia debitorum fiscalium poena saepe aucta est.[9]) Si autem debitor τῶν ἐπιτίμων iura sibi arrogaret, per ἔνδειξιν ad thesmothetas raptus est[10]) aut statim ad undecimviros[11]) per ἀπαγωγήν.[12]) Et ipso debitore aerarii mortuo pro

[1]) cf. Meier l. l. p. 137 sqq.; Platner l. l. II 111; Boeckh: »Staatsh. d. Ath.« I 506; Gilbert: »Staatsalt.« I p. 337 sq.

[2]) cf. [Dem.] LVIII 14. — In tabulas hi debitores relati sunt a quaestoribus Minervae et reliquorum deorum et a rege sacrorum; cf. psephisma Patroclidis apud Andoc. de myst. reservatum (§ 77).

[3]) cf. [Dem.] LVIII 21. 49. — Qui ὄβρεως condemnati erant, ut undecim diebus postquam damnati erant, solverent, lex fuit; cf. Boeckh l. l. I 508.

[4]) cf. [Dem.] or. LVIII passim.

[5]) cf. Petit: »Leges Atticae« IV 9, 12 p. 464.

[6]) cf. Petit l. l. n. 14 p. 465; Libanium ad Dem. Androtianam et Timocrateam; [Dem.] or. XXV. XXVI; Dem. or. XXIV; cf. etiam Petit l. l. III 2, 12 p. 312; Schoemann: »Gr. Alt.« I 362. — In hos ἐνδείξεως actio adhibetur; cf. [Dem.] or. LVIII; Dem. XXIV 22; Busolt § 218 p. 192.

[7]) cf. Meier l. l. p. 138 sqq.; And. de myst. 73; [Dem.] LVIII 1. LIX 7; argum. ad [Dem.] or. XXV.

[8]) cf. Heydemann: »de senatu Athen. quaest. epigr. sel.« in: »dissertat. phil. Argent. sel.« vol. IV p. 27 [173].

[9]) cf. Dem. XXIV 144.

[10]) cf. Poll. VIII 50; [Dem.] LVIII passim.

[11]) id quod H. Meuss l. l. p. 19 in suspicionem vocat.

[12]) cf. Petit l. l. p. 465. — De ἐνδείξεως et ἀπαγωγῆς actionibus cf. H. Meuss l. l. p. 17 sq.

patre solvere filiorum est, ad quos, nisi solverint, capitis deminutio transit.[1])

Quaerentes autem, quomodo debitor satisfecerit rei publicae et rursus ἐπίτιμος factus sit, quattuor reperiemus species.

a. Ac primum quidem, si debitor aes alienum persolvit, nomen eius ex tabulis publicis statim expungitur,[2]) et ipse rursum ἐπίτιμος fit.

b. Praeterlapso autem eo tempore, post quod ipso iure publicatio instituenda est, uni aut pluribus[3]) mandatur, „ἀπογράφειν τὰ χρήματα," ut videlicet indicem bonorum faciant.[4]) Deinde οἱ πωληταί bona vendunt.[5]) Qua in venditione aerarium publicum quasi ius primae actionis ex hypotheca habet. Postquam igitur rei publicae cautum est de pecunia, tum demum etiam privati bona repetendi facultatem habent; si vero res publica bonorum publicatione constituta totam rem familiarem vindicavit, privatis controversiam de bonis publicatis fisco movere licet.[6]) Venditatis igitur bonis res publica sibi satisfecit. Quodsi bona debitoris publicata et vendita plus efficiunt quam debitum duplicatum, id quod excedit, debitori, aut ipsi aut eo mortuo heredibus, a senatu[7]) redditur.[8]) Sin venditis debitoris bonis non, quantum ad solvendum duplicatum debitum satis est, in aerarium rediit, debitor rei publicae ille manet idemque ἄτιμος.[9]) Denique si debitor nihil habet bonorum, quae publicari possint, in carcerem conicitur.[1]) Conceditur tamen debitori, ut aut pro eo alius solvat aut, quantum debiti supersit, ad id solvendum pecuniam conquirat, quo soluto tollitur capitis deminutio.[2])

c. Nonnunquam deinde populus fictione, qua debitum solutum videbatur, usus est, ea scilicet, ut opus parvum debitori locaretur summa debita. Quam rem Boeckh praeclare ita illustravit, ut tres eiusmodi locationes commemoraret.[3]) Fictio autem haec est, ut res publica pro opere locato summam pendat, quae debitum expleat.[4]) Huc id quoque pertineat, si quis rei publicae non totum debitum persolvat, res publica tamen totum accepisse fingens nomen debitoris ex tabellis expungat: quod num unquam acciderit, incertum videtur.

d. Quarta denique species est debitorum remissio.[5]) Velut Lacedaemone mos erat, ut rege mortuo a successore debita publica remitterentur,[6]) quamquam novum regem de suo pecunias aerario solvisse verisimile est. Atque Athenis Solonem debitis privatis σεισαχθείᾳ[7]) remissis etiam debitores aerarii, qui solvendo non essent, novarum tabularum beneficio in liberum statum restituisse nemo est qui nesciat.[8]) Quod Solon nomine νομοθέτου αὐτοκράτορος[9]) fecit; sed alias debitorum remissio fieri non potuit,

[1]) Cf. Dem. XLIII 58; [Dem.] LIX 7; Petit l. l. IV 9, 15; Meier: »de bon. damn.« p. 141; Busolt l. l. § 158 p. 143.

[2]) In lingua Graeca dicitur: ἐξαλείφειν; cf. Andoc. de myst. 79; [Dem.] LVIII 51. 52; argum. ad [Dem.] or. XXV; vel ἀπαλείφειν; cf. [Dem.] LVIII 50; Boeckh: »Seeurk.« XVIb 130 p. 535.

[3]) Ζητηταί commemorantur apud Lys. XXI 16; Dem. XXIV 11; cf. Harpocr. s. v. ζητητής; Phot. s. v. ζητηταί.

[4]) cf. Meier l. l. p. 201.

[5]) cf. [Dem.] LIX 7; Meier p. 210; Gilbert I p. 227, 2; Busolt § 218 p. 192. — De portione, quae in aeraria deorum redibat, cf. Dem. XXIV 120; Xen. H. Gr. I 7, 20; Meier p. 215.

[6]) cf. Meier l. l. p. 220; Platner l. l. II 20.

[7]) cf. Dem. XL 20.

[8]) cf. Dem. XL 22. XLIII 58; Meier: »de bon. damn.« p. 142; Wachholtz: »de litis instrumentis in Demosthenis quae fertur oratione in Macartatum« (Kil. 1878) § 22; Heffter: »Die athen. Gerichtsverf.« p. 392.

[9]) cf. Meier l. l. p. 141.

[1]) Cf. Nep. Miltiad. VII; Platner l. l. I 44; Meier l. l. p. 152; Wachholtz l. l.

[2]) Qua in descriptione Meieri praeclaram rei tractationem secutus sum; cf. l. l. p. 141.

[3]) cf. »St. d. Ath.« I 514 sq.; Hauvette-Besnault l. l. p. 112, 4; Lipsius l. l. p. 993 not. 641.

[4]) cf. Gilbert l. l. I p. 338, 4.

[5]) In universum cf. de debitorum remissione Buechsenschuetz: »Bes. u. Erwerb« p. 35 sq.

[6]) cf. Herod. VI 59.

[7]) De notione σεισαχθείας cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 330; Gilbert I 130 sq.; Busolt § 123 p. 114 sq.; aliter eam explicant Hermann: »Gr. Staatsalt.« § 106, 6; Buechsenschuetz l. l. p. 36. — Σεισάχθειαν Solon nondum νομοθέτης, sed ἄρχων Plutarcho quidem auctore [Sol. XVI] iam pertulit.

[8]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 362; »Gr. Alt.« I p. 331; Curtius: »Gr. Gesch.⁵« I 318.

[9]) Solon illo tempore »τῆς πολιτείας διορθωτὴς καὶ νομοθέτης« Plutarcho auctore [Sol. XVI] fuit. Eadem potestate Clisthenes usus est, qui inquilinos et libertinos civitate donavit; cf. Aristot. Pol. III p. 1275 b; Oncken: »Staatsl.« II 457; Gilbert I 179, 4; Caillemer: »la naturalisation à Ath.« p. 11; Busolt § 156 p. 141, 8; cf. etiam Schenkl: »Wiener Stud.« II 166.

nisi rogatori venia data erat. Valuit enim de ea re lex in Demosthenis Timocrateam inserta,[1]) qua, ut Schoemanni verbis utar, interdicitur, „ne cum populo agatur de iis, qui capite deminuti sint, in integrum restituendis neve de iis, qui aut publico aut sacris deorum aerariis debeant, debito aut toto aut ex parte levandis, nisi ita, si sex milia haud minus civium in contione impunitatem actori concesserint suffragiis occultis; atque tunc ita agi liceat, prout senatus populusque statuerit.“[2]) „Quodsi quis absque hac venia in senatu aut in comitiis remissionem (multae aut a senatu aut a populo aut a iudiciis impositae) supplicasset, sive debitor ipse: nomen eius deferri (per ἔνδειξιν)[3]) leges iusserunt, quemadmodum eorum, qui, cum populo deberent, iudices facti essent; sive alius quis pro debitore: omnia eius bona publicari; proedrum autem, qui eorum causa populum in suffragium misisset, capite minui atque ἄτιμον fieri.“[4]) Ac rem ita se habere legemque genuinam esse ipsius Demosthenis verba demonstrant[5]), quibus dilucide dicitur ei ἀδείᾳ opus fuisse, qui rogationem laturus esset, ut ἄτιμοι in integrum restituerentur, utque debitori fiscali aut totum debitum aut pensiones concessae remitterentur. Postquam autem totus populus[6]) aut — qui totius populi vice fungebantur — sex milia civium veniam dederunt, tum demum cum populo senatus probuleumate perlecto in contione rogatori agere licuit de debiti publici remissione debitorisque in

[1]) Cf. Dem. XXIV 45 et alteram eiusdem legis partem § 50; Schoemann: »Gr. Alt.« I 399; Gilbert I 338, 3; Lipsius l. l. p. 991; Busolt § 194 p. 175, 3. § 218 p. 192, 13; Caillemer l. l. — Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 2 legis formulam hanc fuisse censet: »ne quis rogaverit, ut ei, qui populo vel sacro pecuniam debeat, concedatur, aut ut nihil solvat aut ut pro debita repraesentatione pecuniam creditam solvat diebus rogatione constitutis«.

[2]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 275 sq.; cf. etiam de hac lege Boeckh: »St. d. Ath.« I 455 adn. c; Lipsius: »Att. Proc.²« p. 992.

[3]) cf. Poll. VIII 50; Dem. XXI 182; [Dem.] LVIII 14; Bekk. An. Gr. 250, 10, ad quem locum conferatur Boeckh: »St. d. Ath.« I 512 sqq.; Gilbert l. l. I 244 adn. 3 et 4.

[4]) cf. Schoemann: »de comit. Athen.« p. 288 sq.; Meier: »de bon. damn.« p. 145.

[5]) cf. Dem. XXIV 46. 52. De his poenis v. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 5.

[6]) cf. Dem. XXIV 48.

priorem statum[1]) restitutione. Exemplo utor Timocrate, qui cum ex aliis tum ex hac causa παρανόμων accusatus est, quod venia non impetrata remissionem rogavit.[2]) Quamquam Valeton[3]) ex eo, quod Demosthenes „non verbo arguerit bona Timocratis fuisse publicanda“, demonstrare studet legem Timocrateam non privilegium fuisse; quod si fuisset, γραφὴ παρανόμων non suffecisset. Atque concedo equidem illam legem non privilegium fuisse et oratorem „nimium probandum suscepisse“. Verum ex eo non sequitur, ut, si Timocrates privilegium vetitum rogasset ἀδείᾳ non impetrata, γραφὴ παρανόμων non fuerit suffectura. E contrario mihi quidem sequi videtur, ut haec actio etiamtum intendi potuerit, cum aliae ex legibus constitutae sint.[4]) De publicandis sane bonis rei in Timocratea non agit orator, quod argumenta parum firma fuissent.

Utique autem, quamquam debitorum remissionis beneficium non saepe tributum est, tamen non desunt exempla, quibus comprobetur id et pluribus (in amnestiis) et singulis irrogatum esse. Et copiosissime de re agitur in Patroclidis psephismate[5]), quod ita incipit: Ἐπειδὴ ἐψηφίσαντο Ἀθηναῖοι τὴν ἄδειαν κτλ. Atque etiam filiis Lycurgi oratoris debitas multas a populo remissas esse memoriae proditum est.[6]) Quam rem tractans Boeckh [„Staatsh. d. Ath.“ I 516 adn. a] duobus ex Plutarcho[7]) et ex Ps.-Demosthene[8])

[1]) Cf. Petit ll. l. IV 9, 22; Platner: »Proc. u. Kl.« I 443—446. II 134—138 [quo loco de iis capite deminutis agitur, qui debitorum fiscalium nomine ἄτιμοι facti sunt].

[2]) cf. Dem. Timocr. (or. XXIV) passim.

[3]) cf. Mnemos. n. s. XV p. 5 sq.

[4]) Nam cum orator, qui Timocratem privilegium vetitum rogasse contendit, illum παρανόμων accuset, quamquam alias quoque actiones [e. c. ἔνδειξιν (cf. Dem. XXIV 50; v. supra p. 24 adn. 6)] intendere licuit, sequitur, ut in his rebus semper γραφῆς παρανόμων adhibendae accusatori facultas fuerit; v. supra p. 8; p. 17 adn. 1.

[5]) cf. Andoc. de myst. § 77—80.

[6]) cf. [Aesch.] epist. XII 14; Platner l. l. I 445 sq.; Meier: »de vita Lycurgi« p. LVII sqq.; praefat. Taylori ad Lycurgum ap. Reisk. orat. Gr. vol. IV 118. Aliam restitutionem Hyperides rogavit; cf. Suid. s. v. ἀπεψηφίσατο [cf. Hyperidis (ed. Blass) fragm. 33]. De hac re et simili Ephesiorum populiscito cf. Schenkl: »Wiener Stud.« II 181 adn. 38.

[7]) Plut. Demetr. XXIV.

[8]) Ps.-Dem. epist. III 24 p. 1480, 10; cf. Lipsius l. l. p. 993 et adn. 639.

commemoratis exemplis haec recte addit: „Es ist vorauszusetzen, wenn auf Fürbitte von Königen wie in den Fällen bei Ps.-Demosthenes und Plutarch Demetr. eine Schuld erlassen wurde, sei auf Grund dieser Fürbitte die ἄδεια zuerst nachgesucht worden.“ Verum in civitatibus subiectis populum Atheniensium, ut rem publicam componeret, cum alia tum debitorum remissionem simplici psephismate decrevisse per se ipsum intellegitur.[1])

Iam vero indagemus, utrum remissione debitorum publicorum concessa respublica, cum debitum in tabulis deletum sit, pecuniarum iacturam fecerit, an aliunde id, quod periit, suppleverit.[2]) Non difficile intellegi potest lacunam aerarii extraordinario videlicet tributo explendam fuisse, nisi habuisset res publica, unde impensas publicas praestaret. Quod non obscure ex Demosthenis or. XXIV 161 patet, ubi haec legimus: . . δημηγορίαν δ' ἐπὶ τούτοις ποιούμενος, ὡς ἔστι τριῶν αἱρεσις ὑμῖν, ἢ τὰ πομπεῖα κατακόπτειν ἢ πάλιν εἰσφέρειν ἢ τοὺς ὀφείλοντας εἰσπράττειν. . . Itaque si debitae pecuniae, sive remittebantur sive non impendebantur, non redirent, extraordinario tributo pecuniae conferri solebant, ut equidem opinor. Sed idne semper et unde factum sit, incertum est; etiam incertius, utrum pecuniae debitae, quas remittendas populus decreverit, in tabulis ab iis, quos πράκτορας Graeci vocant, magistratibus deletae sint, ita quidem, ut lacuna fuerit in tabulis, an earum pecuniarum loco summa, quae redierit εἰσφορᾷ, relata sit. Ex Patroclidis sane psephismatis verbis: ἐξαλεῖψαι τοὺς πράκτορας[3]) ab illis magistratibus nihil aliud nisi expunctas esse summas debitas videtur colligendum; tamen id abhorreret a gravissima illa lege et formula iuris publici Attici, qua et aerarium et tabulae publicae rata esse iubentur. At ob hanc ipsam causam, quod rogator aerarium publicum illegitime deminuturus erat, ei ἀδείᾳ opus fuit. Verumtamen rem disceptare non audeo.

Sed ad legem de remissione debitorum supra (p. 38) allatam revertamur. Quam non integram esse iam Schoemann perspexit,

[1]) Cf. CJA. IV 1, 61 a; v. supra p. 24 adn. 5.

[2]) Certi enim reditus ad nonnullas impensas ordinarias faciendas a populo erant destinatae: velut multae ad mercedem heliastarum (c. sexaginta talenta per annum; cf. Busolt § 225 p. 198, 7); cf. Gilbert I p. 321, 2; Busolt § 213 p. 188, 3.

[3]) cf. And. de myst. § 79.

qui, postquam de hac lege disseruit [„de com. Ath.“ p. 275 not. 55], ita pergit: „Quid illud sit: περὶ τάξεως, Ulpianus docet ad h. l., quamquam is locus non satis sanus videtur. Nam, ut nunc legitur, ἄφεσιν explicat, quae nulla explicatione eget, et ita quidem, ut perspicuum sit eam explicationem ad τάξιν pertinere. Sed excidisse nonnulla videntur.“ Tamen Schoemanni explicatio non sufficit. Quaeritur enim, quid ad haec verba: ἢ τάξεως supplendum sit: „περί“ an „περὶ ἀφέσεως“; utrum legendum sit: μηδὲ [sc. δεῖ λέγειν ἢ ἐπιψηφίζειν[1]]..... περὶ ἀφέσεως τοῦ ὀφλήματος ἢ <περὶ> τάξεως, an: ἢ <περί ἀφέσεως> τάξεως. Nam si legendum esset: „ἢ <περὶ> τάξεως“, diceret lex in comitiis de pensionibus debitorum agere non licere nisi venia data; sin: „ἢ <περὶ ἀφέσεως> τάξεως“,[2]) diceret de remittendis pensionibus agere non licere nisi impunitate impetrata, sed non diceret, num omnino ei ἀδείᾳ opus sit, qui a populo petiturus est, ut pensiones sibi concedantur. Fortasse igitur interciderint nonnulla, quae hanc rem illustraverint; quamquam, quae vera sententia loci sit, vix dubitari potest. Idem enim, quod de remissione totius debiti dicitur, ad remittendas pensiones debitoribus aerarii concessas pertinet, itaque ne id quidem nisi venia data a populo decretum est.[3]) Quae

[1]) Cf. And. de myst. § 77; CJA. I 32B vs. 16. I 31, 20. II 17, 51. II 203, 26. II 610, 13; Thuc. II 24. VIII 15.

[2]) cf. Platner: »Proc. u. Kl.« II 134.

[3]) Aliter Boeckh l. l. I 516 et Gilbert l. l. I p. 338, 3 iudicant, qui e lege supra commemorata ne pensiones quidem rogare licuisse nisi venia data colligunt; cf. Busolt § 194 p. 175. § 218 p. 192, 13; Lipsius l. l. p. 991; Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 3. Sed in lege de remittendis tantum pecuniis actum videtur fuisse; num autem ei, qui rogaturus esset, ut pensiones sibi concederentur, ἀδείᾳ opus fuerit, non certo constat. In argumento ad [Dem.] or. XXV dicitur: τάξιν αἰτησάμενος τοῦ ὀφλήματος, nihil de venia data aut non data. Contra e Thucydidis verbis III 70, 5: . . . ὀφλόντων δὲ αὐτῶν καὶ πρὸς τὰ ἱερὰ ἱκετῶν καθεζομένων διὰ πλῆθος τῆς ζημίας, ὅπως ταξάμενοι ἀποδῶσιν . . . . sequi videtur, ut his quoque venia rogandi opus fuerit. Nam etiamsi de Corcyraeis hoc loco agitur, tamen idem in Atheniensium res transferre licet. Et Thucydidis sane verbis, quae exscripsi, non dilucide dicitur rogatori ἄδειαν impetrandam fuisse, sed hoc tantum, illos supplices pensiones a populo petiisse. At haec supplicatio leges violat, quae debitores fiscales statim pendere iubent. Ceterum tributi remissio cum pensionibus concedendis coniungitur: CJA. I 40. — Utique decretae sunt nonnunquam pensiones, atque etiam longa spatia debitoribus data sunt: velut debiti solutio e. c. in decem annorum pensiones distributa est; cf. argum. ad

pensiones voce τάξεων[1]) significantur, et ii, qui spatia sibi statuunt, appellantur: οἱ ταξάμενοι.[2])

Itaque ut paucis complectar, quae singillatim exposita sunt: ἄδεια fuit impetranda, si quis rogaturus esset, ut totum debitum debitori aerarii remitteretur aut pensiones a populo concessae, sive debitor ipse rogationem laturus erat sive alius quis pro illo. Namque etiam debitori fiscali ipsi veniam rogandi et hac impetrata remissionem debiti a populo petere licuisse supra (p. 24 sq.) dixi. Cum autem idem ἄτιμος atque negotiorum publicorum expers sit, ob hanc quoque causam ei impunitate rogandi opus fuit.[3]) Verum si populus venia data debiti remissionem decrevit, cum hac etiam restitutio in priorem statum coniuncta est, id quod in Patroclidis psephismate diserte dicitur [And. de myst. § 78]. Contra debitoribus aerarii, quibus venia data verba facere in comitiis licuit, debitum non remissum esse puto.[4])

[Dem.] orat. XXV. Ceterum debitores ἄτιμοι manent, donec totum debitum pensum est; cf. ibid.

[1]) cf. Hesych. s. v. τάξις: ἡ ἐπὶ ὀφειλομένοις χρήμασι καταβολή; Fraenkel: »Die att. Geschworenenger.« p. 17 not. 1.

[2]) cf. Thuc. I 117, 3. III 70, 5. — Vox τάξεως (sc. τοῦ φόρου) etiam tributorum pensiones significat, et οἱ ταξάμενοι ii socii appellantur, qui ipsi censum deferunt; cf. CJA. I 243 (VI) v. 5: πόλεις αὐταὶ φόρον ταξάμεναι; ibid. I 244 (II) v. 71. I 256, 37. Id nonnullarum urbium privilegium erat; cf. Philol. XLI 659. 668 sq.; Boeckh: »St. d. Ath.« (I 516 b). II 613 sqq.; Heydemann: »de senatu Athen.« p. 32 [178]; Gilbert I p. 396, 2; Busolt § 242 p. 215. Velut Methonaei ab Atheniensibus petunt, ut aut tributum sibi remittant aut pensiones [τάξιν] concedant; cf. CJA. I 40, 12. Sed haec significatio vocis huc non pertinet, quamquam hoc loco de ea re aliquid actum esse puto (v. infra s. III 3).

[3]) Nam si quis ἄτιμος iura τῶν ἐπιτίμων exercere e. c. apud populum contionari vellet, veniam ei impetrandam fuisse demonstratum est; cf. Westermann in Paulyi: »Real-Encycl.« I 1 p. 168.

[4]) Quae cum ita sint, Demadi oratori (v. supra p. 25) pluribus de causis ἀδείᾳ rogandi opus fuit. Plutarchus enim Phoc. XXVI haec dicit: . . Δημάδης δὲ μηθὲν μέρος ὧν ὤφειλε χρημάτων ἐπὶ ταῖς καταδίκαις ἐκτῖσαι τῇ πόλει δυνάμενος (ἠλώκει γὰρ ἑπτὰ γραφὰς παρανόμων καὶ γεγονὼς ἄτιμος ἐξείργετο τοῦ λέγειν), ἄδειαν εὑρόμενος (»veniam consecutus«) τότε γράφει ψήφισμα πέμπειν πρὸς Ἀντίπατρον ὑπὲρ εἰρήνης πρέσβεις αὐτοκράτορας. [cf. ad h. l. Platner: »Proc. u. Kl.« I 444 sq.] Ἀτιμίας igitur causa non solum ea fuit, quod pendere Demades non potuit, sed idem ἀτιμίᾳ affectus est, quod iterum ac saepius παρανόμων est convictus. Quamquam haec res non satis certa est. Nequaquam

Quoniam demonstravimus remissiones debitorum nonnunquam Athenis factas esse, idque venia rogatoribus prius data, nunc oritur quaestio, quam ob rem ἄδεια iis rogatoribus impetranda et qua ratione data sit a populo.

Ac si quis pro altero remissionis rogationem ferebat, leges violabat, quae eam rogari vetabant. Quod interdictum est, quia τοῦ κοινοῦ integritati imminebat rogatio. Nam multae Athenis in ordinariorum redituum numero referuntur, aerarium autem publicum ratum sit oportet.[1]) Sin ipse debitor fiscalis remissionem rogabat, altera quoque causa extat, cur ἀδείᾳ ei opus fuerit. Capite deminutos enim apud senatum populumque verba facere leges vetant; itaque si quis ἄτιμος hoc ius sibi arrogat, — is qui civium munera improbe neglexit ideoque impurus factus est — contionem populi polluit et summam populi potestatem violat, qua prohibetur, ne civitatem exerceat. Atque illius nomen per ἔνδειξιν deferri leges iusserunt, si venia non concessa rogavisset. Quodsi remissio debitorum eiusmodi privilegium est, quo τὸ κοινόν illegitime deminuatur,[2]) de ea rogatione tum demum agere licuit, postquam totus populus occultis suffragiis

---

autem est, quod non probemus id, quod Plutarchus tradit. Meier sane [»de bon. damn.« (p. 141) not. 459] Plutarchum errasse dicit his verbis: »Narrationem Plutarchi . . . . falsam esse duplici potest argumento effici; nam cum supra [not. 435 (non 441)] probaverimus eum, qui ter παρανόμων convictus esset, ea infamia notatum fuisse, qua a dicendo in senatu populoque arceretur, Demades non potuit septies παρανόμων convinci, et cum, quamdiu quis multam sibi impositam nondum pependisset, ἄτιμος esset, ne ad secundam quidem potuit Demades rogationem admitti, antequam multam ob priorem rogationem sibi impositam deposuerat«. Sed altera nullius momenti causa est, propterea quod Demadi venia data rogationem ferre licuit; cf. verba: ἄδειαν εὑρόμενος. Alia est causa vocis ἑπτά. Lex erat, ut, si quis oratorum ter παρανόμων convictus esset, aliqua ex parte ἄτιμος esset. Quamquam hoc verbum »τρίς« duobus tantum locis (et altero loco emendatione restitutum) invenitur, tamen rectius videtur quam ἑπτά. Analogiae loco id commemoro, si quis ter falsum testimonium dixisset, ipso iure capite deminutum eum factum esse; cf. Platner l. l. I 419 sq. Ad nostrum locum Platner [l. l. I 415] adnotat: cum is, qui ter παρανόμων convictus esset, a dicendo in senatu populoque arceretur, in Demaden hanc legem non adhibitam esse posse; quae sententia non improbabilis videtur.

[1]) v. supra p. 32.

[2]) Nam multas in reditus ordinarios rei publicae relatas esse supra dixi; simul restitutio in integrum τὸ κύριον violat; v. supra p. 23.

veniam dedit; nam, ut ait [Dem.] LVIII 20: οὐ... δεῖ τὴν πόλιν ἀπεστερῆσθαι τῶν ἐκ τῶν νόμων ἐπικειμένων ζημιῶν. Dat autem populus veniam eiusmodi rogationis ferendae, ut aerarii dimittendi sint, confisus debitores solvendo non esse; neque enim aliter ille debitum remisisset. Deinde debitorem aerarii, de cuius resitutione agebatur, eo privilegio dignum esse oportebat.[1]) Sed hae causae, quae ad ipsam remissionem gravioris momenti erant quam ad veniam dandam, non sufficiebant. Namque notum est viros de republica optime meritos, cum pecuniam debitam pendere non potuissent, in vinculis publicis mortuos esse eorumque ἀτιμίαν ad filios transisse.[2]) At vero remissio debitorum extra ordinem facta est temporibus periculosissimis, quibus populus omnibus civibus eorumque consiliis et operis utebatur, aut tumultu intestino oppresso, cum factio, quae superior discesserat, satius esse putabat capitis deminutione sublata discordias civiles et novis tabulis multorum civium inopiam sublevare.

IIb. Populus ei veniam dat, qui rogatione aerarium sacrum violaturus vel illegitime deminuturus est.

Aerarium publicum aut illegitime deminuendis aut augendis pecuniis violari posse supra (p. 32) exposui; nam integritas aerarii opibus publicis non solum iacturam facientibus sed etiam extra ordinem amplificandis laeditur. Itaque ad duo genera ἀδείας tractanda nunc iam accessurus sum, ubi pecuniis illegitime auctis, ne integrum sit aerarium, prohibetur, eamque ἀδείας dandae causam esse putet quispiam;[3]) at rem aliter se habere videbimus. Ac primum quidem de pecuniis sacris ad usum publicum adhibendis, deinde autem de extraordinariis tributis (εἰσφοραῖς) rogandis dicam.

Antequam vero in ipsam rem inquiramus, paucis Atheniensium aerarium publicum attingam necesse est.

Persis devictis cum insulae Ioniae Atheniensibus ducibus primum sociale foedus inissent, civitates foederatae aerarium

[1]) Cf. [Dem.] XXV 18. LVIII 24.

[2]) cf. Herod. VI 136; Nep. Miltiad. VII; [Aesch.] epist. III 2; Meier: »de bon. damn.« p. 178; cf. etiam Hauvette-Besnault: »Les Stratèges Athéniens« p. 107 sq.

[3]) Qua de causa nonnullas res hoc loco exponere malui, quamquam ad priorem commentationis partem pertinent.

commune colligendum esse intellexerunt, unde bellum contra Persas persequerentur. Ex annuis igitur sociorum tributis aerarium sociale coactum est Delique depositum, cuius qnaestores Hellenotamiae erant. Sed notum est ex sociis (συμμάχοις) paulo post subiectos (ὑπηκόους) factos esse, itaque cum dignitate et auctoritate Athenarum congruebat, quod c. annum 454 aerarium sociale Delo Athenas translatum et re vera in aerarium publicum Atheniensium mutatum est,[2]) ex quo non modo in rem communem h. e. militarem pecuniae impensae, sed etiam ad Atheniensium aedificia, dies festos aliasque horum res collatae sunt.[2]) Et consimili modo populus Atheniensium eis pecuniis libero arbitrio usus est, quae ex tributis redundantes apud quaestores Minervae depositae erant,[3]) quorum sub custodia totum aerarium in arce, in postica Parthenonis[4]) cella, reservatum est. Qua re aerarium non deae factum est,[5]) sed publicum mansit in sacra deae tutela depositum[6]) a civitate in templo Minervae, ut is, qui has pecunias averteret, sacrilegium[7]) committeret. Partem tantummodo tributorum (minam de talento[8]) populus Atheniensium deae quotannis

[1]) Cf. Gilbert I p. 318 sqq. p. 391, 3; Busolt § 212 p. 187, 11. § 240 p. 212 sqq. § 242 p. 216.

[2]) Num omnino aerarium publicum Atheniensium ante id tempus fuerit, dubitari potest; posteriore aetate pecuniae ex reditibus superfluae distribui solebant; cf. Busolt § 213 p. 188.

[3]) cf. Bekk. An. Gr. 306, 7; Gilbert I p. 234, 3; Hauvette-Besnault l. l. p. 132, 4; Busolt § 213 p. 189, 2. § 242 p. 216. — Num pecuniae ex reditibus annuis redundantes, si quae fuerint (cf. adnot. 2), his aerarii socialis pecuniis additae sint, incertum est; cf. Gilbert I 318; Busolt § 213 p. 188.

[4]) cf. Gilbert I 318; Busolt § 213 p. 189; depositae erant hae pecuniae dextra; cf. CJA. I 32B vs. 23. In eandem Parthenonis cellam (sinistra) anno 435/4 etiam reliquorum deorum pecuniae delatae sunt [cf. Busolt § 213 p. 189], quas οἱ ταμίαι τῶν ἄλλων θεῶν administrabant [Tabulae quaestorum reliquorum deorum, quae extant, leguntur CJA. I 194—225]. Anno 403/2 ex duobus quaestorum collegiis unum est factum: οἱ ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίας καὶ τῶν ἄλλων θεῶν; cf. CJA. II 642sqq.; Busolt § 178 p. 159. Inter annos 390/89 et 385/4 duo collegia denuo seiuncta sunt [cf. CJA. II 660. 667. 671. 672], sed c. annum 321/22 rursus coniuncta esse videntur; cf. Koehler ad CJA. II 719; Gilbert I 235; Busolt § 178 p. 160.

[5]) cf. Kirchhoff: Abhdl. d. Berl. Ak. d. Wissensch. 1876 p. 21 sqq.; Busolt § 213 p. 189, 2.

[6]) cf. Büchsenschütz: »Bes. u. Erw.« p. 508.

[7]) De ἱεροσυλίᾳ cf. Schoemann: »Gr. Alt.« II 142.

[8]) cf. CJA. I 226.

tamquam ἀπαρχήν consecravit,[1]) quo dono nulla foederata civitas liberabatur, ne tum quidem si Athenienses per privilegium tributum ei remiserant.[2]) Quae ἀπαρχαί ab Hellenotamiis[3]) quaestoribus aerarii Minervae (ταμίαις τῆς θεοῦ)[4]) pensae sunt logistis custodibus.[5]) De eroganda autem quemcunque in usum ex aerario publico et sociali[6]) pecunia ab ipso tantum populo Atheniensium decerni potuit,[7]) et psephismate de adhibendis pecuniis perlato quaestores Minervae[8]) eam, quam populus decreverat, summam Hellenotamiis[9]) vel iis magistratibus pendere iussi sunt, quos psephisma constituerat.[10]) Verum non totius aerarii in templo reservati populo psephismate simplici facultas erat erogandi; discernenda enim sunt ὅσια et ἱερὰ χρήματα.[11]) Et ὅσια quidem χρήματα[12]) ea sunt, quae ad publicos profanosque usus populo adhibere licet, ἱερά autem ea, quae deorum sacra sunt et in divinas tantum res impendi possunt.[13])

Sed nonnunquam aliqua ὁσίων χρημάτων vel ipsius publici aerarii pars (aut ex Holwerdae sententia, qui sacras tantum

[1]) Cf. Boeckh: »St. d. Ath.« I 578; Kirchhoff l. l. p. 28 sqq.; Gilbert I p. 319; Busolt § 213 p. 189. § 240 p. 213. § 242 p. 216, 11; Beloch: N. Rh. Mus. XXXIX 55.

[2]) cf. CJA. I 40.

[3]) cf. CJA. I 32.

[4]) Οἱ ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίας vel ταμίαι τῶν τῆς θεοῦ vel ταμίαι τῆς θεοῦ hi appellantur.

[5]) cf. tabulas tributorum CJA. I 226—272. — De hoc logistarum munere cf. CJA. I 32; cf. etiam CJA. I 226. 228. 273.

[6]) Quod aerarium Gilbert: »Staatsschatz«, Busolt rectius: »Reichsschatz« vocat; cf. e. c. Gilbert I p. 318; Busolt § 213 p. 189.

[7]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 295.

[8]) Administrabant hi quaestores Minervae Poliadis et Victoriae aeraria separatim: CJA. I 273; cf. Busolt § 178 p. 159.

[9]) cf. Hauvette-Besnault p. 132.

[10]) cf. Kirchhoff l. l. p. 37; Gilbert I 319. — Rationes pecuniarum Minervae Poliadis et Victoriae in CJA. I 177 sqq. leguntur; cf. Busolt § 213 p. 189.

[11]) cf. e. c. Dem. XXIV 11; Kirchhoff l. l. p. 32 sq.

[12]) Holwerda quidem [»de sacris pecuniis« in Mnemos. n. s. XIV (1886) p. 113 sqq.] coniecit τοὺς ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων aerarium publicum non administrasse neque has publicas pecunias in templo Minervae asservatas esse; sed pro certo id dici non potest.

[13]) cf. Schoemann l. l. p. 297 adn. 2.

pecunias in arce adservatas esse putat,[1]) aliqua ἱερῶν χρημάτων pars) imprimis sancta[2]) et iis rebus, ad quas seposita erat, exceptis integra intactaque ad ultimos casus servata est, quam ob rem quaestores de illa summa pendere vetiti erant. Tamen res publica interdum necessitate coacta ex hac aerarii parte pecunias ad publicum usum legitimis rebus quibusdam confectis depromi iussit. Id enim non prius rogare licuisse, quam populus rogationis veniam vel, ut nostrae aetatis significatione utar: „Indemnitaet“ decrevisset,[3]) ex Thucydide II 24 patet, qui de sepositis mille talentis haec dicit: καὶ χίλια τάλαντα ἀπὸ τῶν ἐν τῇ ἀκροπόλει χρημάτων ἔδοξεν αὐτοῖς ἐξαίρετα ποιησαμένοις χωρὶς θέσθαι καὶ μὴ ἀναλοῦν, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἄλλων πολεμεῖν· ἢν δέ τις εἴπῃ ἢ ἐπιψηφίσῃ κινεῖν τὰ χρήματα ταῦτα ἐς ἄλλο τι, ἢν μὴ οἱ πολέμιοι νηίτῃ στρατῷ ἐπιπλέωσι τῇ πόλει καὶ δέῃ ἀμύνασθαι, θάνατον ζημίαν ἐπέθεντο. Quod anno 431 decretum est;[4]) reapse autem hae pecuniae Thucydide auctore usque ad annum 412 integrae manserunt,[5]) quo anno Athenienses, cum pecuniae indigerent, ut Thucydidis[6]) verba mea faciam: .... τά τε χίλια τάλαντα, ὧν διὰ παντὸς τοῦ πολέμου ἐγλίχοντο μὴ ἅψασθαι, εὐθὺς λύσαντες τὰς ἐπικειμένας ζημίας τῷ εἰπόντι ἢ ἐπιψηφίσαντι ὑπὸ τῆς παρούσης ἐκπλήξεως [καὶ] ἐψηφίσαντο κινεῖν ...., i. e. rogatori ἄδειαν dederunt.[7]) Ex quibus sequitur, ut Athenienses infinitam potestatem earum tantum publicarum pecuniarum habuerint, quae non ad certas res sepositae essent. Ex hac autem, quam supra diximus, parte populo tum demum pecunias erogare licuit, cum veniam rogatori decrevisset[8]). Contra venia non impetrata rogator, propterea quod populi psephisma has pecunias depromi dilucide vetaret, supplicio affectus est.[9])

Atque qua de causa rogatori ἀδείᾳ opus fuerit, non dubium videtur in Attico quidem iure publico. Nam si ius Atheniensium

[1]) V. supra p. 46 adn. 12.

[2]) vel, ut recenti nomine utar: »als eiserner Bestand, als Notfonds des Schatzes«.

[3]) cf. Boeckh: »St. d. Ath.« II 41.

[4]) cf. Busolt § 214 p. 190.

[5]) cf. Thuc. VIII 15 (ed. Stahl); Philoch. fr. 116 (ed. Muell.).

[6]) Thuc. VIII 15.

[7]) Eis Thucydidis verbis Boeckh l. l. II 64 naturam ἀδείας recte explicari dicit.

[8]) cf. Boeckh: »St. d. Ath.« I 582; Busolt § 194 p. 175.

[9]) cf. Thuc. II 24; Busolt § 214 p. 190.

— sicut Romanum — accuratissime in artem redactum esset, eam ἀδείας dandae causam statuere oporteret, quod pecuniae ad rei publicae administrationem aut ad bellum gerendum destinatae illegitime augerentur, itaque τοῦ κοινοῦ integritas laederetur. Quam impunitatis rogandi causam in iure Attico frustra quaeras;[1]) sed altera subest, quae gravioris momenti est. Rogatione enim lex violatur et summa populi potestas, qui iustis causis illas pecunias non adhibendas, sed quodammodo sacras intactasque habendas esse decrevit. Absumpta enim illa summa rei publicae opes detrahuntur, quibus in maximis periculis, ad quae sedanda pecuniae sepositae essent, eius saluti consulatur; itaque rogator rei publicae salutem ad incertum revocat.[2]) Contra difficili rei publicae tempore omnibus subsidiis civitas utebatur, cumque sanctior aerarii pars, ita ut in ultimis periculis rei publicae prodesset, servaretur, populus ei, qui in imminenti periculo, ut eae pecuniae adhiberentur, rogaturus erat, ἄδειαν denegare non potuit. Rursum, cum ἀδείᾳ rogatori opus esset, impediebatur populus, ne temere pecuniis, quae data occasione rem publicam servare possent, uteretur.

Antequam autem rem inceptam persequamur, appendicis loco similia nonnulla hac occasione exponemus.[3])

Populus enim Atheniensium leges quasdam et instituta abrogari vetuit.[4]) Itaque, priusquam de ea re agere liceret, impunitas rogationis ferendae impetranda erat. Ad eam autem, de qua nobis agendum est, rem abrogatio legum de pecuniis quibusdam adhibendis pertinet.[5])

Pericle rem publicam Atheniensium gubernante ad sacra et spectacula concelebranda populo pecuniae (τὸ θεωρικόν) distribui

[1]) V. supra p. 32 adn. 4.

[2]) Si autem hae pecuniae, sicut Holwerda quidem putat (cf. Mnemos. n. s. XIV p. 114 sqq.), sacrae fuerunt, rogatio illa non legitima fuit, quia, ut videbimus, pecunias sacras in usus profanos adhibere, nisi venia rogatori data est, non licuit. Quod si verum esset, hac in re duae ἀδείας dandae essent causae. — Ceterum id quoque fortasse spectandum est, ut ex pecunia in templo deposita dea perceperit usuram, quam summa absumpta — nisi pecunia re vera deae fuerit — non iam pensam esse a populo verisimile est.

[3]) Hae quoque res ad priorem quidem commentationis partem (v. p. 44 adn. 3) pertinent, sed quia de pecuniis adhibendis agitur, huc eas referendas censui.

[4]) cf. Mnemos. n. s. XV p. 5.

[5]) cf. Dem. XXIII 62; Platner: »Proc. u. Kl.« II 43; Petit l. l. IV 10, 9 p. 475 sqq.

solebant,[1]) quae largitiones postea per Agyrrhium quendam auctae sunt. Cum autem Eubulus reditus publicos administraret, omnes ex reditibus superfluae pecuniae populo datae sunt.[2]) Quare Apollodorus Ps.-Demosthene [LIX 4. 5] auctore cum anno trecentesimo quinquagesimo a. Chr. n. rogationem tulisset, ut eae pecuniae, quae de reditibus publicis superessent, in sumptus rei militaris adhiberentur,[3]) populus quidem, ut id fieret, scivit, Apollodorus autem παρανόμων a Stephano quodam accusatus quindecim talentis multatus est;[4]) idque merito, si quidem et lex valuit[5]), quae eam rogationem ferri vetabat, neque Apollodorus impunitatem rogandi sibi dandam curavit. Impunitate autem rogatori opus fuit, perinde ac si quis rogaret, ut pecuniis illis sepositis, de quibus paulo ante diximus, uteretur populus. Summa enim populi potestas rogatione violabatur, quam ferri populus vetuerat. Si nihilominus populus, ut rogatio ferretur, concessit et in gratiam alicuius hominis lex sublata est, id, nisi ἄδεια data esset rogatori, fieri non potuit. Re vera autem illa lex — si quidem valuit — nec rem publicam nec τὸ κοινόν tuebatur, sed civium commoda quaedam cum damno rei publicae, quare ἀδείας institutum, si rogator eam petiisset, in hac re perverse adhibitum esset. Omnino autem dubitari non potest, quin populus in Apollodori damnatione γραφῆς παρανόμων institutione tam insolenter usus sit, ut ex democratia iam pridem ochlocratia videatur facta esse. Nam lex, etiamsi Apollodori rogationem ferri vetabat, ab altera dissentiebat, quae pecunias ex reditibus superfluas in bellum gerendum insumi iussit.[6]) At, num re vera ea fuerit lex, non satis liquet. A grammaticis[7]) quidem traditur non multo post causam Apollodori diiudicatam Eubuli opera legem perlatam esse,

[1]) Cf. Busolt § 138 p. 124.

[2]) cf. Schoemann: »Ant. i. p. Gr.« p. 307 sq.; Gilbert I p. 229. 318. 320; Busolt § 178 p. 160. § 213 p. 188. § 224 p. 198; cf. Hauvette-Besnault p. 133 sqq. Imprimis conferatur de hac re Fickelscherer: »de theoricis Athen. pecuniis« (Lipsiae 1877).

[3]) cf. Schaefer: »Demosth. u. seine Zeit« II² (Lips. 1886) 82; Gilbert I p. 229. 320 et adnot. 3; Fickelscherer l. l. p. 24 sqq.

[4]) cf. Hauvette-Besnault p. 134; Sauppe ad Dem. orat. Olynth. I 19; Fickelscherer l. l. p. 25.

[5]) Si non valuerit, Apollodorus illegitime damnatus est.

[6]) cf. [Dem.] LIX 4; Gilbert l. l. I p. 320.

[7]) De hac lege cf. Schaefer l. l. I² (Lips. 1885) p. 208 sq.; Sauppe ad orat. Olynth. I § 19; Fickelscherer l. l. p. 23.

quae theoricas illas pecunias in rebus militaribus consumi vetaret, sed, si quis, ut id fieret, rogasset, ut morte multaretur, sanciret.[1]) Illo igitur tempore, quo Apollodorus rogationem tulit, nequaquam lex illa rata fuisse videtur, at vero paulo post eam valuisse verisimile est. Quare Demosthenes non rogationem fert, ut theoricae pecuniae ad bellum impendantur,[2]) sed consilium dat („οὐ γράφει, ἀλλὰ συμβουλεύει").[3]) Si vero rogator illegitimam illam rogationem impune ferre voluisset, a populo venia ei petenda fuisset. Nam illis temporibus etiamsi lex exceptionem petitae impunitatis non addidisset,[4]) tamen, quin populus potestatem ἀδείας dandae sibi arrogaturus fuerit, non dubitandum est. Quaeritur igitur, qua de causa Demosthenes hanc viam non ingressus sit. Atque primum quidem eventus incertus erat, deinde autem oratoris minus intererat ipsum impunitatem habere[5]) et semel exceptionem fieri quam legem in perpetuum abrogari.[6]) Quod per nomothetas tantum fieri potuit, quare Demosthenes [III 10] haec dicit: νομοθέτας καθίστατε· ἐν δὲ τούτοις τοῖς νομοθέταις μὴ θῆσθε νόμον μηδένα (εἰσὶ γὰρ ἱκανοὶ ὑμῖν), ἀλλὰ τοὺς εἰς τὸ παρὸν βλάπτοντας ὑμᾶς λύσατε· λέγω δὲ τοὺς περὶ τῶν θεωρικῶν.... Qua lege abrogata τὰ θεωρικὰ facere στρατιωτικά licuit.[7])

Sed haec hactenus; nunc eo, unde digressi sumus, revertamur. Demonstravimus igitur supra (p. 47) a populo veniam ei petendam

[1]) Cf. argum. ad Dem. I 1; Fickelscherer quidem l. l. p. 25 legem illam valuisse putat, sed »aliis quibusdam legibus esse oblitteratam«.

[2]) cf. Fickelscherer p. 29 sqq.

[3]) cf. argum. ad Dem. or. I s. exit.; Dem. I 19.

[4]) v. supra p. 7.

[5]) cf. Dem. I 16.

[6]) Aliam viam legis cuiusdam abrogandae Plutarcho auctore Solon ingressus est. Bellum contra Megara cum malo eventu gessissent, Athenienses decreverunt, ne quis rogaret, ut bellum renovaretur, qui rogaret, morte puniretur. Tum Solon, homo privatus, restituere animum civium et reconciliare audet. In contione in lapide sedens, ex quo praecones munere fungebantur, quasi mente captus esset, carmen illud recitavit, quod »Salamis« vocatur. Protinus lege abrogata bellum paratur. Plutarchus quidem [Sol. VIII] dicit: . . . λύσαντες τὸν νόμον αὖθις ἥπτοντο τοῦ πολέμου κτλ. Cum autem de ratione legis rogandae et abrogandae, qualis illis temporibus fuerit, nihil fere tradant scriptores, et ne res quidem ipsa satis certa sit [cf. Hauvette-Besnault p. 7], mentionem rei fecisse sufficiat; cf. Curtius: »Gr. Gesch.⁵« I 309.

[7]) Id Demosthene rogante anno 339/8 factum est; cf. Philoch. fr. 135; Hauvette-Besnault p. 134; Busolt § 178 p. 160.

fuisse, qui rogationem ferre vellet, ut pecuniae velut sanctiore quodam aerario reconditae ad rei publicae usum depromerentur. Atque aestate anni 412[1]) primum ex seposita illa aerarii parte pecunias erogatas esse Thucydides auctor est [VIII 15].[2]) Verum iam anno 418/7 pecunias venia data a quaestoribus Minervae solutas esse tituli nonnulli docent.[3]) Populum autem alteram sanctiorem aerarii partem non reservasse pro certo dici potest; ergo etiam aliae pecuniae fuerunt, quae, nisi venia rogatori data esset, ad usum publicum a populo adhiberi non potuerunt. Atque hae pecuniae sacrae fuerunt.

Praeter publicum enim aerarium in arce etiam sacrum aerarium (ἱερὰ χρήματα) fuit[4]), quod, cum initio in divinas tantum res impensum esset,[5]) imprimis bello Peloponnesiaco populus reconditum rei publicae aerarium duxit, unde legitimis quibusdam observatis, venia scilicet rogatori data, ad usum rei publicae pecuniam mutuam depromere posset.[6]) Cuius pecuniae usuram res publica pendebat, dum aes alienum solveretur. Hac igitur condicione et venia rogatori concessa populus etiam erogandae ex aerario sacro pecuniae potestatem habuit. Quibus confectis quaestores Minervae iis pendunt, quos populus in decreto nominaverat.[7]) Rationes autem harum pecuniarum tanquam syngraphae in arce positae sunt, ex quibus logistae usurarum rationem inierunt.[8])

[1]) Cf. Busolt § 214 p. 190.

[2]) v. p. 47 adn. 5.

[3]) cf. CJA. I 180—183. Illo anno primum post pacem, quae Niciae vocatur, populus, id quod antea saepissime factum est, denuo pecunias ab aerario sacro mutuatus est; cf. Busolt l. l. et adn. 10.

[4]) Rationes annuorum redituum (ἐπέτεια) leguntur apud Kirchhoffium: Abhdl. d. Berl. Akad. 1876 p. 49 sqq. et inventariorum tabulae in CJA. I 117—175. 194—225; cf. Busolt § 213 p. 189, 7; Beloch: N. Rh. Mus. XXXIX 55 aerarium publicum fuisse negat, aerarium Minervae et rei publicae unum idemque fuisse contendit. De Holwerdae sententia cf. p. 46 adn. 11.

[5]) cf. Busolt § 213 p. 189.

[6]) cf. CJA. I 32 B; Boeckh: »St. d. Ath.« II 41. 64; Hauvette-Besnault p. 132; Gilbert I p. 319; Busolt § 213 p. 189; Kirchhoff l. l. p. 34 sqq.; Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 3 hanc legis formulam fuisse putat: »ne quis rogaverit, ut populus pecunias sumat ex thesauro aliquo sacro«.

[7]) cf. Kirchhoff l. l. p. 37. 41.

[8]) cf. CJA. I 273; Busolt § 214 p. 190, 8.

Atque nunc quidem ex rationibus pecuniarum Minervae Poliadis et Victoriae eos locos, qui huc pertinent, afferre liceat. Leguntur in CJA. I 180—183.

In CJA. I 180 vs. 10—14 certis Kirchhoffi supplementis leguntur haec: [Ἐπὶ τῆς ---ίδος πρυτα]νείας δευτέρας [πρυτανευούσης Ἑλληνοταμίαις [1]), Ἐρ]γοκλεῖ Ἀριστείδου Βησαιεῖ.|.....[.... Ἱεροκλεῖ Ἀρχε]στράτου Ἀθμονεῖ καὶ συν[ά]ρ[χ]ουσι, τριακοστῇ ἡμέρᾳ] τῆς πρυτανείας π[αρέδομεν---- χρυσί]ου Κυζικηνοῦ στατῆρ[α]ς XXXX.. |--- ἀργύριον τούτων----||. τοῦτο τὸ χρυσίον παρέδομ[ε]ν τοῖς ἐπὶ τὰς ὁπλιταγ]ωγοὺς τοῖς μετὰ Δημ[οσθένους, ψηφισαμένου τοῦ δήμου τὴν] ἄδειαν--. Extrema verba exemplo aliarum inscriptionum certo suppleta sunt.[2]) In CJA. I 181 vs. 3 sqq.[3]) legimus haec: π[αρέδοσαν---- στρατηγῷ ἐς] τὰ ἐπὶ Θράκης..... ψηφισαμέν[ου τοῦ δήμου τὴν

[1]) Hauvette-Besnault p. 132 sq. adnotat ad hunc titulum: . . »qui (sc. cette inscription) semble prouver que les stratèges ne devaient recevoir leur argent que par l'entremise des ἑλληνοταμίαι«, id quod non recte coniectum esse puto, atque id Hauvette-Besnault infra p. 133 ipse concedit.

[2]) Dubium est, ad quam rem verba: »ψηφισαμένου τοῦ δήμου τὴν ἄδειαν« referenda sint. Meier in CJG. I p. 903 censet ἄδειαν »esse veniam mutui dandi concessam quaestoribus aerarii«. Boeckh: »St. d. Ath.« II 41 dicit: »In gewissen Zeiten . . . wurden gewisse Teile des Schatzes als besonders geweiht oder als eiserner Bestand schlechthin oder mit Ausnahme der Fälle, wofür sie bestimmt waren, für unangreifbar erklärt; sonach durften die Schatzmeister daraus nicht zahlen. Doch wies der Staat darauf in der Not an; dies konnte jedoch nicht eher beantragt werden, als das Volk für den Antrag eine voraufgehende Indemnity-Bill beschlossen hatte«. Sane vir doctissimus hoc loco non de sacro deae aerario cogitare videtur, sed id huius loci non est. Leguntur igitur in his titulis haec: ταμίαι ἱερῶν χρημάτων παρέδοσαν... ψηφισαμένου τοῦ δήμου τὴν ἄδειαν, quae verba eam vim habere videntur, quaestoribus, nisi venia iis sit data, solvere non licere. Itaque Gilbert I p. 319, 4 dicit: »Die Auszahlung durch die Schatzmeister erfolgte ψηφ. τ. δ. τ. ἀδ.« In alio autem titulo [CJA. I 32 B] legimus rogatori ἀδείᾳ opus fuisse. Potestne igitur existimari populum, cum venia data rogationem probasset, tum demum quaestoribus quoque veniam pensionis dedisse? An haec formula ψηφ. τ. δ. τ. ἀδ. ad veniam rogandi referenda est? Si ita res se haberet, verba significarent haec: cum populus sacris pecuniis uti iussisset — venia prius rogatori data —, tum quaestoribus pecunias solvere licuisse. Id autem fortasse cum verbis ipsis et cum Atheniensium diffidentia rerum pecuniariarum dissentit. Caillemer: »Dict. des antiquités« I 67 de iis rebus haec dicit: »Il est probable que, lorsque le besoin se faisait sentir de recourir à des procédés de payement ou à des affectations de sommes contraires aux règles de la comptabilité d'Athènes, une décision du peuple intervenait pour mettre à couvert la responsabilité des agents du trésor«.

[3]) cf. Suppl. I (CJA. IV 1) p. 32.

ἄδειαν---] et vs. 6 sq.: [παρέδομεν στρατηγοῖς ἐς Μῆλον Τεισί]α Τεισιμάχου Κεφαλῆθεν,| Κλεομήδει Λυκο[μήδους---, ἡμέρᾳ--- τῆς πρυτανείας, ψηφισαμέν]ου τοῦ δήμου τὴν ἄδειαν Δ. Denique in CJA. I 183 vs. 1 sqq. haec leguntur: ταμίαι ἱερῶν χρημάτων| [τῆς Ἀθηναίας... παρέδοσαν στρ|[ατ]ηγοῖς Τ------ καὶ] παρέδρῳ Φερεκλείδῃ Πειραιεῖ, ψηφισαμένου τοῦ δήμ|[ου] τὴν ἄδειαν...

Cum publici quidem aerarii populum simplici psephismate infinitam facultatem habuisse, ex seposita autem aerarii parte eas, de quibus agitur, pecunias depromptas esse non posse supra demonstratum sit, restat, ut pecuniae sacrae fuerint. Quamquam Boeckh [„Staatsh. d. Ath.“ I 578] censuit Athenienses totum fere aerarium publicum Minervae consecrasse, ita ut inter aerarium publicum et sacrum deae aerarium nullum discrimen esset; itaque illas pecunias ex consecrato aerario publico depromptas esse[1]) vir doctissimus contendit. At pecunias reapse sacras fuisse equidem opinor, quam ob causam ei, qui ex illis a populo erogari vellet, ἀδείᾳ opus fuisse. Aliter Beloch [N. Rh. Mus. XXXIX 5ō sq.] nuperrime rem tractavit. Exponit enim ex ipsis quidem tributis pecunias pendere quaestoribus Minervae nisi venia concessa non licuisse, pecunias autem ex tributis superfluas cum aerario Minervae coniunctas eoque modo consecratas esse, a quo sacro aerario quomodo pecunias mutuati sint Athenienses, nobis non notum esse. Quod probare non possum, cum etiamnunc Kirchhoffi sententiae[2]) assentiar.[3]) Ac primum quidem miretur quispiam optimo iure populum sociorum tributis non simplici psephismate uti potuisse. Deinde autem etiamsi populum facultatem illam non habuisse concedendum esset, frustra quaeras, qua de causa pecuniae nonnunquam sepositae sint, quibus venia rogatori data eodem modo atque illis uti populo licuerit. Quae cum ita se habeant, pecunias, de quibus agitur, sacras fuisse constare mihi videtur.

Quibus rebus Atheniensium ratio ab aerario sacro mutuandi illustratur.[4]) Sacras enim pecunias (ἱερὰ χρήματα) ad profanos

[1]) Cf. Boeckh l. l. I 580.

[2]) cf. l. l.

[3]) Recte distinguit χρήματα ἱερά et δημόσια Holwerda: Mnemos. nov. ser. XIV p. 115.

[4]) Etiam aliae civitates, vel potius plurimae, a pecuniis sacris mutuari solebant; cf. Büchsenschütz: »Bes. u. Erw.« p. 507; de civitatum Graecarum mutuationibus cf. in universum Szántó: »Wiener Stud.« VII p. 232—252.

usus adhiberi nefas est, nihilo tamen secius civitas in angustiis rerum aerario sacro ad eam, quae populo Atheniensium gravissima videtur, rem utitur, ad rei publicae videlicet salutem. Athenienses deos insigniter divitiis ornant, non eo sane consilio, ut etiam in summis periculis et angustiis ab iis manus abstineant, sed ut his alias integris intactisque opibus rem publicam servare possint. Quam rationem secuti Athenienses pecunias ex aerario sacro in usum publicum depromere ausi sunt.

Cum Athenis temporibus belli Peloponnesiaci tria templorum aeraria fuisse constet, Minervae Poliadis, Victoriae, reliquorum deorum,[1]) quaeritur, a quo aerario populus pecunias mutuatus sit. Quod de solius Minervae pecuniis factum esse existimes. Et re vera huius deae aerario populus praeter cetera usus est.[2]) Nam cum in Minervae tutela et urbs et συμμαχία Atheniensium fuerit, sicut maxime deorum donis ornata est Minerva, eius imprimis fuit urbi in discrimine rerum patrocinari et opitulari.[3]) Reliquorum quidem deorum reditus vectigalia[4]) erant et dona, Minerva autem etiam tributorum, bonorum publicatorum, multarum aliqua parte ab Atheniensibus donabatur.[5]) Itaque maximae, quae in huius deae aerario coacervatae sunt, pecuniae, dum Athenae in periculis versantur, in rei publicae usum adhiberi solent. E. c. inter annos 433/2 et 427/6 ad bellum gerendum ex aerario Poliadis plus quattuor milia talentum deprompta et annis insequentibus etiam reditus annui absumpti sunt.[6]) Sed populus Minervae opibus non contentus etiam reliquorum deorum aerario utebatur. Velut iam anno 435 populus, ut ducenta talenta reliquorum deorum aerario redderentur, scivit;[7]) et paulo post e. c. a parvo Victoriae aerario, quod separatim a pecuniis Minervae administrabatur,[8]) duo et viginti talenta[9])

[1]) Cf. Beloch: N. Rh. Mus. XXXIX 56.

[2]) cf. CJA. I 32 B.

[3]) cf. Busolt § 213 p. 189.

[4]) Templa non modo »τεμένη«, sed etiam alios agros possidebant; cf. Büchsenschütz l. l. p. 64 sqq.

[5]) cf. Dem. XXIV 120; CJA. IV 1 fasc. alt. p. 16 n. 34; Busolt § 213 p. 189; Büchsenschütz l. l. p. 506 sq.

[6]) cf. Holwerda: Mnemos. n. s. XIV p. 109.

[7]) cf. CJA. I 32. 273; Busolt § 213 p. 189.

[8]) cf. CJA. I 273.

[9]) cf. Beloch l. l. XXXIX 244.

atque a reliquorum deorum aerario plus septingenta talenta populum mutuatum esse tituli aliquot docent.[1]) Namque etiam horum deorum erat urbem tueri, et suapte sponte deos id praestare populus putabat, cum deorum et urbis salus firmissime inter se coniunctorum una eademque esse videretur. Quare non solum reditus annui aliaeque omnes deorum pecuniae bello Peloponnesiaco consumptae sunt[2]), sed etiam rebus pretiosis, quae templa possidebant, populus usus est, qui e. c. anno 406/5 pretiosas deorum res in Pronao reservatas conflari[3]) et priore anno [407] ex Victoriae simulacro nummos aureos cudi[4]) iussit. Videmus igitur, quo pacto ex omnibus aerariis sacris populo pecunias erogandi potestas fuerit, ea scilicet condicione, ut, si quis aerarium sacrum violare vellet, ei ἀδείᾳ opus esset, proinde ac si quis, ut aerarium publicum illegitime deminueretur, rogaret. Impunitate igitur rogatori concessa quaestores Minervae summam aliquam pendere populus iussit. Cuius pecuniae usura persoluta est[5]) caerimoniae causa, ut religio eximeretur, verum id ipsum ἀδείᾳ rogatori danda magis effectum est.[6])

Quoniam impunitatem rogandi impetrandam fuisse demonstratum est, nunc anquiremus, qua de causa ἀδείᾳ rogatori opus fuerit. Cum autem eam ἀδείας causam esse, quod integritas τοῦ κοινοῦ pecuniis iis violetur, quibus aerarium publicum auctum sit, in Attico quidem iure publico statuendum non sit, alteram subesse oportet. Cum deorum enim damno aerarium publicum illegitime auctum vel aerarium sacrum deminutum est, quamquam populi est curare et efficere, ut sacrae deorum pecuniae intactae maneant. Nam sicut publicum ita sacrum aerarium integrum ratumque sit oportet, et populo pecuniae cum ipsi tum dis debitae sunt exigendae. Utrum id quidem tutor an curator an dominus faciat populus, non huius loci est quaerere; sed est utique officium. Itaque si quis rogationem laturus esset, ut pecuniarum sacrarum deminutio fieret illegitima vel ut pecuniis sacris populus in usum publicum uteretur, id nisi venia concessa fieri non potuit. Nam si populus venia rogatori data pecunias

[1]) De his mutuationibus cf. Beloch l. l. p. 57 sq.; Busolt § 214 p. 190.

[2]) cf. CJA. I 188.

[3]) cf. CJA. I 140; Busolt § 214 p. 191.

[4]) cf. Büchsenschütz p. 600.

[5]) cf. Boeckh l. l. I 580; v. supra p. 51.

[6]) De hac re in libro alt. cap. I s. f. agetur.

deorum adhibendas esse decreverat, dei bonis privabantur, quorum possessionem omni modo tueri religio erat.[1]) Sed in discrimine tantum rerum populum illis pecuniis usum esse pro certo statuendum est, ac ne tum quidem nisi ea condicione, ut primo quoque tempore restituerentur pecuniae. Minerva autem, tutrix Athenarum, urbi magis propitia erat, quam ut pecuniam sibi consecratam temporibus periculosissimis ei non mutuo daret. Et sicut populus rogatori impunitatem concedit, propterea quod in re publica conservanda nihil fere perhorrescit, ita ipsa Dea populo, qui publicae salutis causa omnia experitur, veniam dat,[2]) si initio contionis hostia litatur.

Postremo tituli Attici locum, quo ei rogatori, qui aerarium sacrum illegitime deminui volebat, ἀδείᾳ opus esse dilucide dicitur, afferre liceat. Ingeniosis enim Kirchhoffi supplementis in CJA. I 32 B leguntur haec [vs. 16 sqq.]: ἐὰν δέ τις [εἴπῃ ἢ] ἐπιψηφ[ί]σῃ μὴ ἐ[ψηφισμένης π][ω τῆς ἀδε]ίας χρῆσθαι το[ῖς χρήμ]ασιν τοί[ς] τῆς Ἀθην[αίας, ἐνεχέσθ][ω τοῖς αὐτ]οῖς οἵσπερ ἐά[ν τι[3]) ἐσ]φέρειν εἴ[π]ῃ ἢ ἐπι[ψηφίσῃ. . . .[4]) Atque etiam alter huius tituli locus, quem integrum referam, dignus est; vs. 11 sqq. haec leguntur:

[1]) Cf. Holwerda: Mnem. n. s. XIV p. 115.

[2]) In Graecorum lingua sacra dicitur: λήθην δίδωσιν; v. supra p. 5 adn. 3.

[3]) Hoc loco legendum est: τις; litteram ς lapicida per errorem omisit.

[4]) In CJA. I 188 vs. 2 sqq. haec leguntur: ταμίαι ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίας.... παρέδοσαν ἐκ τῶν ἐπετείων »ψηφισαμένου τοῦ δήμου«. Gilbert I p. 319 not. 4 adnotat ad haec verba: quaestores Deae pependisse »ψηφισαμένου τοῦ δήμου τὴν ἄδειαν« aut, ut ipsius verbis utar: »auch wohl mit Weglassung von τὴν ἄδειαν (CJA. I 188), aber in demselben Sinne«; cf. Kirchhoff: Abhdl. d. Berl. Akad. 1876 p. 40, qui etiam CJA. I 179, cui titulo tota deest formula, huc pertinere dicit. Id autem non rectum est mea quidem sententia. Lapicida enim verba: τὴν ἄδειαν aut omisit, aut formula ψηφισαμένου τοῦ δήμου aliter atque haec: ψηφισαμένου τοῦ δήμου τὴν ἄδειαν explicanda est, ita quidem, ut hoc loco non de pecuniis sacris cogitandum sit aut, si pecuniae sacrae fuerint, ut ex iis populo simplici psephismate erogare licuerit. Voce »ἐπέτεια« significantur anni vertentis reditus apud Deam depositi, ut Boeckh [l. l. II 5] exposuit, ex quibus populo psephismate missis ambagibus erogare licuit [cf. Boeckh I 579 sq.], utique pecuniae publicae [cf. N. Rh. Mus. XXXIX 58 sqq.], quas quaestores venia non data solvunt; ex his igitur pecuniis quaestores »εἰς τὴν διωβελίαν« et ad similes res pependerunt, ut CJA. I 188 sq. docet. Si autem hae pecuniae (ἐπέτεια) annui pecuniarum sacrarum reditus essent [cf. Kirchhoff l. l. p. 49], ad eas saltem, de quibus dixi, res venia non data quaestores solvisse esset statuendum [contra cf. quae Kirchhoff l. l. p. 40 sq. exposuit]. Nam verba ψηφ. τ. δ. τ. ἄδ. non supervacanea esse, qui anxiam Atheniensium curam et diligentiam rerum pecuniariarum noverit, nemo non intellegit.

[...τοῖς δὲ] ἄλλοις χρήμασ[ιν τοῖ]ς τῆς Ἀθηναίας. το[ῖς τε νῦν οὖσιν ἐ][μπόλει κα]ὶ ἄττ' ἂν τ[ὸ] λο[ιπὸν ἀν]αφέρηται, μὴ χρῆσ[θαι μηδὲ ἀπανα][λίσκειν ἀ]π' αὐτῶν ἐς ἄλλο [τι. μηδὲ] ἐς ταὐτα ὑπὲρ μυ[ρίας δραχμὰς δ][οῦναι κελ]εύειν, ἐάν τι δέ[ῃ. ἐς ἄλλ]ο δὲ μηδὲν χρῆσθα[ι τοῖς χρήμασι][ν, ἐὰν μὴ τ]ὴν ἄδειαν ψηφ[ίσηται ὁ] δῆμ[ο]ς, κα[θ]άπ[ε]ρ ἐ[ὰν ἡ σκέψις ᾖ] [περὶ ἐσφ]ορᾶς. Cuius tituli psephisma alterum, quod in parte legitur postica, ad pecunias Minervae pertinet. Quo psephismate scivit populus, ut deductis pecuniis quibusdam, quae ad certas res divinas destinatae erant, reliquae pecuniae Minervae, quae tum in arce servarentur aut postea in aerarium Deae deferendae essent, integrae manerent neve in eam, de qua ante dictum esset, rem amplius impendi liceret decem milibus drachmarum, si quid opus esset. In alias res tum demum consumendas esse illas pecunias, si populus rogatori ἄδειαν decrevisset.[1]) Ex initio autem detruncato iam Augustus Boeckh[2]) collegit de rebus quibusdam sacris reficiendis et de sumptibus in aedificationem quandam faciendis sermonem fieri.[3]) Et ad sacras quidem res populus pecunias deorum psephismate decernit.[4]) Tamen ne in his quidem certum modum ille transit. Denique ex eodem titulo eum, qui pecunias sacras ad profanos usus depromi velit, populi interdictum violare intellegitur.[5])

Verum tamen rebus adversis populum ad aeraria deorum, imprimis Minervae, refugisse supra (p. 54 sq.) exposui. Quam ob rem Pericles, cum instante bello Peloponnesiaco publicas Atheniensium opes et subsidia enumeraret, etiam ἱερῶν χρημάτων mentionem fecit[6]) confisus populum rebus angustis sine ulla dubitatione iis usurum esse.[7]) Quoties autem res publica Atheniensium, quamquam rogatori

[1]) Cf. Boeckh: »Staatsh. d. Ath.« I 582 sq. II 64; Busolt § 213 p. 189 sq.

[2]) l. l. II 64.

[3]) cf. Kirchhoff: Abhdl. d. Berl. Akad. 1864 p. 9; cf. Busolt l. l.

[4]) cf. Bull. de corr. hell. IV 225. Hoc psephismate populus scivit, ut de pecuniis sacris in sacro templi Eleusinii agro exstrueretur, ubi ἀπαρχαί reconderentur. Ceterum idem titulus invenitur in CJA. IV 1 fasc. alt. p. 12 post n. 27 vs. 10 sqq.; cf. etiam CJA. IV 1 fasc. alt. n. 35b; Beloch N. Rh. Mus. XXXIX p. 53; Busolt § 213 p. 189, 6. — Pecuniarum sacrarum in eas aedificationes consumptarum usurae non pendebantur; cf. Kirchhoff: Abhdl. 1876 p. 37; Mnem. n. s. XIV p. 115 sq.

[5]) Eadem, quae de Minervae pecuniis traduntur, de reliquorum deorum aerario colligenda sunt.

[6]) cf. Thuc. II 13. VI 8.

[7]) Velut Demosthenes XXIV 9 τὰ ἱερά et τὰ ὅσια χρήματα nomine »τὰ κοινά« comprehendit.

ἄδεια danda fuit, divitias deorum suas fecerit, nemo fere est quin noverit. Et initio quidem pecuniae debitae reddebantur,[1]) Peloponnesiaco autem bello confecto omnia, non modo pecuniae sacrae, sed etiam aurea et argentea in Parthenone[2]) vasa consumpta fuerunt, et in hoc naufragio neque caput neque usurae pecuniarum sacrarum in aeraria deorum redierunt.[3])

IIc. Populus ei veniam dat, qui (quinto quidem a. Chr. n. saeculo) εἰσφοράν rogaturus vel qui civium res familiares illegitime h. e. tributis extraordinariis deminuturus est.

Venimus ad aliam ἀδείας speciem.

Iam pluribus locis demonstravimus, quam anxio animo populus Atheniensium id egerit, ut τὸ κοινόν integrum ratumque esset. Omnino enim Athenis nihil fere subtilius et diligentius legibus temperatum fuit quam res ad pecunias publicas pertinentes, quae non modo cura, verum etiam suspicione et diffidentia custodiebantur. Itaque populus omni modo curavit, ne τὸ κοινόν illegitime deminueretur neve illegitime, scilicet pecuniis deorum, augeretur, ad quas rogationes ferendas ἀδείᾳ opus fuisse diximus. Idem autem valuit, si quis τὸ κοινόν illegitime de civium pecuniis, h. e. εἰσφορᾷ, augeri voluit.

Constat a populo in summis belli calamitatibus psephismate extraordinarium et ex censu conferendum tributum (εἰσφοράν) imperatum esse. Quod tributum extra ordinem in bello aut belli causa praestandum, cum non in capita,[4]) sed in res familiares[5]) civium imponeretur, ipsi inquilini, quin etiam heredes filiae et pupilli in civium numerum nondum adscripti pensitabant,[6]) neque cuiquam immunitas eius dabatur,[7]) neque eis, quibus eodem tempore munus

[1]) Cf. CJA. I 32 A: ἐπειδὴ τῇ Ἀθηναίᾳ τὰ τρισχίλια τάλαντ[α] ἀνενήνεγκται εἰς πόλιν..., quae pecuniae Deae redditae sunt; cf. Kirchhoff l. l. p. 44; Busolt § 214 p. 190 adn. 10.

[2]) cf. Hauvette-Besnault p. 133.

[3]) De aerario sociali cf. in universum Busolt § 214 p. 190. — De condicione rei publicae Atheniensium post bellum Peloponnesiacum confectum cf. Büchsenschütz p. 598 sqq.

[4]) cf. Dem. XXII 54. XXIV 166.

[5]) cf. Meier: »de bon. damn.« p. 145.

[6]) cf. Dem. XX 26. 28; Lys. XII 20; Gilbert I 345, 5; Thumser: »de civ. Ath. mun.« p. 118, 1. — De tributo extraordinario inquilinis imposito cf. »Wien. Stud.« II p. 191; ibid. VII 55 sq.

[7]) cf. Dem. XX 18.

trierarchiae mandatum erat,[1]) neque eis, qui omnium liturgiarum immunes (ἀτελεῖς) erant,[2]) sed oportebat „πάντας (praeter thetes scilicet vel capite censos) εἰσφέρειν“, ut ait Demosthenes.[3]) Quodsi quis haec tributa non contulerat, eius bona publicata venibant,[4]) sed id, quod venditis bonis deductoque εἰσφορᾶς pretio reliquum erat, domino eiusve heredibus reddebatur;[5]) nec tamen eo usque poena patebat, ut in vincula publica coniceretur.[6]) Per cetera ii, qui debita tributa extraordinaria non persolverunt, pares sunt ac debitores aerarii; itaque iis, qui remissionem εἰσφορᾶς sibi irrogari vellent, ἀδείᾳ rogandi opus fuisse opinor.[7]) Denique εἰσφορά initio quidem de fundis (φανερᾷ οὐσίᾳ) tantum pensa est,[8]) deinde[9]) autem de mobilibus quoque rebus (ἀφανεῖ οὐσίᾳ);[10]) ipsi capiti in servis occupato tributum est impositum.[11]) Sola metalla immunia erant.[12])

[1]) Intra unius anni spatium non plus una liturgia praestanda erat civi Attico; εἰσφορά autem in numero λειτουργιῶν non erat [cf. Thumser l. l. p. 22. 25], quamquam eam scriptores saepe liturgiam nominant [cf. e. c. Isocr. VIII 20; Thumser p. 26]; cf. etiam Busolt § 222 p. 194 sqq.

[2]) velut Harmodii et Aristogitonis stirps; cf. Dem. XX 18; Thumser l. l. p. 117, 2.

[3]) cf. Dem. I 20. II 31. XX 26; CJA. IV 1 p. 11 n. 25 vs. 6. — Semel Demosthene adulescentulo civibus Sidoniis, qui Athenis habitabant, εἰσφορᾶς immunitas data est; cf. CJA II 86; Boeckh l. l. I 694; sed de hac re v. infra p. 61 sq. adn. 3 s. f.

[4]) cf. Suidas s. v. πωλητής; Phot. s. v. πωληταί; Busolt § 222 p. 196, 3.

[5]) cf. Meier: »de bon. damn.« p. 145; de publicatione bonorum cf. Lys. XXIX 9; Boeckh I 507.

[6]) cf. Demosthenis Androtianam, in qua oratione Demosthenes de εἰσφοραῖς exigendis copiose agit. Platner quidem [»Proc. u. Kl.« I 41] oratorem illorum debitorum custodiam commemorare affirmat, Boeckh autem negat [l. l. I 507]; cf. Dem. XXII 48 sqq. Quoquo autem modo res se habet, certe nonnunquam id accidisse puto; cf. Dem. XXIV 160 sqq. Nam omnino »τοὺς εἰσπράττοντας« iniuste se gessisse in exigendis tributis retro debitis Dem. XXIV 198 docet.

[7]) cf. Dem. XXII 42. — Num autem id unquam factum sit, pro certo dici non potest. Nequaquam tota pecunia imperata redibat [cf. Dem. XXII 44; Busolt § 222 p. 196, 4]. De hac re cf. id, quod supra p. 31 de remissione trierarchiae exposui.

[8]) Simulac negotiatio Athenis increvit floruitque, tum non solum praediorum possessores, sed etiam negotiatores tributum pendere oportebat Thumseri sententia [l. l. p. 31].

[9]) certe iam bello Peloponnesiaco; cf. Gilbert I 346, 1.

[10]) cf. Hesych. s. v. ναύκλαροι; Busolt § 222 p. 195, 3.

[11]) cf. Isocr. XVII 49.

[12]) propterea quod possessores quotannis aliquam redituum partem aerario publico pendere debebant; cf. Boeckh l. l. I 639; Hermann: »Gr. Altert.« I^5 § 162, 20; Gilbert I 346, 1; Thumser p. 40. 28 sqq. 118, 2.

Certum huius tributi impositi exemplum primum apud Thucydidem [III 19] invenitur. Quo auctore anno 428 a. Chr. n. Athenienses Mytilenas oppugnaturi, ut ducentorum talentum tributum exigeretur, decreverunt.[1]) Mox idem saepius imperatum esse videtur.[2]) Verum id illis temporibus non simplici psephismate a populo decretum esse audimus. Uno enim titulo [CJA. I 32 B] non licuisse — quinto quidem saeculo — nisi potestate publice concessa ad populum ferre, ut tributum civibus imponeretur, docemur.[3]) Quo loco a Kirchhoffio optime restituto leguntur haec: [-ἐς ἄλλ]ο δὲ μηδὲν χρῆσθα[ι τοῖς χρήμασι][ν, ἐὰν μὴ τ]ὴν ἄδειαν ψηφ[ίσηται ὁ] δῆμ[ο]ς, κα[θ]άπ[ε]ρ ἐ[ὰν ἡ σκέψις ᾖ] [περὶ ἐσφ]ορᾶς. ἐὰν δέ τις [εἴπῃ ἢ] ἐπιψηφ[ί]σῃ μὴ ἐ[ψηφισμένης π][ω τῆς ἀδε]ίας χρῆσθαι το[ῖς χρήμ]ασιν τοι[ς] τῆς Ἀθην[αίας, ἐνεχέσθ][ω τοῖς αὐτ]οῖς οἵσπερ ἐά[ν τι(ς) ἐσ]φέρειν εἴ[π]ῃ ἢ ἐπι[ψηφίσῃ . . .[4]) Populus decrevit: In alias res pecuniae Minervae ne adhiberentur, nisi populus eius rei ἄδειαν scivisset, proinde ac si εἰσφορά in disceptatione versaretur. Quodsi quis rogationem tulisset aut (proedrus) populum in suffragium misisset venia non data, ut ex aerario sacro Minervae depromerentur pecuniae, easdem poenas lueret, ac si quis rogationem tulisset aut (proedrus) in suffragium misisset de εἰσφορᾷ exigenda (sc. venia non data).

Quoniam ἄδειαν impetrandam fuisse εἰσφορᾶς rogatori constat, qua de causa veniam dari necesse fuerit, demonstrare conabor.

Εἰσφοράν tributum extraordinarium ad bellum gerendum fuisse e multis scriptorum locis patet;[5]) quam ob causam praetoribus[6])

[1]) Cf. Thumser p. 50, 5; Hauvette-Besnault p. 134, 3; Busolt § 214 p. 190.

[2]) cf. Arist. Equit. v. 924 (ed. Kock; cf. adn. ad h. l.); Boeckh l. l. I 620a. De hac re cf. in universum Hermann: »Gr. Altert.« I § 162; Boeckh l. l. passim, imprimis I 618 sqq.; Gilbert I p. 345; Beloch: N. Rh. Mus. XXXIX 245 sqq.

[3]) cf. CJA. IV 1 n. 25,8; Gilbert I 345, 6; Thumser l. l. p. 19; Busolt § 194 p. 175, 2. § 222 p. 194, 10; Valeton: Mnem. n. s. XV p. 3, qui legem in hanc formam redigit: »ne quis de tributo ex censu civibus imponendo, περὶ εἰσφορᾶς, rogationem tulerit nisi impunitate impetrata«.

[4]) cf. Thumser l. l.

[5]) E locorum huc spectantium multitudine hos tantum selegi: Xen. Oec. II 6; Plat. Legg. XII p. 949c; Lys. XXV 12; Isocr. VIII 20; Dem. III 4. XX 26. 18. XXII 63; cf. Busolt § 222 p. 194, 9; v. etiam supra p. 58.

[6]) cf. Schoemann: »Ant. i. p. Gr.« p. 323; Hauvette-Besnault p. 134, 4; prioribus temporibus cura illa commissa erat naucraris, qui postea demarchi appellati sunt; cf. et Harpocr. et Suid. s. v. δήμαρχος; Hesych. s. v. ναύκλαροι.

cura rerum ad εἰσφοράν pertinentium commissa erat.[1]) Tamen fieri potuit, ut id tributum ad alias res adhiberetur, sive pecuniae ad rem publicam administrandam sepositae in bello gerendo consumptae erant et εἰσφορᾷ restituebantur, sive pecuniae mutuae solvebantur, sive magna opera ad usum militarem destinata conficiebantur.[2]) Sane etiam tum εἰσφοράν semper fere rebus militaribus praesto fuisse Boeckh docuit. Nam in pace quoque rebus bellicis prospiciendum esse per se ipsum intellegitur. Itaque hoc extraordinario tributo pecunias publicas, ex quibus impensae in rem publicam administrandam fiebant, augeri[3]) non recte dicas, sed εἰσφορά aut ipsis rebus ad

[1]) Cf. Boeckh l. l. I 620 adn. d sq.; Schoemann: »de com. Ath.« p. 314; »Gr. Alt.« I 461; Hauvette-Besnault p. 140. 142; Busolt § 179 p. 162. — De praetorum ministris cf. Platner II 103; Boeckh I 212.

[2]) cf. Boeckh l. l. I 620; Schoemann: »Antiqu.« p. 311 sq.; Gilbert I 330.

[3]) Hoc loco in verba quaedam, quae in titulis nonnullis inveniuntur, breviter inquiramus necesse est. Legimus quaestores Minervae sumptus »εἰς τὴν ἀναγραφὴν τῆς στήλης« faciendos »ἐκ τῶν δέκα ταλάντων« pendere iuberi [cf. Hartel: »Stud. üb. att. Staatsrecht und Urkundenwesen« (Vindob. 1878) p. 131 sqq.; Boeckh: »St. d. Ath.« I 234 (CJA. II 17. 44. 84. 86. 270)]. Haec decem talenta Koehler: »Urk. u. Untersuchungen üb. d. del.-att. Seebund« p. 12 putat esse, ut ipsius verbis utar: »ein Dispositionsfonds für die laufenden Ausgaben (εἰς τὰ δέοντα)«, Hartel [cf. CJA. II 270 vs. 8 sqq.] l. l. p. 132: »ein Einnahmeposten, der durch die εἰσφοραί der Metöken Jahr für Jahr zusammengebracht wurde«, ut ego opinor: tributum [aut quotannis aut constitutis tantum temporibus (cf. »Wien. Stud.« VII 56)] inquilinis impositum, quo impensae fierent in armamentarium atque navalia restituenda, ex quibus tamen »εἰς τὰ δέοντα« quoque pecuniae a populo erogatae sunt [cf. Thumser p. 17 adn. 3; Schubert: »de proxenia Att.« (Lips. 1881) p. 51; cf. de hac re etiam Schenkl: »Wiener Stud.« II 188]. Quae pecuniae in arce a quaestoribus Minervae administratae sunt, cum autem populus simplici psephismate (venia rogatori non data) his pecuniis usus sit, reditus deae, id quod Hartel vult [l. l.], esse non possunt [cf. Gilbert I p. 321/2, 4]. Hic autem dixerit quispiam pecunias εἰσφορᾷ collatas saepius »εἰς τὴν διοίκησιν« adhibitas esse. Sed illam inquilinorum εἰσφοράν — quorum εἰσφοράς omnino a civium tributis Athenienses accurate distinxisse tituli, quibus isotelia peregrinis datur, docent (cf. e. c. CJA. II 121, 27. 176, 31; cf. etiam »Wien. Stud.« II p. 191; ibid. VII 65). — ab ea secernendam esse puto, quae ad bellum gerendum collata est; cf. »Wien. Stud.« VII 56. Hoc modo explicandum videtur, quod semel peregrini Sidonii Athenis habitantes huius tributi immunes facti sunt; cf. CJA. II 86. Accedit, quod hi Sidonii non metoecorum ordini adscripti Athenis habitabant, sed negotiandi causa Athenas profecti per breve temporis spatium ibi commorabantur, id quod Schenkl l. l. II p. 189 probavit. — Ceterum Schenkl contendit Sidonios illos non εἰσφορᾷ liberatos esse per privilegium, sed populi decreto interdictum esse, »ne eorum

bellum pertinentibus praesto fuit aut pecuniis „διοικήσεως“ in bello consumptis lacunam pecuniarum publicarum explevit.[1]) Utcunque autem res se habet, quod augendis pecuniis integritas aerarii publici violatur, nequaquam Athenis causa ἀδείας dandae fuit. At illegitime id factum est in damnum civium, quamquam legum est res civium integras tueri. Sed videturne ex hominibus sibi diffidentibus constare is populus, qui, ne ea rogatio feratur, impedire studet, quae rei publicae in summo periculo partem quandam ex civium pecuniis comparet? Sane quidem. Atque re vera concedendum est ad veniam dandam magni momenti fuisse, quod populus, ne munus ad omnes locupletiores aeque pertinens a quovis cive temere imponi posset, prohibere volebat. Εἰσφορά enim nimis grave onus putabatur, quam plerique inviti suscipiebant.[2]) Ut id, quod dixi, illustrem, simile quid afferre liceat. Eum, qui legem aut psephisma rogarat, lege aut psephismate iam a populo probato per γραφὴν παρανόμων in ius vocare licuit. Qua in actione, si rogatio, quam totus acceperat populus, contra leges lata erat, nemo nisi rogator poenas luebat, propterea quod populum in errorem induxisset.[3]) Rogator igitur solus periculum plebisciti perlati subibat. Sicut autem γραφὴ παρανόμων ad id instituta erat, ut rem publicam a temerariis vel perniciosis rogationibus tuerentur iudices heliastici, ita εἰσφορᾶς rogatori ἄδεια impetranda fuit, ne temerariis rogationibus primi cuiusque iacturam facerent res civium.[4]) Hic for-

nomina in symmoriarum ad tributa extraordinaria exigenda institutarum laterculos inferrentur« contra leges. De horum privilegio cf. etiam Westermann: »de publ. Athen. honor. ac praemiis« (Lips. 1830) p. 7 adn. 6; Thumser l. l. p. 117 sq. et adn. 2. Itaque Schoemann, qui [in »Antiquit. iur. publ. Gr.« p. 321] hoc contendit: »immunitas (εἰσφορᾶς) inquilinis raro dabatur«, nimium dixisse mihi videtur. — Nequaquam igitur διοικήσεως pecunias εἰσφορᾷ auctas esse dici potest.

[1]) Ut lingua vernacula utar: »sie deckte ein Deficit«. Nonnunquam, posterioribus saltem temporibus, εἰσφοραί imponebantur, cum pecuniae debitae remissione concessa non redierant; v. supra p. 40.

[2]) cf. Lys. XXVIII 4. 3; Dem. II 24. Velut εἰσφορά cum civium πενίᾳ confertur apud Isocr. VII 51; Dem. XXII 65; cf. etiam Xen. Oec. II 6; denique [Xen.] de rep. Ath. I 13, quae sane verba in paucorum potentium rationem scripta sunt; cf. Thumser l. l. p. 50 sqq.

[3]) id quod Aristoph. Equ. 1355—1357 lepidissime perstringit.

[4]) Hartel cum [»Stud.« p. 255] dicit: »Es ist eine staatsrechtliche Ungeheuerlichkeit zu glauben, dass ein vom Volk sanctionierter Beschluss gegen seinen Willen durch die Einsprache des Ersten Besten ohne Weiteres

tasse dicat aliquis hanc causam ἀδείας dandae maxime ad tempora democratiae dissolutae et effrenatae quadrare videri, non temperatae et moderatae; illis autem temporibus ἄδειαν rogatori concedi non iam oportuisse, sed simplici psephismate εἰσφορᾶς imperatas esse verisimile est. E contrario id ipsum moderatae democratiae est omnium civium, divitum pauperum, res familiares aeque tueri. Cum autem εἰσφορά rei publicae in damnum civium privilegium sit, leges eam rogari vetant, perinde ac si quis pecuniis sacris populum uti velit. Atque re vera εἰσφορά in titulo Attico [CJA. I 32B] cum pecuniarum sacrarum deminutione[1]) confertur, quam venia non data rogare non licuit. Immo, quinto quidem a. Chr. n. saeculo, cum deorum aeraria magnis pecuniis erant referta, rem publicam magis a civium rebus familiaribus quam ab aerariis deorum manus abstinuisse ex eo patet, quod permultis iam mutuationibus factis, cum pecuniae sacrae magis magisque consumptae essent, tum demum, ut primo extraordinario tributo pecuniae ad bellum gerendum conferrentur, populus decrevit.[2]) Atque quamvis saepe inde ab illo tempore εἰσφορά[3]) civibus imponeretur, tamen extremis quoque temporibus, ut ait Hauvette-Besnault [„Les Stratèges Athéniens“ p. 134]: „εἰσφορά fut toujours une mesure extraordinaire, que le peuple ne se décidait à voter qu' en présence d'un danger imminent.“[4])

Ἀδείᾳ igitur res publica impedivit, quominus civium res familiares immodicis tributis extraordinariis nimis deminuerentur, et rogatori ἀδείᾳ opus fuit, quod, quinto quidem a. Chr. n. sae-

hätte inhibiert werden können«, obliviscitur Athenis leges plus valuisse quam populi psephismata [cf. Busolt § 193 p. 174]. Quin etiam γραφῇ παρανόμων civitatis datio a sex milibus civium decreta, si quidem contra leges rogata erat, irrita est facta [cf. Plut. vit. X orat. p. 835 sq.; Gilbert I 176, 1; Hofmann: »de iurandi formulis« p. 11]. Si igitur psephisma quoddam leges violaret, illa actione decretum illegitimum antiquari potuit. Idem vero institutum male ac perverse adhiberi potuisse per se ipsum intellegitur.

[1]) Num templa quoque in tributum extraordinarium pecunias contulerint, incertum est; προεισφορᾶς quidem munus postera aetate etiam pagorum sacra praestabant (cf. Busolt § 222 p. 196).

[2]) Haec quidem Busolti sententia est (l. l. § 214 p. 190); item Belochi (N. Rh. Mus. XXXIX 245; de hac re v. paulo infra). Quoquo autem modo res se habet, utique mutuationes a pecuniis sacris prius quam εἰσφοράς a populo decretas esse opinor.

[3]) cf. Beloch l. l.

[4]) cf. e. c. Dem. XXIV 161.

culo, tributum extraordinarium[1]) civium bonis imponi lex vetabat.[2]) Nam in Atheniensium re publica vectigalium tantum exigendorum mos fuit;[3]) itaque si quis rogaturus erat, ut civibus tributum imponeretur, ei ἀδείᾳ opus erat, quippe qui civium res familiares illegitime deminuturus esset.

Sed hanc ἄδειαν cum quinto saeculo valuisse traditum sit, oritur quaestio, num posteriore aetate ea rogatori non iam opus fuerit, vel quando lex illa ita abrogata sit, ut tributa missis ambagibus rogare liceret. Titulo sane allato [CJA. I 32 B] cum dilucide doceamur legem vel decretum quoddam de εἰσφορᾶς rogandae ratione factum valuisse,[4])

[1]) Ut nostrae aetatis significatione utar: »eine directe Steuer«.

[2]) Nam legem quandam de hac re valuisse ex eo videtur patere, quod in CJA. I 32 B illius ratio habetur.

[3]) Schoemann: »Griech. Altert.« I 451 recte dicit: »Freistaaten haben gegen directe Besteuerung eine sehr erklärliche Abneigung und greifen nur in Notfällen dazu«.

[4]) Quo tempore lex lata sit, pro certo dici non potest. Titulus ille anno 435/4 Kirchhoffi quidem sententia scriptus est, quare legem ante illud tempus perlatam esse verisimile est. Itaque inde, quod Thucydides, quo loco de prima εἰσφορᾷ agit [III 19], legem silentio praeterit, sequi mihi videtur, ut illud tributum a Thucydide commemoratum primum eorum tantum fuerit, quae bello Peloponnesiaco imperata sunt. Qua enim ratione in titulo CJA. I 32 B, qui anno 435/4 scriptus est, de εἰσφορᾷ roganda decerni potuit, nisi iam antea εἰσφοραί imperatae essent? [Cf. etiam Abhdl. d. Berl. Ak. 1876 p. 27] Aliter sentit Beloch: N. Rh. Mus. XXXIX 245; cf. Busolt § 214 p. 190. Legem autem de ea re valuisse etiam ex alio titulo fortasse colligendum est. In CJA. IV 1 p. 11 n. 25 (cf. CJA. I 25) vs. 8 leguntur haec: [περὶ] δὲ χρημάτων ἐσφο[ρᾶς μὴ εἶ]ναι ἐπιψη[φίζειν] (»de εἰσφορᾷ ne liceat in suffragium mittere« — dicitur autem de epistata — sc. venia rogatori non data). Etiam alii huius tituli loci digni sunt, qui afferantur: vs. 6 interdicitur, ne εἰσφορᾶς immunitas detur; tum (vs. 7) haec leguntur: [- -α]ὐτῇ κυρίᾳ ἐκ[κλησία]ι μὴ ἔλλατ[ο---; de privilegio igitur quodam (fortasse ei irrogando, qui a populo ἄδειαν petiturus erat) agitur, quod non minus sex milia civium decernere possunt (cf. CJA. IV 1 fasc. alt. p. 11 n. 25, quod fragmentum huc pertinet, vs. 6: χιλι--); vs. 9 ita supplendum censeo: ἐὰν μὴ λῃστῶ[ν ποιῶσι χ]συλλήψεις; cf. [Dem.] LVIII 56, qui dicit Athenienses Meliis extraordinariam pecuniam imperavisse multae nomine propter receptos piratas: »ὅτι τοὺς λῃστὰς ὑπεδέξαντο«; cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 290. — Ceterum si Kirchhoff vs. 4 recte supplevit, quo tempore hoc psephisma factum sit, ex eo sequitur, quod Thuc. I 114, 3 de deditione Hestiaeae in insula Euboea sitae tradidit [cf. etiam Thuc. VII 57, 2. VIII 95; Diod. XII 7. 22; Kirchhoff: Abhdl. d. Berl. Akad. 1873 p. 4]. Cum enim Athenienses Euboeam in dicionem redegissent, Hestiaea quidem colonis Atticis tradita est, sed Chalcis ipsa sua sponte in potestatem Atheniensium rediit [cf. CJA. IV 1, 27a; Gilbert I 392, 1]. Subacti autem

nullo verbo illam legem abrogatam esse memoriae traditur. Nihilo tamen secius legem, si quidem quarto non iam rata fuit saeculo, abrogatam esse verisimillimum est. Quamquam Busolt quidem abrogationis, ubi de ἀδείᾳ rogatori εἰσφορᾶς concedenda agit [l. l. § 194 p. 175 et § 222 p. 194, 10], mentionem nullam facit; verum Gilbert [I 345 adn. 6] illam ἄδειαν posterioribus temporibus non iam valuisse videtur existimare. Atque re vera hoc factum esse et Demosthenis quidem aetate rogatori ea non iam opus fuisse nonnulli apud Demosthenem loci demonstrare videntur, ex quibus hos affero: Dem. II 27, ubi dicit orator: φημὶ δὴ δεῖν εἰσφέρειν χρήματα [cf. VIII 76], neque quidquam de ἀδείᾳ danda addit; deinde apud eundem oratorem I 20 legimus: ἔστι δὴ λοιπόν, οἶμαι, πάντας εἰσφέρειν. Quodsi Demosthenes hac occasione non rogationem fert, id non factum est propterea, quod ἄδεια ei data non erat, sed quod aliae res praesto erant ad aerarii lacunas explendas. Legem igitur de illa ἀδείᾳ danda tum abrogatam fuisse opinor; sed inde a quo tempore ἀδείᾳ rogatori non iam opus fuerit, accuratius definire nequeo. Fortasse lex iam abrogata est, cum εἰσφοραί saepissime imperarentur;[1]) sed si quis posterioribus demum temporibus, veluti Nausinico archonte, anno 378/7, id factum esse contenderit, ab eo non dissentiam. Nam illo anno symmoriae ad tributum extraordinarium cogendum institutae sunt, qua occasione nescio an decretum sit, ut tributa venia non data rogare liceret. Quod si rectum est, qua de causa rogatori ἀδείᾳ non iam opus fuerit, facile intellegitur. Cum enim ex democratia ochlocratia facta esset, id tributum sine populi venia licuit rogare, quod plebs locupletiorum civium, qui εἰσφορᾶς onere maxime premebantur, rationem habere noluit. Accedit, quod eo tempore εἰσφορά, quamquam etiamtum res extraordinaria putabatur, inter ordinaria instituta

sunt Hestiaei eodem anno, quo Chalcis a Pericle expugnata est, id quod anno 445 factum est. Scriptus igitur est titulus eodem anno vel paulo post. — Ad eandem, de qua supra agebamus, rem duo alii quinti saeculi tituli, in quibus εἰσφορᾶς mentio fit, pertinent: CJA. I 55 frg. c; Kirchhoff ad vs. 5 laudat Thuc. VI 8, ubi memoriae traditur Athenienses scivisse, ut sexaginta naves in Siciliam mitterentur; itaque pecunias, quas εἰσφορᾷ collatas esse titulus docet, ad res militares adhibitas esse manifestum est. Amplius quidquam neque ex hoc titulo discimus neque ex eo, qui CJA. IV 1, 116a legitur; cf. vs. 14 et 15.

[1]) cf. Arist. Equ. v. 924.

publica fuit,[1]) ita quidem, ut leges eam sive ad bellum gerendum sive ad lacunam aerarii explendam imponi iuberent.

Una restat quaestio, qua de causa populus quinto ante Chr. n. saeculo civibus εἰσφορᾶς rogaturis veniam dederit. Hoc enim populus eam rationem secutus fecit, quod salus rei publicae pluris esset quam singulorum civium divitiae, praesertim cum, si res publica victa interisset, simul res familiares civium in praedam victoris cessurae essent.

Εἰσφοραί, ut demonstratum est, extraordinaria tributa fuerunt, quibus belli temporibus, cum ordinarii reditus non sufficerent ad rei publicae necessitates, populus aerarium supplebat. Atque etiam alias quasdam extraordinarias rationes supplendae deficiente aerario pecuniae nobis tradunt auctores, quas appendicis loco nunc paucis attingere liceat.

Et primum quidem Pythoclem Atheniensem populo suasisse legimus apud Aristotelem [Oec. II p. 1353], ut plumbum publice eo, quo vulgo venditari solebat, pretio coëmi ac deinde triplo maiore pretio venire ille iuberet, ut huius negotii lucro aerarium augeretur.[2]) Quam rogationem laturo veniam dari necesse fuisse non traditur. Neque enim aerarium publicum, de cuius amplificatione in hac re agitur, illegitime auctum esse videbatur, si populus sicut aliis rebus ita plumbo vectigal imponeret. Veluti Athenis vectigal quoddam fuit, quod in omnibus emptionibus is, qui emebat aliquid, fisco pensitabat.[3]) Num autem ei, qui rogaturus erat, ut novum eiusmodi vectigal institueretur, ἀδείᾳ opus fuerit, pro certo dici non potest, sed dubium est, praesertim cum εἰσφορᾶς rogatori temporibus democratiae non iam temperatae ἀδείᾳ opus non fuerit. Ceterum illo Pythoclis consilio Athenienses videntur non usi esse.[4])

Aliud deinde extraordinarium vectigal Polyaenus [III 9, 30 ed. Melber (Lips. 1887)] commemorat. Iphicratis enim consilio, ut

[1]) Cf. Beloch: N. Rh. Mus. XXXIX p. 245, qui haec dicit: »Die εἰσφορά..., die seitdem (sc. seit 428/7) bis zum Frieden (des Nicias) einen beständigen Posten des attischen Budgets gebildet hat«...

[2]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 289; »Gr. Alt.« I 457. — De monopoliis in antiquis rebus publicis cf. in universum Büchsenschütz: »Bes. u. Erw.« p. 547 sqq.

[3]) Hoc vectigal ab Atheniensibus τὸ ἐπώνιον vocatur; cf. Gilbert: »Staatsaltertümer« I p. 333.

[4]) cf. de hac re Büchsenschütz l. l. p. 548; Schoemann: »Gr. Alt.« I 457.

Schoemanni[1]) verbis utar, „populus vectigal quoddam pro cenaculis in viam prominentibus foribusque, quae in publicum aperirentur, aedium possessoribus pendendum imposuit.“ Sed eadem fere, quae paulo ante exposui, de hoc genere dicenda sunt, etsi id quidem ex alia ratione explicari potest.

Gravissimum denique est, quod nobis de pecuniis publicis vilitate nummum auctis traditur. De qua re Schoemann [l. l.[2])] haec dicit: „Nonnunquam etiam, ut aerario subvenirent, nummos viliores cudi iusserunt (Athenienses) eisque pretium maius, quam quo re vera erant, publica auctoritate tribuerunt, quibus cives atque inquilini intra urbem finesque imperii, aliquantisper certe, inter se uti cogebantur; veluti Callia archonte factum videtur, ut aënei cuderentur, qui pro argenteis valerent.“[3]) Qua in re num rogatori ἀδείᾳ opus fuerit, quaeritur. Accepimus praeter ceteras civitates Graecas Athenienses maximam vim tribuisse bonis nummis.[4]) Quod cum tantae urbis auctoritate et dignitate tum magna et quaestuosa mercatura flagitatum est. Nempe rei nummariae bonitas multum ad commercium et valere debuit et Athenis valuit. Quin etiam forma monetarum cum in aliis rebus publicis Graecis tum Athenis ad altum artificii et perfectionis gradum elata est. Quare in plerisque civitatibus Graeciae haec lex valuit: ἐάν τις τὸ νόμισμα διαφθείρῃ, θάνατον τὴν ζημίαν εἶναι.[5]) Quam legem etiam Athenis ratam fuisse Demosthenes [XXIV 212] docet.[6]) Cum autem lex ad eos privatos proprie pertineret, qui nummos adulterinos percuterent, tamen ea quoque rogatio, ut populus nummos viliores cudi iuberet, leges violavit. Qua de causa, etiamsi inter se tantum cives et inquilini illis vilioribus nummis uti intra Atticam

[1]) Cf. Schoemann: »de com. Athen.« p. 289; eundem: »Gr. Alt.« I 457; Boeckh: l. l. I 92, qui Athenienses id non executos esse dicit. Simile podiorum vectigal iam Hippiam, Pisistrati filium, statuisse Aristoteles Oec. II p. 1347a refert; cf. Thumser l. l. p. 4 adn. 4 (qui per errorem Hippiam Periclis filium vocat).

[2]) cf. etiam eundem: »Gr. Alt.« I 402.

[3]) Laudat Schoemann ad h. l. Aristoph. Eccles. vs. 810 sqq. — Id factum est anno 407 a. Chr. n.; cf. Arist. Ran. 720 et schol. ad h. vs.; Büchsenschütz l. l. p. 600.

[4]) cf. Xen. de vect. III 2; Schoemann: »Gr. Altert.« I 435; Büchsenschütz p. 537 sq.; Gilbert I p. 313, 1; Busolt § 210 p. 186.

[5]) cf. Dem. XXIV 212; Büchsenschütz p. 538.

[6]) cf. Dem. XX 167. Id tantum incertum est, utrum lex iam Solonis aetate an posterioribus demum temporibus valuerit.

finesque imperii cogerentur, rogatori ἀδείᾳ opus fuisse censeo. Denique accedit, quod haec aerarii supplendi ratio tam iniqua et invidiosa fuit, ut sine venia vix quemquam ausum esse putem rogationem suadere. Quodsi populus veniam dedit rogationis ferendae democratia indignae, ex nulla alia causa nisi propter angustias rerum id fieri potuit.

III. Privilegia quaedam praemii causa data.

Quoniam demonstravimus, ad quas rogationes ferendas ἄδεια a populo impetranda fuerit, nunc in nonnullas species inquiremus, ubi ἀδείᾳ rogatori modo opus fuisse, modo non fuisse arbitror. In universum enim dicendum est unum quodque privilegium (vel potius populiscitum privum) venia non concessa rogare licuisse, si populus hominibus de re publica bene meritis praemium impertire voluerit. Et erant privilegia, quae ob nullam aliam causam nisi ob beneficia in rem publicam collata[1]) dabantur, velut quotidianus in prytaneo victus, statua ponenda, imprimis civitas peregrino cuidam tribuenda.[2]) Alia autem privilegia modo

[1]) Cf. [Dem.] LIX 89: δι' ἀνδραγαθίαν; Szántó: »Untersuch. üb. d. att. Bürgerrecht« in: »Untersuch. aus d. alt. Gesch.« (Vindob. 1881) p. 29 sq.

[2]) Secundum Solonis legem eos solos cives facere populo licuit, qui ex patria expulsi erant aut qui Athenas venerant, ubi artem aliquam exercerent; cf. Plut. Sol. XXIV; v. de hac re Schenkl: »Wiener Studien« II 165 sq. [De civitate peregrinis et servis a Clisthene data cf. Aristot. Polit. III p. 1275b; »Wien. Stud.« V 70]. De posteriore aetate cf. Busolt § 16 p. 16. § 154 p. 139; Caillemer: »La naturalisation à Athènes« p. 5; Szántó l. l. p. 26 sqq. Ante pugnam apud Arginussas factam etiam servis militiae sacramento obligatis, si fortiter se gessissent, i. e. praemii causa, non modo libertatem, sed etiam civitatem datum iri populus promisit; cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 352. 356; Büchsenschütz: »Bes. u. Erw.« p. 172, 4. p. 180, 4; »Wien. Stud.« V 64; Busolt § 151 p. 136; cf. etiam ibid. § 13 p. 12 [De civitate Plataeensibus data cf. Caillemer l. l. p. 11 adn. 2; Szántó p. 7 sq. 30]. — Hoc loco simile quid paucis tractare liceat. Plutarchus Pericl. XXXVII memoriae tradidit in gratiam Periclis, praeclarissimi illius viri, populum Atheniensium concessisse, ut filius eius et Aspasiae Milesiae in civium numero referretur, quamquam ipse, ut ait Plutarchus: νόμον ἔγραψε μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυεῖν Ἀθηναίων γεγονότας (»ne quis civis esset Athenis, nisi qui ex utroque parente cive esset procreatus«; cf. Schenkl l. l. II p. 169 sqq.; ibid. V 60 sq.). Periclem illo tempore veterem legem restituisse cum alii putant tum Oncken: »Staatslehre d. Arist.« II 124 [cf. etiam Blassi in Plut. vit. sel. ed. Siefert et Blass (vol. III Lips. 1883) adn. ad Plutarchi locum]; Buermann autem: Jahrb. f. klass. Philol. Suppl. IX 624 sqq. Periclem ex Solonis lege διαψήφισιν

cum populi venia modo sine venia rogare licuisse puto: opus erat venia eis, qui illa a populo meri beneficii causa petituri erant, non opus erat ad ea privilegia roganda, quae a populo praemii causa tribuebantur. Nam populiscita quaedam priva rogare non licuit ex iure Attico, nisi quis rogavit, ut praemii causa darentur. Itaque si quis tale quid sibi aut alii rogabat de re publica non bene merito, leges violabat, quae omnium civium ἰσονομίαν tuendam curabant. Quae cum ita se habeant, illi rogatori ἀδείᾳ opus fuit; non opus fuit, si de homine bene de republica merito agebatur.

1. Iam vero ad singula pertractanda nos vertamus. Ac primum quidem de privilegio ἐγκτήσεως γῆς καὶ οἰκίας[1]) pluribus disserere mihi in animo est.

Inquilinis fundos domosque in Attica neque acquirere neque possidere licuit.[2]) Agrorum enim possessio ut in tota Graecia ita in

civium rogasse censet [cf. Gilbert I p. 179, 1]; aliter sentiunt Schenkl: »Wien. Stud.« V 60 (qui Periclem Solonis legem ad tempus mutasse contendit) et Beloch: »Bevölkerung d. gr.-roem. Welt« p. 80. — Ceterum, si quidem et Periclem non psephisma, sed legem pertulisse et διαψήφισιν non psephismate, sed lege fuisse rogandam constat [cf. »Wien. Stud.« V 60. 82], fieri potest, nisi aliae Buermanni sententiam refutent causae, ut Periclem διαψήφισιν lege rogasse statuamus. — Utique autem legem a Plutarcho commemoratam Athenis valuisse constat; itaque si quidem Periclis filio illud privilegium irrogatum est, num id ἀδείᾳ non data fieri potuerit, quaerat quispiam. Legem illam tum non abrogatam esse in nomothetarum collegio ex eo patet, quod Euclide archonte Aristophon quidam eam renovasse dicitur [cf. Schaefer: »Dem. u. seine Zeit« I² 138 sq.; Oncken: »Staatsl.« II 124, 1; Gilbert: »Staatsalt.« I p. 178—181; Busolt § 157; cf. etiam Schenkl: »Wien. Stud.« V 58. 63 sq. (qui Aristophontem Periclis legi aliquid adiecisse itaque legem Soloneam supplevisse dicit)]; si igitur lex, quae rata erat, in gratiam alicuius hominis in tempus sublata esset [cf. Suid. s. v. δημοποίητος: λύσας τὸν ἑαυτοῦ νόμον; cf. etiam Plut. Per. XXXVII; Ael. var. hist. VI 10. XIII 24], id quod summam populi potestatem violasset, rogatori ἀδείᾳ opus fuisse statuendum esset. Accedit, quod ille homo in civitatem receptus et civitatem et civitatis deos polluit. At vero agitur in hac re de civitate danda, i. e. de ψηφίσματι ἐπ' ἀνδρί, quod venia non data rogari potuit; cf. Suid. s. v. δημοποίητος. Civitas sane hac occasione non δι' ἀνδραγαθίαν data est, sed in honorem patris, qui de re publica optime meruerat; cf. Busolt § 157 p. 141; Mnem. n. s. XV p. 9 adn. 1.

[1]) cf. Westermann: »de publ. Ath. hon.« p. 13. Sane etiam hoc privilegium semper fere praemii causa datum est, sed una exceptio nobis nota est; v. paulo infra.

[2]) cf. Dem. XXXVI 6; Hermann: »Gr. Alt.« I⁵ § 115, 5; Boeckh: »St.

Attica erat res maximi momenti, quae per Solonem condicio non illa quidem civitatis, tamen omnis in civitate auctoritatis et potentiae[1]) facta est et posterioribus quoque temporibus civitatis fundamentum putabatur.[2]) Itaque lex valuit, ut praetores, qui praeter ceteros ad patriam tuendam praesto essent, et oratores, qui populo optima dare studerent consilia, agros possiderent.[3]) Atque similem rationem secutus Phormisius quidam, postquam imperio triginta virorum dissoluto populares in patriam redierunt, rogavit, ut ii soli civitate cum suffragio et iure honorum fruerentur, qui agros possiderent, quae sane rogatio non perlata est.[4]) Utique et inquilini et peregrini in Attica agros possidere vetiti erant; si quis autem privilegium ἐγκτήσεως γῆς καὶ οἰκίας (i. e. ius agros atque domos in civitate peregrina et acquirendi et possidendi) a populo petiturus erat, id certe nisi venia prius concessa fieri non potuit.[5]) Nam populi voluntas legesque peregrinos consanguinitatis ac gentilitatis vinculo cum civibus non coniunctos[6]) a fundi domuumque possessione prohibuerunt, ne quid ipsi cives detrimenti caperent.[7]) Agros enim colere ac possidere sicut optimum putabatur fundamentum cuiusque civitatis,[8]) ita civium

d. Ath.« I 196; cf. etiam CJA. II 17; Xen. de vect. II 6; Büchsenschütz l. l. p. 41; Schubert: »de prox. Att.« p. 41; Busolt § 15 p. 14, 4; »Wiener Studien« II 174. 178; ibid. VII 49 sq.

[1]) cf. Curtius: »Gr. Gesch.[5]« I 320; Oncken: »Ath. u. Hell.« I 155 sq.

[2]) cf. Ad. Philippi: »Beitr. zu einer Gesch. d. att. Bürgerrechtes« (Berol. 1870) p. 18; cf. etiam Büchsenschütz l. l. p. 56.

[3]) cf. Dinarch. I 71; Platner: »Proc. u. Kl.« I 321 sq.; Schoemann: »Ant. i. p. Gr.« p. 238; Hauvette-Besnault l. l. p. 43. Erat enim antiquarum civitatum opinio eorum, qui fundos possiderent, patriam defendi ab exteris hostibus magis interesse quam aliorum civium; cf. e. c. Büchsenschütz: »Bes. u. Erw.« p. 27 sq.; v. etiam supra p. 33 adn. 2.

[4]) cf. de hac re Büchsenschütz l. l. p. 57, 2; Busolt § 143 p. 128, 7.

[5]) cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 98; Busolt § 152 p. 137, qui haec dicit: »Die Metöken besassen nicht die bürgerlichen Rechte und konnten daher auch nicht ohne Weiteres Grundbesitz erwerben«; cf. titulum Atticum, qui alterius Atheniensium societatis maritimae temporibus (anno 378/7) ortus Athenienses in urbibus sociorum et praedia et domos acquirere et possidere vetat: CJA. II 17; cf. Büchsenschütz p. 68; Schubert: »de prox. Att.« p. 47; Busolt § 246 p. 219 sq.

[6]) cf. Schenkl: »Wiener Studien« II 162.

[7]) Velut domos conducere multis civibus quaestui fuit; cf. Büchsenschütz p. 95, 4; Boeckh: »Staatsh.« I p. 198.

[8]) cf. Büchsenschütz p. 27; Schoemann: »Gr. Alt.« I 98; Philippi l. l. p. 18 adn. 30.

praecipuum ius putabatur, quod unum peregrinos inferioris ordinis cives faceret. Itaque sacri soli tum demum participi esse licet peregrino, cum populus privilegium rogaturo ἄδειαν concessisset et ipsam rogationem probasset. Quod rarissime vel nunquam fere accidisse verisimile est, cum ἀδεία, ubi agebatur de inquilinis bene de re publica meritis, qui soli illud privilegium sibi irrogatum iri sperare poterant,[1]) ἔγκτησιν rogaturis opus non fuerit; — quamquam nescio an etiam ii, quorum nulla in rem publicam merita extabant, simulatione quadam publica beneficii tribuendi causa bene meriti esse ferebantur. — Illuc pertinet titulus Atticus [CJA. II 168],[2]) qui, ut uberius hoc loco tractetur, dignus est. Extat enim et psephisma senatus et populi decretum de hac re: Mercatores Citiei primum a senatu ἔγκτησιν γῆς petunt ad aedem Veneris exstruendam. Senatus autem probuleumate non perscripto rem ad populum defert. Tum in comitiis Lycurgus orator, cum mercatores „ἔννομα ἱκετεύειν“ dicat, ut privilegium iis irrogetur, efficit. Quod num impunitate rogandi concessa factum sit, quaeritur. Quamquam autem petitio voce ἱκετεύειν significatur, id quod cum usu loquendi congruit, tamen ἄδειαν datam esse nullo verbo affirmatur. Sane quidem hic titulus non tabula publica Attica est, sed Citieos ipsos columnam statuendam curavisse Koehler probavit.[3]) At id non explicat, quare Citiei ἄδειαν decretam silentio praeterissent, si ea opus fuisset. Quam rem homines docti, qui de hoc titulo disputaverunt, non verbo attigerunt. Et Foucart quidem [l. l. p. 129] haec dicit: „L'autorisation accordée par un double vote du conseil et du peuple porte sur deux points: le premier est le droit d'acquérir et de posséder un terrain, droit qui n'appartenait à un étranger que par un décret public; le second est l'usage à faire du terrain et la fondation d'un temple consacré à une divinité étrangère . . . .“[4]) Sed hoc, mea quidem sententia, sine populi venia

[1]) Cf. Dem. XX 151. XXIII 123; Thumser: »de civ. Ath. mun.« p. 137 adn. 1; Büchsenschütz p. 41.

[2]) De hoc titulo plures iam homines docti disseruerunt: Hartel: »Stud.« pluribus locis: p. 37. 79—83. 148. 213 sq. 243; Koehler: Hermes V 352; Foucart: »des associations religieuses chez les Grecs« (Paris 1873) p. 128 sqq.

[3]) cf. l. l. p. 352; Hartel l. l. p. 37; »Wien. Stud.« I 276 sq.

[4]) cf. Schenkl: »Wiener Studien« II 212, qui haec dicit: »metoecis neque templa condere neque statuas ponere licebat, nisi venia a senatu populoque impetrata«, ad quam rem CJA. II 168 et 475 [continet autem hic titulus (475) senatus consultum de statua metoeco ponenda] laudat.

rogari non potuisset, nisi id accessisset, quod Citiei exteram religionem advehendo idem facturi erant, quod antea Aegyptii fecerant. Deinde si quidem ad fundi acquirendi rogationem ferendam ἄδειαν dari necesse non fuit, eam causam esse puto, quod in honorem deae rogatio lata est aut quod, cum antea Aegyptiis quoque ad templum Isidis deae erigendum locus concessus esset, ea Citieorum supplicatio (ἱκετεία) videri potuit „ἔννομος".[1]) Nihilo tamen secius Citiei quoque id privilegium non petunt, sed supplices orant;[2]) cuius rei duas potissimum invenio causas: alteram, quod inquilinis rogationes ferre ad senatum populumque omnino non licuit Athenis; alteram, quod inquilinos fundum acquirere et possidere lex vetuit. Verum ἀδείᾳ iis quidem opus non erat, quod agrum quendam ad rem sacram adhibendum acquirere volebant. Cuius rei analogia in promptu est: Apud Athenienses enim mulieres tantum usque ad modii pretium potestatem rei familiaris habuerunt; quin etiam mulieri ne donare quidem licuit sine tutoris auctoritate nec inter vivos nec mortis causa. Attamen dis immortalibus et temporibus et locis omnibus suo iure consecrationes feminae fecisse videntur.[3]) Eodem modo hac occasione Athenienses templi exstruendi potestatem dederunt in honorem deae. Sed quaerat quispiam, nonne vox ἱκετεύειν, quam in titulo, de quo agitur, legimus, ad ἄδειαν datam referenda sit. Quod ut illustrem, de verbi significatione pauca iam exponam, quoad ἱκετείας caerimonia ad ius publicum pertinet. Duae autem notiones hic distinguendae sunt: altera in usu est, si quis supplex (ἱκέτης) a populo petit, quod leges vetant (quod ubi fit, de ἀδείᾳ danda cogitandum est), altera, si quis petit, quod usu sancitur. Et illa quidem, quae propria est, notione adhibetur vox, si quis a populo gratiam petit, id est si quis in comitiis „ἱκετηρίαν θέμενος"[4]) impune verba facit, ut ἄδειαν rogationis ferendae impetret a populo, quae

[1]) Cf. Foucart p. 130. — De religionibus exteris apud Athenienses cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 402. II 147 sqq.; Lüders: »Die Dionys. Künstler« (Berol. 1873) p. 30. — Omnino hoc decretum a reliquis, quibus privilegium ἐγκτήσεως singulis hominibus defertur, secernendum est; cf. Schubert l. l. p. 42.

[2]) cf. Foucart l. l.

[3]) cf. accuratissimam huius rei tractationem apud Henricum Lewy: »de civili condicione mulierum Graecarum« (Vratisl. 1885) p. 15. 21 sqq., cuius verba exscripsi.

[4]) cf. Poll. VIII 96.

rogatio a lege quadam dissentit.[1]) Hac autem notione verbum ἱκετεύειν adhibetur, si quis a iudicibus aut a populo petit, quod quidem legibus non interdictum, immo vero usu sanctum fuit, cum concedere penes populum esset aut denegare.[2]) Ἱκετηρία autem nihil aliud nisi precibus pondus affert.[3]) Sed haec hactenus.

Aliter res se habuit, h. e. ἀδείᾳ rogatori nequaquam opus fuit, si praemii causa ἔγκτησιν populus Atheniensium decrevit. Nec raro Athenienses, sicuti aliae civitates, peregrinis,[4]) praesertim inquilinis, privilegium agros domosque in Attica possidendi psephismatis irrogaverunt.[5]) Formula autem psephismatum, quae in multis titulis extat, haec est: εἶναι δὲ αὐτῷ (-οῖς) γῆς ἔγκτησιν καὶ οἰκίας.[6])

[1]) Cf. Dem. XXIV 50 (in lege). ibid. 12; argum. II ad Dem. or. XXIV p. 695; argum. ad Dem. or. XXIV p. 694.

[2]) Quod ad alteram huius usus speciem attinet, verbum ἱκετεύειν plerumque cum vocabulo δεῖσθαι coniunctum et idem fere significans ab oratoribus Atticis saepissime usurpatur; cf. e. c. [Dem.] LVIII 3. 27; Dem. XXVII 68. XXI 7. XXIV 52. XLIII 84; Isocr. XV 321; Is. II 2. 44. VI 57. VIII 45; cf. etiam [Dem.] LIX 85. Quod ad alteram speciem attinet [cf. Foucart l. l. p. 130], in titulis quibusdam Atticis de hac re verba: ἔννομα ἱκετεύειν leguntur. Velut ius honorum quorundam posteris confirmandorum penes populum fuit [cf. Schubert p. 19], si igitur posteri eorum, qui honoribus affecti sunt, a populo petunt, ut privilegia tributa sibi confirmentur, »ἔννομα ἱκετεύειν« videntur, i. e. petitionem legitimam esse populus censet [cf. CJA. II 230 fr. b v. 16; de hoc titulo cf. Buermann: Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. X p. 353 sqq.]. Ab his verbis non multum differt, si dicitur: αἰτεῖσθαι κατὰ τὸν νόμον, id quod saepe in honorum decretis legitur. His enim verbis eorum hominum petitio significatur, qui bene de re publica meriti a populo privilegium petunt aut privilegium quoddam iam assecuti etiam aliud sibi tribui volunt.

[3]) cf. e. c. Aesch. II 15.

[4]) De hoc privilegio totis urbibus dato cf. Büchsenschütz p. 42; Schubert p. 47.

[5]) cf. Hermann: »Gr. Alt.« I § 116, 4; Westermann: »de publ. Ath. hon.« p. 13; Schubert l. l. p. 41. Apud Pollucem VII 15 loco ἐγκτήσεως verbum ὠνήσεως legitur.

[6]) Titulos Atticos, qui huc pertinent, ex CJA. vol. II collatos affero: (CJA. II) 41. 44. 68. 91. 131. 139. 142. 145. 165. (168). 170. 171. 176. 186. 208. 209. 222. 282. 367. 369. 370. 380. 414. 423; cf. Ἀθήν. VI p. 136; Mitteil. d. deutschen archaeol. Inst. VIII p. 218 [CJA. II 550 extat decretum Delphorum, qui cum alia privilegia tum ἔγκτησιν tribuunt]; cf. Schubert l. l. p. 40. Cf. denique Bulletin de corresp. hell. 1888 num. III vs. 17 sqq. — Etiam δοκιμασία commemorari videtur; cf. Hartel: »Stud.« p. 270 sq.; Szántó l. l. p. 5; Schubert l. l. p. 45 sq. — Sola ἔγκτησις οἰκίας tribuitur e. c. CJA. II 42. 70. 121. 413.

De privilegio ἐγκτήσεως peregrinis, praecipue proxenis, irrogato[1]) praeclare egerunt Boeckh [„Staatsh. d. Ath.“ I 196 sqq.], deinde Schubert [„de proxenia Att.“], nuperrime Monceaux [„Les Proxénies Grecques“ (Paris 1885)]. Et Boeckh iam in quaestionem vocavit, utrum privilegium ἐγκτήσεως cum προξενίᾳ aut ἰσοτελείᾳ coniunctum fuerit necne. Mihi quidem haec duo privilegia non coniuncta videntur fuisse[2]) propterea, quod in decretis προξενίας plerumque ἔγκτησις disertis verbis enumeratur. Quamquam enim publici hospitii (προξενίας) privilegio irrogato non fuit, cur ἔγκτησις non daretur, tamen, ut ἔγκτησις separatim rogaretur, lex erat.[3]) Itaque in nonnullis decretis προξενίας additamentis diserte ἔγκτησις decernitur;[4]) contra in decreto, quo ἔγκτησις irrogatur, haec legimus: εἶναι δ᾽ αὐτὸν πρόξενον κτλ.[5]) Quae cum ita sint, facile haec decretorum quorundam verba intellegi possunt: εἶναι δὲ αὐτῷ καὶ πρόσοδον πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον, ἐάν του δέηται (si quid opus sit vel, si quis aliud privilegium sibi irrogari velit).[6]) Difficilior res est, si in decretis προξενίας haec leguntur: εἶναι δὲ αὐτῷ καὶ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν „κατὰ τὸν νόμον“; sed secundum ea verba, quae in titulo [CJA. II 423 vs. 5 sqq.] inveniuntur: δεδό[σθαι] [δὲ αὐτῷ κ]αὶ [πρ]οξε[ν]ί[αν] καὶ γῆς καὶ ο[ἰ][κίας ἔγκτησιν] αἰτησα[μέ]νῳ κατὰ τὸ[ν] [νόμον..... ad verba: κατὰ τὸν νόμον supplendum esse: „αἰτησαμένῳ“ equidem censeo.[7])

[1]) Cf. Westermann l. l.; Tissot: »Des Proxénies Grecques« (Dijon 1863) p. 73 sq.; Szántó l. l. p. 44.

[2]) cf. Gilbert l. l. I p. 173, 2. II 336 sq.; Schubert p. 12. 14. 25; Koehler: Mitteil. d. dtsch. archaeol. Inst. VIII p. 220, 1; Foucart: Bull. de corr. hell. 1888 num. III p. 168; cf. etiam Dem. XX 133. — Monceaux l. l. p. 98, 6 aliter sentit.

[3]) De προξενίᾳ et πολιτείᾳ cf. Tissot l. l. p. 81 sqq.; Monceaux l. l. p. 59 sq. 100.

[4]) cf. e. c. CJA. II 41. 131; cf. etiam CJA. II 186. Ἔγκτησις sine προξενίᾳ, ut tituli docent, iam ante Euclidem bis donata est; cf. CJA. I 44, si quidem ex litteris tituli valde mutilati vs. 21 servatis: τησιν, iure verbum ἔγκτησιν restituitur, et certo in CJA. I 59. Post Euclidem ἔγκτησις saepissime tributa est; v. supra p. 73 adn. 6.

[5]) cf. e. c. CJA. II 44.

[6]) cf. CJA. II 41; cf. de hoc privilegio Schubert p. 33. 38; Monceaux p. 98. — In duobus titulis: πρόσοδος πρὸς τὸν πολέμαρχον καθάπερ τοῖς ἄλλοις προξένοις tribuitur [CJA. II 42. 131]; cf. Schubert p. 13, qui id non inepte explicat, sed rectius fortasse de hac re agitur: »Wien. Stud.« VII 51, 29 sq. 52 sq.; cf. etiam Monceaux l. l. p. 30. 91 sq. 95.

[7]) cf. CJA. II 438. 455; Schubert p. 47; aliter de hac re agit Monceaux p. 98, 6; cf. etiam Caillemer: »la naturalisation à Athènes« p. 17; Koehler: Mitteil. l. l.

Ut igitur paucis id, quod exposui, complectar: si quis peregrinus hospes publicus (πρόξενος) factus est, quamquam non iam hostis rei publicae putabatur, tamen, ut ἔγκτησιν a populo peteret, necesse erat, nisi ea statim in decreto προξενίας ei irrogata esset.[1])

Atque idem dicendum est de ἰσοτελείᾳ, quacum ἔγκτησιν non coniunctam esse Schubert [l. l. p. 52 sqq.] demonstravit.[2])

In titulis allatis nullum ἀδείας rogatori datae vestigium videmus propterea, quod privilegium ἐγκτήσεως praemii causa iis tributum est, qui bene de re publica meriti erant.

Item agrorum donatio, cuius pauca exempla extant,[3]) Athenis nisi ob merita publica non evenit.

2. Transeo ad aliud huius generis privilegium, quod verbis: πρόσοδος πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον significatur.

Privilegio enim opus erat Athenis, ut civibus exterarum urbium in senatu et in comitiis adesse liceret, id quod populus Atheniensium populiscitis non raro decrevit.

Antequam autem hanc ipsam rem exponam, ut de aliis quibusdam privilegiis breviter disputem necesse est: si cum populo aut de rebus civis alicuius ante negotia a prytanibus proposita aut de rebus programmate omnino non promulgatis agebatur.

Iulio Polluce quidem auctore [VIII 95 sq.] programma quattuor ordinariarum contionum certum et praefinitum fuit.[4]) Sed dubium non est, quin illis negotiis expeditis etiam de aliis rebus agi licuerit suo tempore programmate promulgatis[5]) aut ad senatum saltem latis.[6]) Atque etiam extraordinariarum contionum

[1]) Προξενίας privilegium praemium quidem, sed nihil aliud nisi titulus honorarius est [cf. Schubert p. 4], quocum neque ἔγκτησις [cf. CJA. II 41] neque ἀτέλεια [cf. CJA. II 91; Dem. XX 133] neque ἰσοτέλεια [cf. CJA. II 48] ipso iure coniunctae sunt; cf. Gilbert: »Staatsalt.« I 173; Schubert l. l. p. 12.

[2]) cf. CJA. II 413; »Wien. Stud.« VII 66; Monceaux l. l. p. 103.

[3]) cf. Büchsenschütz l. l. p. 63; Monceaux l. l. p. 37 et adn. 3. p. 98 sq.

[4]) cf. Ad. Reusch: »de dieb. cont. ord. ap. Athen.« in: »dissert. phil Argent. sel.« vol. III (Argent. 1880) p. 73 sqq., qui id falsum esse putat; sed Polluci hoc loco fides tribuenda est, dummodo ne ordinem contionum ab illo commemoratum rectum esse credat quispiam; cf. Gilbert I 282, 3; cf. etiam Schoemann: »Antiqu.« p. 226.

[5]) De programmate cf. Gilbert I 270. 282 sq. et adn. 3; Busolt § 189 p. 170. De hac re cf. Reusch l. l. III p. 71 sqq.; v. infra in libro alt. cap. II s. f.

[6]) cf. Perrot: »le droit public d'Athènes« p. 39.

negotia plerumque antea programmate promulgabantur. Tum secundum programma de rebus propositis actum est, ita quidem, ut rogationibus a praetoribus ad populum delatis nulla alia causa antecederet.[1]) Itaque si quis civium in comitiis ante negotia publica legitime constituta aut de rebus programmate senatus non promulgatis[2]) verba facere vellet de rebus privatis, id privilegio demum irrogato fieri potuit.[3]) Quo privilegio τὸ πρόγραμμα senatus, quod Ps.-Demosthenes [XXV 9] inter gravissima comitiorum fundamenta enumerat, non τὸ κύριον τῆς πολιτείας violatur, quam ob rem de ἀδείᾳ rogatori danda non cogitandum est. Huc pertinet id, quod Schoemann [„de com. Ath." p. 333] commemorat, quo loco haec dicit: „Apud Aeschinem [de f. leg. 15] legimus: expugnata a Philippo Olynthiorum urbe, cum simul cives quidam Attici Olynthi tunc forte degentes a Macedonibus capti essent, horum propinquos supplices in contionem prodiisse populumque orasse, ut illorum, qui capti essent, salutem curae sibi haberet." His autem, ait Schoemann [ibid. p. 334], beneficium aliquod a populo petentibus ἄδειαν dari necesse fuit, ut liceret iis verba in comitiis facere de rebus non propositis a prytanibus. Sed in hac re ἄδειαν rogandi non petitam esse iam ex eo apparet, quod ratio veniae dandae difficillima erat, res autem, de qua agebatur, differri non poterat. Accedit, quod hac occasione rogationes non latae sunt, sed cives quidam nihil aliud nisi omnibus precibus oraverunt populum, ut captivorum illorum salutis curam haberet, id quod supplicibus impune facere licuit. Supplicum

[1]) Cf. Busolt § 179 p. 163, 7.

[2]) quas Poll. VI 144 »ἀπρόγραφα« nominat; cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 382,6; Perrot l. l. p. 39, 2.

[3]) In multis titulis haec leguntur: καὶ εἶναι αὐτοῖς πρόσοδον πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά [Titulos huc pertinentes affert Hartel: »Stud.« p. 175 sq.; cf. Heyse: »de legationibus Att.« (Gotting. 1882) p. 59]. Eis, quibus hoc privilegium tributum erat, quotienscunque cum senatu et populo iis agendum erat, ad senatum populumque aditum sibi patefacere (πρόσοδον ποιεῖσθαι) licuit, ut de rebus suis referrent. Tum ex his decreti verbis: πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά eorum res statim post sacra agendae erant [cf. Schubert l. l. p. 34]. Quae verba explicat Monceaux l. l. p. 31 sic: »après les cérémonies religieuses préliminaires«. Τὰ ἱερά autem non esse caerimonias sacras, quae uniuscuiusque contionis initio haberentur, probaverunt cum Hartel [»Stud.« p. 174] tum Schubert [l. l. p. 36. 37]; sed haec verba significare videntur »post actiones de rebus sacris« [p. 37]. Nam περὶ ῥητῶν actiones in programmate uniuscuiusque contionis positas fuisse statuendum est [cf. Schubert p. 36; »Wien. Stud.« I 289; aliter sentit de hac re Heyse p. 59].

autem ritu illos auxilium petere oportebat propterea, quod ratione non legitima petitio facta est[1]) vel, ut aliis verbis dicam, quod privilegio non dato de rebus non promulgatis verba illi fecerunt. Privilegii autem, de quo supra dixi, rationem hanc fuisse equidem censeo. Si quis civium, antequam in comitiis verba faceret, senatum adierat, ita ut a prytanibus introductus de rebus privatis ante negotia legitima[2]) et programmate promulgata agendi facultatem haberet, id privilegium probuleumate senatus rogatum προχειροτονίᾳ, ut opinor, concessum est;[3]) sin statim in comitiis aderat, ut aliquid a populo peteret, id supplici impune facere licuit. De ipsa re populus postea senatus probuleumate perscripto egit.

Quibus expositis nunc iam quaeritur, qualis eorum civium causa fuerit, qui senatus auctoritate omnino omissa, h. e. sine senatus probuleumate, rogationes tulerunt.

Inter omnes constat nihil licuisse Athenis ad populum deferre nisi quod antea a senatu pertractatum ac probuleumate instructum esset.[4]) Nam populus quidem summam potestatem tenuit, sed, ut Schoemanni verba usurpem [„de com. Ath." p. 158], „ne.. nimis libera esset et effrenata potestas demagogorum seditiosorumque hominum eloquentia in contionibus dominantium duo erant remedia a Solone sapientissime excogitata: alterum, ut, qui legem inutilem aut perniciosam [vel potius alii legi repugnantem[5])] tulisset, male rogatae legis, παρανόμων,[6]) accusari posset a quolibet cive...; alterum autem, ne quod psephisma a quoquam ad populum ferretur nisi comprobatum antea a proedris" (vel potius a senatu)...[7]) Quare senatus convocavit contionem, convocatae, de quibus erat agendum, res proposuit si non semper, tamen plerumque[8]) probuleumate instructas easque arbitrio et

[1]) V. supra p. 72 sq. 73, 2.

[2]) Singulis hominibus de rebus privatis statim »μετὰ τὰ ἱερά« cum populo agendi privilegium populiscito delatum est; cf. Hartel: »Stud.« p. 176.

[3]) Idem de legatorum introductione coniecit Gilbert: Jahrb. f. klass. Phil. 1879 p. 237; Staatsalt. I p. 277, 1; cf. Heyse: »de legat. Att.« p. 59; aliter sentit Hartel: »Wien. Stud.« I 287.

[4]) cf. O. Miller: »de decretis Atticis quaest. epigr.« (Vratisl. 1885) p. 7.

[5]) cf. Gilbert I p. 284, 1.

[6]) Eadem γραφὴ παρανόμων constitutioni democraticae propugnaculo fuit; cf. Thuc. VIII 67. 68; Dem. XXIV 154.

[7]) Ordinem verborum exscriptorum consulto inverti. — De hac re in libro alt. cap. III copiosius agetur.

[8]) cf. Miller l. l. p. 7.

suffragio populi permisit. Saepe enim senatus satis habuit ante contionem programmate rogationes ad populum ferendas promulgasse et in ipsis comitiis, ut de iis rebus disceptaretur, curasse. Itaque si quis civium rogationem ad populum laturus erat, antea „πρόσοδον γράψασθαι πρὸς τὴν βουλήν“ [1]) necesse erat.[2]) Tum demum civi a senatu in contionem producto[3]) rogationem programmate promulgatam et probuleumate plerumque instructam in comitiis defendere licuit. Sin quis rogationem a senatu non promulgatam neque probuleumate comprobatam ad populum tulerat, παρανόμων eum accusandi unusquisque ἐπίτιμος potestatem habuit.[4]) Ad omnes sane rogationes in comitiis ex senatus consulto latas non solum additamenta rogare,[5]) sed etiam probuleumata reicere et aliter decernere populo licuit.[6]) Atque id quoque fieri potuit, ut novae rogationes in ipsis comitiis ad populum ferrentur, dummodo ad eas, de quibus agebatur, res pertinerent.[7]) Rogationes autem ad res in programmate promulgatas non spectantes neque probuleumate instructas in comitiis ferre licuisse nego; nec de venia danda hoc loco cogitari posse per se ipsum intellegitur. Nam is civis solus illegitima illa ratione rogationem fert, qui senatus auctoritate omissa illegitimam quandam rogationem facilius se perlaturum sperat, isque veniam — etiamsi de ea posset cogitari —

[1]) Cf. Dem. XXIV 48.

[2]) cf. »Wien. Stud.« VII 51; populus ipse πρόσοδον decernit homini privato e. c. CJA. I 31.

[3]) cf. And. de myst. 111; schol. ad Aristoph. pac. 905.

[4]) Velut Thrasybulum ab Archino παρανόμων accusatum esse legimus, quod absque senatus auctoritate rogationem ad populum tulisset; cf. Plut. vit. X orat. p. 835 sq.; Meier: »de bon. damn.« p. 121. Cf. etiam Dem. adv. Androt. orat.; Androtio enim rogationem senatus auctoritate neglecta apud populum pertulerat, sed paulo post in ius vocatus est.

[5]) cf. Thumser: »de civ. Ath. mun.« p. 142; Miller l. l. p. 43.

[6]) cf. Mittcil. d. dtsch. archaeol. Inst. VIII 213. 216; Busolt § 190 p. 172, 1.

[7]) Quod si fiebat, saepe (non semper, ut Hartel vult; cf. e. c. »Wien. Stud.« I 290) rem populus ad senatum reiciebat, ut probuleumate ille rogationem instrueret [cf. Gilbert l. l. I p. 278, 3; Busolt § 190 p. 172, 2]. Itaque id, quod L. Schmidt: »de auctorit. προβουλεύματος in republ. Athen.« (Ind. Lect. Marb. 1876/7) p. VI dicit: licuisse Athenis cuivis civi rogationes neglecto senatu ad populum ferre, dummodo populus, priusquam de re decerneret, eam ad senatum reiceret, ut is eam deliberaret iterumque populo proponeret [id quod Miller: »de decretis« p. 54 non probat], hoc modo commutandum puto, ut statuamus homini privato rogationis ad populum ferendae causa senatus probuleumate opus non fuisse in ea re, de qua forte ageretur in comitiis.

a populo petere ausus non esset, quoniam vera consilia protinus patefieri necesse fuit.

Sed ad rem propositam revertamur et de privilegio προσόδου disseramus, ac primum quidem de hoc privilegio legatis concesso.

Imprimis enim legatis exterarum civitatum, quarum res ab iis agerentur, permissum est, ut aditum ad senatum populumque haberent,[1]) ita quidem, ut iis statim post actiones de rebus sacris verba facere liceret.[2]) Ii autem legati, quorum civitatibus illud privilegium non irrogatum est, a prytanibus non sine ambagibus in senatum populumque introducti sunt.[3]) Quorum duo genera distinguenda sunt. Atque foederatarum quidem vel amicarum civitatum legati, aut si qui suorum negotiorum causa ex alia civitate Atheniensibus non infesta populum Atheniensium adire volunt,[4]) ubi Athenas venerunt, petunt a senatu, ut sibi aditum ad senatum populumque det. Quod si senatus populusque probavit[5]) eamque sententiam prytanes cum legatis communicarunt, statim legati senatum adeunt.[6]) Deinde introductis a senatu[7]) legatis facultas est in comitiis ad id destinatis[8]) cum populo agendi. In aliis autem comitiis id tum demum fieri potuit, cum populus iis psephismate privilegium irrogasset.[9]) Hostilium vero civitatum legati in senatu aut in comitiis adesse vel potius urbem intrare vetiti erant, nisi iis, ut opinor, fides publica[10]) data erat. Nam legati per se praecone non praemisso sacrosancti non fuerunt.[11]) Itaque cum civitas, quacum Atheniensibus

[1]) Cf. Heyse: »de legat. Att.« p. 71b sq.

[2]) cf. id, quod de verbis: »πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά« exposuimus p. 76 adn. 3.

[3]) cf. Heyse p. 59 sq.

[4]) Inter hos nihil discriminis factum esse de hac re Heyse p. 63 putavit; sed pro certo id dici non potest. — Ceterum plerumque proxenorum erat legatos introducere; cf. Monceaux p. 109 sq.

[5]) Ex Gilberti sententia [I p. 277, 1] legatorum introductio probuleumate senatus rogata statim προχειροτονίᾳ concessa est.

[6]) cf. Heyse p. 60 sq. 71a.

[7]) cf. Aesch. de f. leg. 58; CJA. II 49. 51. 54; Thuc. V 45; Plut. Nic. X; Arist. Equ. 665 sqq.; Heyse p. 71; Busolt § 183 p. 166, 2.

[8]) cf. Poll. VIII 96; Heyse p. 64.

[9]) cf. CJA. II 164. 233.

[10]) De hac ἀδείας notione infra sub B 2b agetur; cf. Thuc. I 53; Dem. XIX 163; Busolt § 59 p. 55.

[11]) cf. Heyse p. 8; Busolt l. l.

pax non erat, Athenas legatos misit, praeco sacrosanctus praeit, qui cum Atheniensibus, certe cum senatu, „σπένδεται“, i. e. libatione efficit, ut legatis libere urbem intrare liceat[1]), aut veniam legatorum mittendorum antea per caduceatores illa quidem petere solet.[2]) Senatui autem et comitiis interesse nisi ἱκετευόντων[3]) nomine vel sub tutela deorum iis non licet.

Aliam ob causam legatis Naucratiticis ἀδεία opus fuisse puto, qui ab Atheniensibus petierunt, ut pecuniae redderentur, quibus mercatores Naucratitici essent privati. Quod in argumento II ad Demosthenis orationem XXIV (initio) his verbis traditur: Πολέμου τυγχάνοντος Ἀθηναίοις πρὸς βασιλέα, κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἐγράφη ψήφισμα σῦλα πλοίων πολεμίων εἶναι καὶ γίνεσθαι τὰ τιμήματα τῶν κλοπῶν δημόσια.....καὶ λόγων γενομένων τοῖς Αἰγυπτίοις πρὸς τὸν δῆμον καὶ ἱκετειῶν,[4]) οὐδὲν ἧττον ἐκρίθη τὰ χρήματα εἶναι δημόσια ὡς πολεμίων ὄντων τῶν Αἰγυπτίων. Quibus legatis pro contione dicentibus venia debitoribus fiscalibus remissionem petituris danda opus fuisse censeo, quoniam populus has pecunias iudicaverat publicas.[5]) Quod enim apud Dem. [XXIV 12] legimus:.... ὡς ἔθεσαν τὴν ἱκετηρίαν[6]) ὧν ἦν τὰ χρήματα ἄνθρωποι, ὡς ἀπεχειροτονήσαθ' ὑμεῖς μὴ φίλια εἶναι..., et simili modo in argum. I ad Dem. or. XXIV [p. 694]: εἶθ' οἱ Ναυκρατῖται μὲν ἐλθόντες Ἀθήναζε τὸν δῆμον ἱκέτευον,[7]) ὁ δὲ δῆμος ἔγνω πολέμια εἶναι τὰ χρήματα, καὶ μὴ δεῖν ἀποδοθῆναι τοῖς ἐμπόροις, ex his verbis sequi non potest, ut illae pecuniae tum demum publicae iudicatae sint, cum legati in comitiis eas repetituri essent. Quod iam antea psephismate factum esse in argum. II ad Dem. or. XXIV initio [p. 695] legimus, quare eas repetere non licuit. Venia igitur demum data legatis cum populo iterum de hac re agendi facultas fuit. Verba autem Demosthenis et scholiastae, quae supra dixi, ad eam contionem pertinent, quae de navibus iure belli captis iudicavit,[8])

[1]) Cf. Dem. XIX 163; Heyse p. 58; cf. etiam Schoemann: »Gr. Alt.« II 7.

[2]) cf. Schoemann: »Antiq.« p. 368,2; Heyse l. l. p. 8.

[3]) De notione verbi v. supra p. 72 sq.

[4]) De verbis »λόγοι καὶ ἱκέτειαι« cf. id, quod de coniunctione verborum »ἱκετεύειν καὶ δεῖσθαι« exposui (p. 73 adn. 2); sed hoc loco, ut demonstrabo, de ἀδείᾳ data agitur.

[5]) quae reddendae non erant; cf. Dem. XXIV 50 (in lege).

[6]) v. supra p. 73 adn. 1.

[7]) cf. ibid.

[8]) quae fungebatur, ut lingua vernacula utar: »als Prisengericht«; de hac re cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 401.

et venia mercatoribus concessa de pecuniis publicis reddendis vel, ut aliis verbis dicam, de illegitima aerarii publici deminutione disceptavit. Haec quidem hactenus.

Alia ac legatorum causa inquilinorum[1]) videtur fuisse, quibus senatui et comitiis interesse non licuit.[2]) Quare, ne illud praecipuum civium ius nisi cum populi venia exercerent, iis interdictum erat.[3]) Saepe autem inquilinis et peregrinis bene de re publica meritis privilegium προσόδου πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον delatum est,[4]) ut sine populi venia de rebus suis in senatu et in comitiis agendi facultatem haberent. Quod privilegium cum peregrinis cuiusque generis tum maxime proxenis irrogatum est.[5]) Ac plerumque id factum est, ut inquilini et peregrini, quibus privilegium aliquod iam tributum erat, potestatem haberent etiam alia privilegia impetrandi, si iis digni essent.[6])

Quaerentibus nunc, quam ob causam rogatori utriusque privilegiorum, quae supra dixi, generis impunitate opus fuisset, nisi praemii causa illa tributa essent, id occurrit, quod rogatione τὸ κύριον violatum est.

Atque etiam eiusmodi rogationes, quibus τοῦ κοινοῦ illegitima deminutio fieret, impunitate actori non data ferre non licuisset, nisi praemii causa privilegium quoddam irrogatum esset, ad quod nunc iam nos vertamus.

3. Lex, quae Timocrateae [Dem. XXIV 45] inserta extat, ei, qui debitorum remissionem rogaturus esset, ἀδείᾳ opus fuisse nos docet. Quam legem non integram, sed nonnulla supplenda esse supra (p. 40 sq.) dixi — sive in eadem lege actum est[7]) sive separata lex fuit de remissione et pensionibus tributorum.

[1]) omnino peregrinorum, ut opinor; cf. p. 79 adn. 4.

[2]) quamquam delictorum indicia deferre et inquilinis et servis licuit, quam rem infra sub B 1 uberius exponemus.

[3]) cf. »Wien. Stud.« VII 51.

[4]) cf. CJA. II 41. 91. 115. 164. 209. 289; cf. etiam CJA. I 36. Decreto (CJA. II 42) πρόσοδος πρὸς τὸν πολέμαρχον hospiti publico conceditur, id quod et inquilinis quibusdam et omnibus proxenis privilegio irrogatur; cf. Schubert l. l. p. 13; »Wien. Stud.« VII 52 sq.; v. supra p. 74 adn. 6.

[5]) cf. Schubert p. 32—40. p. 76; Monceaux l. l. p. 98.

[6]) Simile quid haec verba: εἶναι δὲ αὐτοῖς καὶ ἄλλο εὑρέσθαι παρὰ τοῦ δήμου ἀγαθὸν ὅτου ἂν δοκῶσιν ἄξιοι εἶναι [cf. CJA. II 164. 207] significare mihi videntur; cf. Hartel: »Stud.« p. 241; Schubert p. 38.

[7]) Hae lacunae non demonstrant leges a falsario fictas esse, sed constat

Tributorum enim sociorum eandem causam fuisse quam debitorum publicorum censeo vel, ut accuratius sententiam explicem: sicut debitorum publicorum ita tributorum remissionem, nisi venia rogatori data esset, rogare non licuit.[1]) Namque remissionem tributi aut pensiones (τάξεις)[2]) per privilegium tantum sociis Atheniensium concessas esse constat, id quod duplici modo, ut opinor, fieri potuit, ita quidem, ut populus sollemni psephismate illud privilegium tribueret, aut in contione extraordinaria actori impunitate concessa tum demum in comitiis de remissione vel de pensionibus agere liceret. Et alteram, quam diximus, viam ingressos esse Athenienses remunerationis vel praemii tribuendi causa e. g. Methonaeis psephisma, quod extat [CIA. I 40], docet; alteram autem viam, si qua urbs solvendo non esset eiusque legati „ἱκέται“ aut alius quis pro illa beneficium remissionis tributi aut pensionum peterent.[3]) Atque his quidem ἀδείᾳ opus fuisse pro certo habendum est. Nam sicut multae, ita sociorum tributa in reditus ordinarios rei publicae relata sunt et socii, qui tributa non pependerant, pro debitoribus publicis habiti.[4]) Remissione igitur tributorum non secus ac pecuniarum rei publicae debitarum τὸ κοινόν illegitime deminutum est, id quod sine populi venia rogari non potuit. Etenim quamquam sociis Atheniensium de tributo, quod senatus populusque Atheniensium decreverat,[5]) etiam in heliastico iudicio agendi

oratores saepe recitavisse eos tantum locos, quos suis consiliis accommodare possent; cf. Wachholtz: »de litis instrumentis« § 18 p. 33; Koehler: Hermes II 31. De simili re cf. Hofmann: »de iurandi formulis« p. 8.

[1]) cf. Busolt § 242 p. 215 adn. 9, qui ad hanc rem § 218 confert, ubi de remissione debitorum publicorum agitur, itaque is quoque non obscure probare videtur tributorum remissionem nisi cum populi venia rogare non licuisse.

[2]) De pensionibus concedendis cf. ea, quae supra s. II a (p. 41 adn. 3) exposui.

[3]) cf. [Dem.] LVIII 35, ubi de decreto, quod Automedon quidam in gratiam Tenediorum rogaverat, agitur; CJA. II 117 fr. b. vs. 13 sqq., ad quem titulum cf. Hauvette-Besnault: »Les Strat. Ath.« p. 135; cf. etiam [Dem.] l. l. § 37 sq.

[4]) Velut Harpocratio dicit: ἐκλογεῖς· οἱ ἐκλέγοντες καὶ εἰσπράττοντες τὰ ὀφειλόμενα τῷ δημοσίῳ. Ἐκλογεῖς autem ei magistratus sunt, qui tributa debita exacturi in urbes sociorum mittebantur; cf. de his Gilbert I p. 398, 4; Busolt l. l. § 242 p. 216, 2.

[5]) cf. Gilbert I p. 395 sqq.; Frankel: »Die att. Geschworenenger.« p. 44; Busolt § 242 p. 215. Koehler quidem [»Urk. u. Unters.« (Berol. 1870) p. 66 sqq.] tributum a senatu populoque et nomothetis (i. e. ab heliastis) decretum esse putat; sed primum tributum solum lege constitutum esse [cf. de hoc tributo Thuc. I 96] Busolt adnotat § 239 p. 212, 6; cf. etiam Koehler: »Urk. u. Unters.« p. 68; Schoell: Sitz.-Ber. d. K. Bayr. Acad. d. Wiss. 1886 p. 127 sq.

facultatem fuisse verisimile est,[1]) tamen a senatu populoque et heliastis re iudicata, cum amplius provocationem (ἔφεσιν) fieri lex vetaret,[2]) vel deminutionem vel pensionem vel remissionem tributi, nisi venia rogandi data erat, sociis petere non licuit.[3]) Atque secundi foederis Atheniensium maritimi aetate eadem tributorum remittendorum ratio fuit. Illis enim temporibus cum φόροι vel potius συντάξεις[4]) psephismatis Atheniensium decretae essent, ut γραφῇ παρανόμων populiscita antiquarentur, fieri potuisse constat;[5]) at remissiones collationum ne tum quidem nisi cum populi venia rogare non licuisse arbitror. De harum igitur remissionibus aut pensionibus idem valuisse .existimo .quod de prioribus, quamquam hae sociorum pecuniae non in aerarium publicum Atheniensium, sed in aerarium sociale delatae sunt.[6])

4. Alia ac privilegiorum, quae supra dixi, ἀτελείας omnium vectigalium ac munerum et ἰσοτελείας peregrinis aut inquilinis datae[7]) condicio est, quae privilegia, quamquam huc non pertinent, tamen paucis attingere liceat.

[1]) cf. Gilbert I 397; Busolt § 242.

[2]) cf. Dem. XXIV 50. 55. XX 147; cf. etiam CJA. I 37, 42; Gilbert I p. 387; Busolt l. l. adn. 11.

[3]) Frankel cum l. l. p. 44 dicit: »Über einen Erlass des Tributes hat ...die Volksversammlung das Recht zu befinden, ohne dass eine Mitwirkung der Gerichte erforderlich ist; dies wäre aber unmöglich, wenn sie bei der Festsetzung concurriert hätten, denn niemals kann die Volksversammlung einen richterlichen Beschluss aufheben«, errare mihi videtur; nam populi contio sententias heliastarum, venia scilicet rogatori data, antiquandi potestatem habuit. Iudicium sane heliasticum remittendis tributis nequaquam interfuit; cf. Schoell l. l. p. 128 sq.

[4]) cf. Schoemann: »Antiqu.« p. 320; Hauvette-Besnault p. 126, 3. Maiores civitates has collationes non pensitabant; cf. Busolt § 248 p. 222, 11.

[5]) cf. [Dem.] LVIII 37 sq.; Busolt § 248 p. 222, 5. Tributa, si a sociis soluta non erant, per vim coacta sunt; cf. Mitteil. d. dtsch. arch. Instit II 142 vs. 13 sq.; CJA. II 62; Gilbert I p. 417; Busolt l. l. adn. 8.

[6]) cf. Gilbert I p. 417, 4. Eodem etiam multae delatae sunt; cf. Busolt l. l. adn. 9. 10.

[7]) cf. Dem. XX 60; CJA. II 144. De ἀτελείᾳ cf. Westermann: »de publ. Ath. hon.« p. 6—12; Tissot l. l. p. 75; »Wien. Stud.« VII 64. — Immunitas

Ac primum quidem incertum est, num his privilegiis, quibus inquilini tributo illo anniversario, quod vocatur μετοίκιον, solvendo levantur, aerarii publici reditus ordinarii illegitime deminuantur. Nam μετοίκιον sicut omnia vectigalia non per magistratus rei publicae iussu atque nomine exactum esse, sed per publicanos, ad quos elocatum esset, Schenkl [„Wiener Stud." II 183 sq.] demonstravit; quam ob rem publicanos potius quam aerarium publicum iacturam fecisse verisimile est. Deinde autem nunquam fere inquilinis nisi praemii causa illa privilegia irrogata esse videntur,[1]) itaque re vera de ἀδείᾳ rogatori danda cogitari non posse opinor.

Idem dicendum est de civibus, qui sollemnium liturgiarum immunes facti sunt,[2]) cum horum quidem privilegio ordinarii rei publicae reditus nequaquam deminuti sint, et sicut inquilinis ita civibus tale quid ob nullam fere aliam rem nisi ob beneficia in civitatem collata[3]) datum sit.[4])

Nec προξενίας[5]) privilegium huius loci est, quae titulus tantum honorarius videtur fuisse.[6])

sacrorum (ἀτέλεια ἱερῶν) Athenis non fuit; ne Harmodio quidem et Aristogitoni, tyranni interfectoribus, illam concessam esse Dem. XX 128 testatur; cf. Thumser: »de civ. Ath. mun.« p. 123 sq. — Utrum portorii aliorumque huiusce generis vectigalium immunitas Athenis honoris causa data sit necne, non satis liquet [cf. Westermann: »de publ. Ath. hon.« p. 7; imprimis Thumser p. 130 sq.].

[1]) cf. Schubert: »de prox. Att.« p. 59. 71. 74 sqq.; Westermann p. 8; Schenkl l. l. II 219; cf. exempla nonnulla decretorum, quibus ἀτέλεια concessa est: CJA. II 27. 121. IV 1, 27a; ἰσοτέλεια e. c. CJA. II 48. 413; cf. »Wien. Stud.« II 186 sqq.; VII 67 sq.; Foucart: Bull. de corr. hell. 1888 num. III p. 168; Gilbert I 173. — De immunitate proxenis concessa cf. Monceaux l. l. p. 99; »Wien. Stud.« VII 64 adn. 77.

[2]) cf. Dem. XX 25.

[3]) cf. Thumser p. 141.

[4]) Non secus e. c. Lacedaemonii optime tantum de civitate meritos homines hoc praemio donaverunt; cf. Thumser p. 111, 3.

[5]) Id privilegium e. c. immunitate minoris dignitatis fuit; cf. Thumser p. 136. Contra Monceaux l. l. p. 31 dicit de hac re: »les scoliastes placent toujours les proxènes, pour la condition légale, au-dessus des métèques et des isotèles.

[6]) Huc etiam »εὐεργέτου« titulus pertinet; de his cf. Westermann l. l. p. 29. 43; Gilbert I p. 173; Schubert p. 4. 8; aliter sentit Monceaux p. 14; cf. imprimis p. 56. 91. 97. 106. Hospites publicos τὸ μετοίκιον non solvisse ille quidem dicit (p. 95. 102), sed id tum demum fieri potuisse puto, cum iis ἀτέλεια data esset; ceterum cf. ibid. p. 99. Cum προξενίᾳ alia privilegia non coniuncta sunt ipso iure; v. supra p. 75 adn. 1.

Postremo qua de causa in privilegiis, quae hominibus optime de civitate meritis praemii causa data sunt, de venia rogatoribus impetranda cogitari non posse existimem, paucis explicare conabor. Atque primum populus, quotiens ἄδειαν decrevit, semper rem publicam in aleam magni periculi aut detrimenti dat. Sane quidem, si impunitatem rogationis cuiusdam ferendae ille dedit, id commodi sui causa fecit, sed praemia et honores tribuens non solum periculum non subit, verum etiam emolumentis quibusdam iam fructa est civitas, itaque nihil aliud nisi gratiam refert hominibus optime de civitate meritis. Sin autem is, cui praemium populus tribuit, eo indignus videbatur, γραφῇ παρανόμων privilegium ab illo abiudicare licebat.[1]) Deinde mos quidem fuisse videtur,[2]) ut iis, qui bene de re publica meriti honoribus ac praemiis digni viderentur, ea a senatu populoque peterent, quae petitio verbis: αἰτεῖσθαι κατὰ τὸν νόμον[3]) significari solebat; sed omnino a praemii vi abhorreret, si hominibus bene meritis, ut praemia impetrandi haberent facultatem, supplicum ritu ἄδεια petenda esset, qua re beneficiorum auctoribus (τοῖς εὐεργέταις) urbs esset privata. Liberalitatis denique famam Athenienses plurimi aestimasse Demosthenis in Leptinem oratio quodque orator ea effecit, demonstrare potest.[4]) Quodsi quis dicat dubitandum esse, num legibus de illis privilegiis tribuendis exceptio petitae impunitatis[5]) addita sit vel leges de hoc ἀδείας genere dando valuerint, ab eo equidem non dissentio. Sed id nullius momenti est, cum ea, quae protuli, maxima ex parte ad posteriora tempora pertineant. Illo autem tempore, quo nulla fere res publica in largiendis honoribus et praemiis effusior fuit quam Atheniensium, psephismata populi legibus superiora fuerunt simulque ἄδειαν saepius datam esse verisimillimum est, quam per leges cautum et provisum sit.

[1]) Id ex ἐγκτήσεως quidem decretis videtur colligendum; cf. Schubert l. l. p. 45 sq.; v. supra p. 73, 6. Idem de προξενίας privilegio valuit; cf. Monceaux l. l. p. 72; cf. etiam ibid. p. 54; Hyperid. fragm. 79. De ἀτελείᾳ autem id Demosthene rogatore institutum esse videtur; cf. Dem. XX 164.

[2]) cf. Thumser l. l. p. 137, 1; »Wien. Stud.« VII 64; Schubert p. 74 sq.; Hartel: »Stud.« p. 237; cf. etiam Buermann: Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. X p. 348. Utrum autem eiusmodi lex fuerit — id quod Hartel vult — necne, disceptare nolo.

[3]) v. supra p. 73 adn. 2; cf. Caillemer: »la naturalisation à Athènes« p. 17; cf. etiam Monceaux l. l. p. 71 sq.

[4]) cf. Monceaux l. l. p. 100. 117.

[5]) v. supra p. 7.

De venia magistratus accusaturis acquirenda.

Priusquam ad alteram huius libri partem transeam, rem quandam exponere in animo est, in qua, mea quidem sententia, de ἀδείᾳ danda cogitari non potest, quamquam Schoemann id videtur affirmasse. Agitur autem de potestate magistratus accusandi, de qua Schoemann [„de com. Ath." p. 229[1])] haec dicit: „Nemo.., ut videtur, magistratus accusari potuit propter delictum in fungendo munere sive contra ipsam rempublicam sive contra privatum aliquem commissum nisi cum populi venia." „Hoc ita esse", adnotat Schoemann ad haec verba, „etiamsi nullis testimoniis probare possum, ipsum tamen per se verisimillimum videtur. Adde, quod apud Romanos quoque simile erat institutum".[2]) „Sed in gravioribus delictis", pergit ille, „quae ad summam rempublicam pertinerent, et extra ordinem persequenda viderentur, εἰσαγγελία ad senatum populumve[3]) deferebatur".[4]) Quam sententiam Platner [„Proc. und Klagen bei d. Att." I 332 sqq.] refutabat, cui ego quoque assentiar, si quidem Schoemann verbis: „nisi cum populi venia" ἄδειαν significare voluerit. Etenim magistratus Atheniensium iure Attico ministri tantum rei publicae vel populi sunt,[5]) qui ipse solus τὸ κύριον tenet, quare Aristoteles [Pol. VI 2 p. 1317 b] optimo iure dicit: τὸ τὴν ἐκκλησίαν κυρίαν εἶναι πάντων, ἀρχὴν δὲ μηδεμίαν μηδενὸς ἢ ὅτι ὀλιγίστων ἢ τῶν μεγίστων κυρίαν... et Demosthenes orator [III 30]

[1]) Cf. Schoemann: »Antiqu.« p. 232.

[2]) Idem valuit apud Lacedaemonios, quorum summos magistratus (ἐφόρους) post absolutum demum munus in ius vocare licuit. Etiam religiosius Cretenses auctoritatem summorum magistratuum tuebantur: nam ex lege illa Gortyniorum nuper detecta (I 50—54) [cf. N. Rhein. Mus. XL suppl. p. 97, 1] cum cosmo, sive eius servus ab alio vindicabatur, sive ipse servum vindicaturus erat, non prius agere licuit, quam cosmus munere se abdicavisset.

[3]) cf. de hac re Busolt l. l. § 185 p. 167.

[4]) Huc referendus mihi videtur locus apud Lys. XIII 32: ἐπειδὴ δὲ ἡ ἐκκλησία Μουνιχίασιν ἐν τῷ θεάτρῳ ἐγίγνετο, οὕτω σφόδρα τινὲς ἐπεμελοῦντο ὅπως καὶ ἐν τῷ δήμῳ περὶ τῶν στρατηγῶν καὶ τῶν ταξιάρχων μήνυσις γένοιτο (περὶ δὲ τῶν ἄλλων ἀπέχρη ἐν τῇ βουλῇ μόνῃ γεγεννημένη). Ad hunc locum Rauchenstein [ed. Lys. orat. sel.[7] (Berol. 1876)] haec adnotat: »Wenn für die Andern die nur vor dem Rat gemachte Anzeige genügte, so bedurfte es hinwieder der μήνυσις ἐν τῷ δήμῳ bei Magistraten, weil diese ohne Volksbeschluss nicht durften gefänglich eingezogen werden«; cf. etiam Frohbergeri adn. ad h. l.

[5]) cf. Perrot: »le droit public d'Athènes« p. 77 sqq.

populum: δεσπότην τῶν πολιτευομένων significat.[1]) Itaque si quis Atheniensium magistratus — qui hac re a magistratibus Romanorum multum differebant[2]) — accusare voluit, ei ἀδείᾳ opus non fuisse puto, quod accusatio magistratus cuiusdam τὸ κύριον populi, cuius ille non particeps est, non violat. E contrario, cum magistratus in administrando munere aut civibus aut rei publicae iacturam inferre posset, missis ambagibus eum accusare licuit. Tum nomen eius per εἰσαγγελίαν ad populum deferri lex iussit venia accusaturo non data, ut ipse Schoemann concedit, et eadem de causa in prima cuiusque prytaniae contione ἐπιχειροτονία magistratuum facta est.[3]) Atque etiam querelas (προβολάς) apud populum de magistratibus habere licuit, quo facto, ut de his rebus in heliastico iudicio disceptaretur, lex fuit.[4]) Itaque iam ex eo, quod civibus magistratus quosdam accusaturis non semper ἄδειαν dari necesse fuit, intellegi potest illam sententiam probandam non esse vel, ut aliis verbis utar, impunitate (ἀδείᾳ) magistratus accusaturis non opus fuisse ex iure Attico. At vero, num magistratum cuivis civi sine populi venia accusare licuerit, quaerat quispiam. Quod Lysiae verbis [XIII 32] docemur delationes στρατηγῶν et ταξιάρχων apud senatum factas non suffecisse, id quidem ita explicandum videtur, ut tunc de rebus gravissimis actum sit, quam ob rem indicium ad ipsum populum deferendum fuerit.[5]) Tamen primam actionem magistratibus semper fere in comitiis intendi necesse fuisse concedo. Ab hac igitur sententia, ex qua videtur magistratum non sine populi psephismate vel praeiudicio in heliastico iudicio accusare licuisse, non habeo, quod dissentiam.[6])

[1]) Cf. [Dem.] LVIII 55.

[2]) cf. de hac re Perrot l. l. p. 74—79. [Commentationem K. Fr. Hermanni: »quaestionum de iure et auctoritate magistratuum apud Ath. cap. II« (Heidelberg 1829) inspicere mihi non licuit].

[3]) cf. Busolt § 173 p. 154 sq.; cf. etiam Hauvette-Besnault p. 62; Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 380.

[4]) cf. Busolt § 192 p. 173.

[5]) cf. Busolt § 192 p. 173 et adn. 5.

[6]) Idem dicit Lipsius: »Att. Proc.« p. 337; cf. etiam Schoemann: »Antiqu.« p. 232. — Alia magistratuum in manifesto scelere deprehensorum condicio videtur fuisse, quos per ἔνδειξιν vel per ἀπαγωγήν accusare licuisse verisimile est. Id quidem de prytanibus [de his cf. Arist. Pol. III 11 p. 1282a; Lyc. adv. Leocr. 79; Hermann: »Gr. Alt.« I[5] 125,4; Fränkel: »Die att. Geschworenenger.« p. 22] officiorum immemoribus valuit; cf. Dem. XXIV 22 (in lege); cf. etiam titulum Atticum CJA. I 37, ubi vs. 25 sqq. eiusmodi prytanibus multa statuitur.

B. De impunitate, quae non ad rogationes quasdam ferendas, sed sua ipsius causa petitur.

1. De ἀδείᾳ (impunitate) danda μηνυταῖς i. e. iis, qui sceleris cuiusdam ipsi affines delaturi sunt socios.

Multis seditionibus civilibus perterritus populus Atheniensium id potissimum sibi agendum esse intellexit, ut constitutioni rei publicae conservandae omni modo consuleret. Itaque ut rerum publicarum commutationes, omnino perduelliones nascentes comprimi possent, in universum: ut gravia crimina publica, quae differri non possent, cum de iis certae leges desiderarentur, protinus ad populum deferrentur, ea, quae εἰσαγγελία vocatur, actio instituta est.[1]) Atque publico iure Attico eius quidem actionis intendendae nemo nisi civis Atticus — et is tantum, qui integra civitate (ἐπίτιμος) erat — ius potestatemque habuit, sed indicia nonnullorum delictorum etiam inquilinis peregrinisque et servis ad senatum aut contionem populi deferre licuisse auctores tradunt.[2]) Quod indicium voce μηνύσεως significatur, quae ab εἰσαγγελίας actione, h. e. a delatione, diligentissime distinguitur, quamquam non pauci scriptores duorum verborum notiones confundunt.[3]) In quibus indiciis deferendis auctores saepe ἄδειαν datam commorant, et quaeritur ante omnia, quid haec ἄδεια significaverit in iure publico Attico. Atque Hermann quidem [„Gr. Alt.“ I[5] 133, 3][1]) opinatus est servis ac peregrinis in eiusmodi causis, quas diximus, veniam vel impunitatem publice datam esse, ut iis verba apud populum facere liceret. Nam reapse et peregrinos, qui, antiquissimis saltem temporibus, usque adeo hostes[2]) rei publicae habiti sunt, ut res eorum archonti polemarcho[3]) curandae traditae essent, et servos apud Graecos — non aliter atque apud Romanos — negotiorum publicorum participes esse vel apud populum verba facere lex vetabat, cum comitiis interesse nemini nisi civibus, qui integra civitate fruerentur, licuisse satis constare videatur.[4]) Nihilo tamen secius apud Ps.-Demosthenem [LIX 90] haec legimus: τοὺς δὲ πρυτάνεις κελεύει τιθέναι τοὺς καδίσκους ὁ νόμος.... πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι καὶ τὰ γέρρα ἀναιρεῖν, ex quo loco Schoemann quidem [„de com. Ath.“ p. 80 adn. 33][5]) coniecit „ex more peregrinis ad finem comitiorum ceteris rebus peractis aditum permissum esse.“[6]) Atque etiam haec apud Demosthenem [IX 3]

[1]) Cf. Perrot: »le droit public d' Athènes« p. 34. 321 et adn. 2; Gilbert: »Staatsalt.« I passim, imprimis p. 289 sqq.; Busolt: »Die griech. Altert.« § 208 p. 185.

[2]) cf. Andoc. de myst. pluribus locis: e. c. § 15; Thuc. VI 27. — Delationes aut indicia ad senatum ferri solebant; cf. e. c. Arist. Equ. v. 300; Schoemann: »Gr. Alt.« I 397; Busolt § 182 p. 165, 1. § 185 p. 167.

[3]) Praeclare de hac re egit Schoemann: »de com. Ath.« p. 221 [cf. eundem: »Gr. Alt.« I 397], qui »μήνυσιν« vertit vocabulo indicii, »εἰσαγγελίαν« delationis. Εἰσαγγελίαν intendit civis, μήνυσιν facit servus aut peregrinus aut civis criminis delati socius; cf. Meier: »de bon. damn.« (p. 134) not. 445; Platner: »Proc. u. Kl.« I 353 sqq.; Busolt § 208 p. 185.

[1]) Cf. Paulyi: »Real-Encycl.« VI 1 p. 1092. I 1 p. 168; Westermann: »de publ. Ath. hon. ac praem.« Addenda ad § 1 p. 6 post v. 7; Caillemer in »Dict. des antiqu.« I p. 66 sq.; Perrot l. l. p. 321 (cuius sententia testimoniis veterum non comprobatur).

[2]) De huius verbi notione principali cf. Varro L. L. V 1.3; Cic. Offic. I 12, 37.

[3]) cf. Poll. VIII 91; Harp. s. v. πολέμαρχος; v. infra s. B 2b α. Quod antiquorum temporum institutum etiam posteriore aetate valuit; cf. Busolt § 49 p. 46.

[4]) Τοὺς ἐκκλησιάζοντας ἐξετάζειν inter alia lexiarchorum eorumque XXX administrorum munus erat; cf. Poll. VIII 101; Perrot l. l. p. 44 et adn. 1; Busolt § 189 p. 170, 7. — Agorato apud Lys. XIII 73 id crimini datur, quod, cum civis non esset, tamen iura civium exercuit: τὸ δικάζειν καὶ τὸ ἐκκλησιάζειν καὶ τὸ γραφὰς γράφεσθαι. — Ne isoteles quidem comitiis interfuerunt; cf. Schenkl: »Wien. Stud.« II 224.

[5]) cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 384; cf. etiam Mnem. n. s. XV p. 27 sqq.

[6]) Fortasse hoc loco, quo de civitate peregrinis danda agitur, non quilibet peregrini promiscue dicuntur, sed novi tantum cives, qui δημοποίητοι vocantur; hi enim, antequam populus in maximo comitiatu civitatem decrevisset, nondum cives, sed peregrini erant. At id non certum est. Nuperrime Valeton: Mnemos. l. l. aliter et sagaciter ille quidem de hac re egit. — Nequaquam servis licuit comitiis interesse [cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 352, 6]; Menandri verbum (cf. Meineke: Fragm. comic. Gr. vol. IV p. 181) memoriae proditum est:

.... Μεταδίδου παῤῥησίας (sc. τῷ δούλῳ).

leguntur: ὑμεῖς τὴν παῤῥησίαν ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων οὕτω κοινὴν οἴεσθε δεῖν εἶναι πᾶσι τοῖς ἐν τῇ πόλει, ὥστε καὶ τοῖς ξένοις καὶ τοῖς δούλοις αὐτῆς μεταδεδώκατε, καὶ πολλοὺς ἄν τις οἰκέτας ἴδοι παρ' ὑμῖν μετὰ πλείονος ἐξουσίας ὅ τι βούλονται λέγοντας ἢ πολίτας ἐν ἐνίαις τῶν ἄλλων πόλεων, denique Ps.-Demosthenes de solis peregrinis haec dicit [LVIII 68]: ...ὥσθ'... μηδ' ἐλπίδα ἡμῖν εἶναι μηδεμίαν τοῦ μετασχεῖν τῆς καὶ τοῖς ξένοις δεδομένης παῤῥησίας. Sane quidem Ps.-Xenophontis [de rep. Ath. I 12] verba: ἰσηγορίαν καὶ τοῖς δούλοις πρὸς τοὺς ἐλευθέρους ἐποιήσαμεν καὶ τοῖς μετοίκοις πρὸς τοὺς ἀστούς[1]), in falsum aucta esse ex consilio libelli videtur colligendum. Verumtamen Demosthenes, etiamsi plus dixerit [l. l.], quam veritas patitur, satis dilucide affirmat Athenis servis ac peregrinis facultatem aliquam verba faciendi fuisse.[2]) Ex his igitur, quae protuli, sequi mihi videtur, ut Athenis nec peregrinis nec servis ἀδείᾳ opus fuerit in indicandum delictum. Immo sicut civibus criminis cuiusdam affinibus, ita peregrinis et servis indicia deferre licuit vel potius, ut equidem opinor, ut cives et peregrini et servi delicta indicarent, populus occasione data decrevit.[3]) Hic dicat quispiam hanc indicandi facultatem impunitate demum publice data illis hominibus fuisse. At id a vero plane dissentit, cum et peregrinis et servis vel iniussu populi supplicum ritu in-

Βέλτιστον αὐτὸν τοῦτο ποιήσει πολύ (Stob. floril. LXII n. 27), ex quo servis παῤῥησίαν non fuisse patet. Tamen ad publica sacra et festa deorum servis aditus erat [cf. Busolt § 12 p. 12, 14. § 150 p. 136; cf. etiam Schoemann: »Gr. Alt.« I 352, 8; Büchsenschütz: »Bes. u. Erw.« p. 149, 3] itemque peregrinis [cf. Schenkl: »Wiener Stud.« II 212]. — De metoecis aliqua ex parte sacrorum publicorum participibus cf. Schenkl l. l. p. 204 sqq.

[1]) Schenkl: »Wiener Stud.« II 182, 40 ad hanc rem laudat: Ἀθην. πολιτ. I 10—12 et haec adnotat: »quo loco scriptor, etsi optimatium fautor, tamen ἰσηγορίαν inquilinis datam ab amicorum opprobriis defendit«; cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 351, 2; Büchsenschütz p. 154.

[2]) cf. Plat. Gorg. p. 461e; Schenkl: »Wiener Stud.« II 182 adn. 40; Busolt § 150 p. 136.

[3]) cf. Thuc. VI 27, 2. — Si Menon, Phidiae μηνυτής, civis fuerit Atticus, eum propterea supplicem adisse populum (cf. Plut. Pericl. XXXI) puto, quod, cum populus edictum, quo indicibus ἄδεια daretur, nondum proposuisset, Menon indicium delaturus impunitatem antea acquirere voluit, quam omnes indices supplices peterent necesse fuit. Ἀδείᾳ autem illi opus erat, quod criminis socius fuit; nam indices, ut postea demonstrabo, criminis delati affines habiti sunt.

dicia facere licuerit. Quoquo modo autem res se habet, magnum utique discrimen est inter liberam verba faciendi aut per εἰσαγγελίαν accusandi potestatem et indicii deferendi facultatem[1]) vel, ut aliis verbis dicam, aliud est indicare, aliud accusare; illud primo cuique, hoc civibus solis facere licuit Athenis.

Hac vero occasione rem, quam Schoemann [„de com. Ath." p. 333] ex Aeschine depromptam affert, examinare liceat, quamquam huius loci non est, ut demonstrabo. Agitur enim de potestate accusandi servis danda, quae ἄδεια, si patuerit servis in iure Attico, ad priorem commentationis partem pertineat.[2])

Aeschines [I 60] narrat Pittalacum quendam, servum publicum, cum ab Hegesandro et Timarcho gravissimis affectus esset contumeliis, supplicem in ara Matris Deorum[3]) consedisse, „ut videlicet", ut ait Schoemann, „querelam ad populum deferret eiusque beneficio ulcisceretur homines potentes, quos in iudicio persequi neque facile sibi neque tutum existimabat." Nam Athenis etiam τοὺς ὑβρίζοντας εἰς τοὺς δούλους, dummodo ne hi servorum domini essent, in ius vocare licuit,[4]) quare Aeschines [I 62] de Pittalaco dicit: βαρέως δὲ φέρων τὴν ὕβριν αὐτῶν ὁ ἄνθρωπος δίκην ἑκατέρῳ αὐτῶν λαγχάνει. Quaeritur autem, num servi iure Attico in hac re cive aliquo vel potius domino[5]) usi sint patrono. Quod ita fuisse

[1]) Itaque Meier: »de bon. damn.« p. 135 adn. 445 haec dicit: »Verba [apud Andoc. de myst. 20: ὁ γὰρ νόμος οὕτως εἶχεν κτλ.] satis arguunt non hic de accusatore agi (εἰσαγγείλαντι), sed de indice (μηνυτῇ) longe ab accusatore diverso; cum accusare quidem nisi civi ἐντίμῳ nemini liceret, index autem et peregrinus et servus esse posset«...; cf. Lipsius: »Att. Proc.« p. 330. 751; Platner l. l. I 91. 353 sq. [Id, quod Perrot p. 321 dicit, a vero abhorrere adnotavi p. 89,1].

[2]) Sed num ea unquam data sit, dubitari potest.

[3]) v. de hac re in libro alt. cap. IV.

[4]) cf. Aesch. I 15. Explicat id orator § 17 his verbis: ..βουλόμενος (sc. ὁ νομοθέτης) ἡμᾶς ἐθίσαι πολὺ ἀπέχειν τῆς τῶν ἐλευθέρων ὕβρεως προσέγραψε μηδ' εἰς τοὺς δούλους ὑβρίζειν. Cf. Hyper. apud Athen. VI 266 F: ἔθεσαν οὐ μόνον ὑπὲρ τῶν ἐλευθέρων, ἀλλὰ καὶ ἐάν τις εἰς δούλου σῶμα ὑβρίσῃ, γραφὰς εἶναι κατὰ τοῦ ὑβρίσαντος; Lipsius: »Att. Proc.« p. 394 sqq.; cf. etiam Dem. XXI 47; [Xen.] de rep. Ath. I 10; Schoemann: »Gr. Alt.« I 351, 5; Büchsenschütz p. 151 sq.; Gilbert I 164, 4; Busolt § 150 p. 136, 4.

[5]) Nam dominus in omnibus rebus servi patronus fuit; cf. Dem. LIII 20; Antiph. de caede Herod. 48; Gilbert I p. 164, 4; Lipsius: »Att. Proc.« p. 749—752; Büchsenschütz p. 148; Busolt § 12 p. 12. § 150 p. 136.

Platnerum secutus[1]) equidem opinor, quam ob causam Aeschines non accurate rem exposuisse videtur.[2]) Pittalaci autem dominus fuit res publica ipsa, itaque servus populum „ἱκέτης“ adiit, ut is, vel potius polemarchus, cuius in tutela servi publici[3]) erant, maleficii rationem ab Hegesandro et Timarcho reposceret, nisi forte ipsi,[4]) venia scilicet data, illos homines in ius vocandi facultas facta esset.[5]) Etenim quin ἀδεία servo cuique, si ipse civem accusare vellet, opus fuerit, vix dubitari potest. Sane quidem servis (et peregrinis) „ἐξουσία“ quaedam verba apud populum faciendi Athenis fuerit,[6]) nequaquam vero potestatem contionandi et accusandi habuerunt,[7]) a quo accusandi iure diversissima est indicii deferendi facultas; „denn“, ait Platner [„Proc. u. Kl.“ I 354], „der Denuntiant, welcher ein begangenes Verbrechen zur öffentlichen Kenntniss brachte, trug auf keine Strafe an und verband demnach mit seiner An-

[1]) Cf. »Proc. u. Kl.« I 91.

[2]) Sed si ab ipso servo sine populi venia civem in ius vocatum esse statuendum esset, id contra leges factum esset. Atque illegitimi aliquid Athenis non raro evenisse notum est. Nec secus a metoecis Atticis in ius vocatos esse cives narrant scriptores, qua in re ne uno quidem verbo patroni eorum commemorantur. Sed id quoque, si res ita se habuisset, contra leges factum esset; cf. de hac re »Wien. Stud.« II 176 sqq.; VII 53 sq. Heffter aliter de hac re sentit: »Die Ath. Gerichtsverf.« p. 96; cf. Lipsius l. l. p. 752,17; Schoemann: »Gr. Alt.« I 352.

[3]) Haec Perroti sententia verisimillima mihi videtur; cf. Perrot: »le droit publ.« p. 261; Büchsenschütz p. 167

[4]) De meliore servorum publicorum condicione et de praecipuo iure, quo hi Athenis fruebantur, cf. Lipsius l. l. p. 752; Schoemann: »Gr. Alt.« I 354. Sed id, quod Büchsenschütz dicit (p. 167): »es ist wahrscheinlich, dass ihnen (sc. den Staatssklaven) in Bezug auf selbständige Führung von Processen Vorzüge vor den Privatsklaven gewährt waren«, a vero abhorret. Nam illorum dominus res publica est, cuius vice in his rebus polemarchum functum esse verisimile est.

[5]) Ceterum cum ille sua sponte de ara surgeret, in deorum tutela, qua supplex fruebatur, esse desiit; cf. Lys. XIII 29.

[6]) Quamquam equidem puto eam facultatem in indiciis deferendis versatam esse; et si hac occasione tormenta adhibita sint [v. paulo infra p. 96 adn. 6], indicium ab his factum idem valuerit ac testimonium eorum, ad quod dicendum ἀδείᾳ servis non opus erat.

[7]) cf. Lys. XIII 73. XXVI 2. Immo ne testes quidem servi produci poterant, nisi in caedis causa; in aliis causis testimonium servorum nisi tormentis adhibitis nihil valet; cf. Schoemann: »Antiqu.« p. 189; »Gr. Alt.« I 352; Lipsius: »Att. Proc.« p. 875 sq.; Büchsenschütz p. 145; Gilbert I p. 164; Busolt § 12 p. 12, 10. § 150 p. 136. — Pro servo ut dominus, pro peregrino

zeige kein Klaggesuch. Er hatte daher die Obliegenheiten eines Klägers: Entrichtung der Gerichtsgelder, Fortsetzung des anhängig gemachten Processes und eine gerichtliche Ausführung seiner Anschuldigungen nicht auf sich, noch auch die Nachteile zu befürchten, welche den sachfälligen Ankläger trafen.“ Haec civium iura et honores erant, quibus nec servi nec peregrini sine populi venia uti potuerunt. Sed si forte populus Pittalaco veniam dederit, ipse servi publici exstiterit patronus, eo quidem consilio, ut possessionem suam tueretur. Si enim quis servum violabat, domino eum accusare licuit.[1]) Alia autem fuit causa eorum servorum, qui supplices orabant, ut liberarentur a dominis. Servis enim, qui saevius crudeliusque tractabantur, populus permutationem dominorum vendendo concessit.[2]) Qua in re de ἀδείᾳ servis danda non cogitandum est. Namque servus ex iure Graecorum (et Romanorum) non persona fuit, sed res eius, qui illum emerat.[3]) Populo autem inter dominum eiusque rem iudici existere non licuit.[4]) Qua igitur de causa in hanc rem se interposuerit po-

et metoeco patronus in omnibus et publicis et privatis negotiis intercederet, lex fuit. Sed, ut ait Schenkl in »Wien. Stud.« II p. 179: »legi suffecisse putabatur metoecus, si in libellis vel ceteris litteris forensibus suo ipsius nomini patroni praescripsisset nomen (id quod verbo προγράφειν significatur). Quod si fecerat, tum aut ipse causas agere vel sua gerere poterat negotia aut alius cuiusdam praeter patronum civis in eis administrandis uti auxilio«. — De meliore condicione, qua inter peregrinos metoeci Athenis fruebantur, cf. Schenkl: l. l. p. 213; cf. etiam »Wien. Stud.« VII 53.

[1]) cf. Busolt § 12 p. 12, 9.

[2]) cf. Schoemann: »Antiqu.« p. 188. — Asyla servorum nimis aspere tractatorum a dominis et vexatorum fuerunt Athenis: τὸ Θησεῖον et τὸ τῶν Ἐρινύων ἱερόν; cf. Gilbert 1 p. 165, 1; Büchsenschütz p. 152; Busolt § 12 p. 12. § 150 p. 136. Utrum lex fuerit, ut ii servi venditarentur, an populus misericordia commotus id concesserit, disceptandum non est; cf. Schoemann: »Antiqu.« p. 188; »Gr. Alt.« I 351; Büchsenschütz p. 153; Gilbert I p. 165, 2; Lipsius: »Att. Proc.« p. 180. 625 sqq.; Busolt § 12 p. 12. § 150 p. 136. De simili Cretensium instituto in lege Gortyniorum commemorato cf. N. Rh. Mus. XL suppl. p. 95 et adn. 66.

[3]) cf. Arist. Pol. I 4 p. 1254 a; Oncken: »Staatslehre« II 39 et adn. 1; Büchsenschütz p. 142 sq. 150; Busolt § 12 p. 11.

[4]) Sane quidem dominus vitae necisque potestatem in servos non habuit, sed morte nisi per iudices servus puniri non potuit; cf. Heffter l. l. p. 94; Schoemann: »Gr. Alt.« I 351; Büchsenschütz p. 150, 6; Gilbert I p. 165; Busolt § 12. § 150. Tamen si dominus servum suum occidisset, tantum numen divinum scelere violatum expiare fas erat; cf. Antiph. VI 4; Paulyi: »Real-Encycl.« VI 1 p. 1091; Büchsenschütz p. 151.

pulus, quaeras. Fecit id populus religione motus. Antiquissimorum enim temporum civitates cum societates publicae tum sacrae fuerunt, quae eosdem deos colebant. Cuius congregationis et coniunctionis in re publica populari sacerdos maximus populi contio est, quae non modo ius humanum sed etiam ius divinum tuetur. Inter praecepta autem Iovis est hoc, ne supplex[1]) violetur; itaque si quis in tutela Διὸς ἱκεσίου est, populum in eum id adhibere, quod Graeci voce αἰδοῦς significant, religio est.

Sed ad rem propositam revertamur.

Quoniam demonstravimus (p. 90) ἄδειαν, cuius in indiciis deferendis scriptores mentionem faciunt, non significare potestatem apud populum verba faciendi vel indicandi delicti publice datam, ad aliam rem illa pertineat necesse est. Ac Thumser quidem [„de civ. Ath. muneribus" p. 21], qui primus de hac re fusius egit, demonstrare est conatus populum illis hominibus impunitatem delicti commissi largitum esse, postquam Blass Goetzi commentationem [„der Hermokopidenprocess" in Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. VIII p. 535 sqq.] recensens [„Jen. Lit.-Ztg." 1877 p. 154] Hermanni et Goetzi errorem animadvertit.[2]) Atque Meier [„de bon. damn." p. 135 adn. 445] iam rectum intellexit, quod his verbis dixit: ...„cum ...index ..criminis socius esse posset, cui, si vera indicasse iudicetur, ἄδεια i. e. impunitas dabatur." Postremo autem rem recte exposuit Lipsius [„Der attische Process" p. 330].[3]) Sed ut res disceptetur, accuratius in nonnullos locos huc pertinentes inquirere mihi in animo est.

Ἀδείας enim illius exempla non pauca inveniuntur apud oratores Atticos, praecipue apud Andocidem in oratione de mysteriis habita. Ubi (§ 11) Pythonicus quidam in comitiis

[1]) De supplicibus cf. e. c. Thuc. IV 98. De asylorum sanctitate cf. Schoemann: »Antiqu.« p. 376; in universum cf. de asylis: Caillemer in »Dict. des antiqu.« I 505 sqq. s. v. ἀσυλία.

[2]) Blass l. l. haec dicit: »Eine Ungenauigkeit andrer Art ist p. 553, 5: 'Freunde (id erratum typographicum corrigendum est verbo: »Fremde«) und Sklaven bedurften, wenn sie die Anzeige von einem die Sicherheit des Staates bedrohenden Verbrechen zu machen hatten, dazu der ἄδεια.' Doch nur insofern sie sich selbst als beteiligt angaben, und diese ἄδεια war dem Bürger Andokides bei seiner Anzeige nicht minder nötig«.

[3]) cf. Frohbergeri adnot. ad Lys. XIII 55 [Frohberger ed. Lys. orat. sel. vol. I² (Lips. 1880)]; cf. etiam ea, quae Valeton: Mnemosyne n. s. XV p. 2 de hac re breviter adnotat.

enuntiat Andromachum servum in Alcibiadem indicium facturum mysteriorum laesorum, si ἄδειαν impetraverit. Atque ἀδείᾳ data Andromachus indicium defert. Quo loco orator his verbis utitur[1]): ...καὶ ἐὰν ψηφίσησθε ἄδειαν[2]) (ᾧ) ἐγὼ κελεύω, θεράπων ὑμῖν ἐνθάδε ἑνὸς τῶν ἀνδρῶν ἀμύητος ὢν ἐρεῖ τὰ μυστήρια· εἰ δὲ μή, χρῆσθε ἐμοὶ ὅ τι ἂν ὑμῖν δοκῇ, ἐὰν μὴ ταληθῆ λέγω. Quodsi ex his tantum, quae protuli, verbis colligenda esset notio ἀδείας, non haberem, quod Hermanni[3]) sententiam non probabilem existimarem. Quod etiam dilucidius fiet, si addideris, quae apud eundem oratorem (§ 12) leguntur: ἐπεὶ δὲ ἐψηφίσαντο αὐτῷ τὴν ἄδειαν, ἔλεγεν ὅτι ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ Πουλυτίωνος γίγνοιτο μυστήρια.[4]) Verum haec Hermanni sententia verbis redarguitur,[5]) quibus vim legis ad indicia facienda spectantis Andocides exponit (§ 20): καὶ ὁ πατὴρ ἐπείσθη ἀγῶνα τοιοῦτον ἀγωνίσασθαι, ἐν ᾧ δυοῖν τοῖν μεγίστοιν κακοῖν οὐκ ἦν αὐτῷ ἁμαρτεῖν· ἢ γὰρ ἐμοῦ δόξαντος τὰ ὄντα μηνῦσαι κατ᾽ ἐκείνου ὑπ᾽ ἐμοῦ ἀποθανεῖν, ἢ αὐτῷ σωθέντι ἐμὲ ἀποκτεῖναι. ὁ γὰρ νόμος οὕτως εἶχεν· εἰ μὲν ταληθῆ μηνύσειέ τις, εἶναι τὴν ἄδειαν, εἰ δὲ τὰ ψευδῆ, τεθνάναι. Dilucide igitur haec lex praecipit, ut ἄδεια i. e. impunitas indici (μηνυτῇ) detur, ea quidem condicione, ut verum sit, quod dixerit, sin aliter, ut morte puniatur. Atque etiam Ps.-Lysias [VI 23] idem dicit: ἐκ δ᾽ οὖν τούτου τοῦ

[1]) Ed. Blass.

[2]) Hoc loco articulus vocabulo ἀδείας deest, qui huic nomini saepe significanter additur. Apud Andocidem usus incertus est (cf. de myst. 12 et 15); in titulis Atticis (v. supra p. 52 sq.) ille semper fere legitur.

[3]) v. supra p. 89.

[4]) non aliter ac si ille homo venia demum data facultatem verba faciendi impetrasset. Ab eadem sententia ne alius quidem locus [de myst. § 15] abhorreret, nisi index illius criminis a se delati ipse socius esset; ad hunc locum cf. Scheibe: »Olig. Umwälz.« p. 54 adn. 24. Huc pertinet locus Plutarchi Pericl. XXXI: Μένωνά τινα τῶν Φειδίου συνεργῶν πείσαντες ἱκέτην ἐν ἀγορᾷ καθίζουσιν αἰτούμενον ἄδειαν ἐπὶ μηνύσει καὶ κατηγορίᾳ τοῦ Φειδίου, quo verba: ἄδειαν ἐπὶ μηνύσει ita interpretemur necesse est: »(petentem) impunitatem«, ut lingua vernacula utar, »um der μήνυσις willen« vel »dafür, dass er die μήνυσις erstatten wird«; cf. [Lys.] VI 43; Blassi in Plut. vit. sel. (ed. Siefert et Blass) adn. ad h. l. Nam supplici omni tempore indicandi potestas fuit; si igitur ἀδείᾳ ei opus erat, alia causa suberat, ea scilicet, quod, ut demonstrabo, index sceleris delati affinis putabatur; v. etiam supra p. 90, 3. — Caillemer in »Dict. des antiqu.« I 67 Menonem servum fuisse contendit non recte, ut opinor. Cum enim ἀτέλεια ei data sit a populo (cf. Plut. Per. XXXI), aut civis aut peregrinus ille fuerit necesse est.

[5]) cf. Thumser l. l.

τιμήματος ἐδέδετο ἐγγὺς ἐνιαυτόν, καὶ ἐμήνυσε δεδεμένος κατὰ τῶν αὑτοῦ συγγενῶν καὶ φίλων, ἀδείας δοθείσης αὐτῷ, εἰ δόξειε τἀληθῆ μηνῦσαι;[1]) denique huc pertinet Lysiae locus [XIII 50][2]), quo haec leguntur: ἔπειθ' ἡ κρίσις, ἣν ἐκρίθη ἐπὶ τῶν τριάκοντα καὶ ἀφείθη, διαῤῥήδην λέγει, „διότι" φησίν „ἔδοξε τἀληθῆ εἰσαγγεῖλαι". Quae cum ita se habeant,[3]) tam civibus[4]) quam peregrinis servisque[5]) hac impunitate opus est.[6])

Quodsi ἄδειαν impunitatis delicti commissi significationem habuisse et ea civibus quoque opus fuisse constat, sequitur, ut ἄδεια impetranda fuerit propterea, quod indices socii criminis putabantur. Hic dicat aliquis civibus quidem tum impunitate opus fuisse, cum ipsi affines criminis a se delati essent; quam sententiam iam Thumser [l. l. p. 21] his verbis refutavit: „Ne quis ..obiciat, servum illum (ab Andocide [de myst. 11 sq.] commemoratum) non ipsum mysteria aperuisse, etiam eos, qui tantum audierant mysteria enuntiata, poena adfectos esse quam clarissime eo ostenditur, quod Polystratum, quamvis non in eorum numero relatus esset, qui mysteria fecerant, tamen occisum esse Andocides [l. l. § 13] tradidit."[7]) Athenienses enim in his

[1]) Idem patet ex duobus locis: [Lys.] VI 43 et Lys. XIII 56.

[2]) cf. Frohberger ad h. l. et Rauchenstein.

[3]) cf. Busolt § 150 p. 136 (ἀδείας concessae μηνυταῖς Busolt hoc loco mentionem non facit).

[4]) cf. Andoc. de myst. § 22; [Lys.] VI 23. 36; Lys. XIII 55; Plut. Alcib. XXI. Pericl. XXXI; Thuc. VI 60,3.

[5]) omnino iis, qui cives non erant; cf. Andoc. de myst. 11. 12. 15. 34; Lys. XIII 26; ad hunc locum cf. Frohbergeri et Rauchensteini adnotationes ad § 28.

[6]) In universum Heffter: »Die Ath. Gerichtsverf.« p. 235 recte haec dicit: »Mitschuldige, die die Teilnehmer an dem Verbrechen verrieten, erhielten Straflosigkeit«. Cf. Thuc. VI 27, 2. 60,3. — Ceterum ex Lys. verbis XIII 25. 27 fortasse colligi potest etiam in indiciis deferendis quaestiones servorum et libertinorum (et peregrinorum) tormentis adhibitis factas esse (cf. adn. Frohbergeri ad Lys. XIII 27 et Rauchensteini ad Lys. XIII 27. 54; Scheibe: »Olig. Umwälz.« p. 51; Lipsius: »Att. Proc.« p. 889 sqq. 896 sqq.); cum autem tormentorum in Agoratum adhibitorum nulla mentio fiat, potestne ex hac re conici ex servis (et peregrinis) et libertinis indicia facientibus impunitate data non per tormenta quaesitum esse? an id non factum esse putandum est propterea, quod Agoratus se civem esse ementiebatur?

[7]) cf. tabulas poletarum [CJA. I 277 vs. 7 sq.], quibus etiam illius bona publicata esse apparet; cf. etiam CJA. IV 1 fasc. alt. n. 277a, imprimis ea, quae Kirchhoff ad hunc titulum adnotavit.

rebus eam secuti sunt rationem, ut conscii criminis alicuius iidem affines habiti sint. Itaque Agorato ἀδείᾳ opus fuit,[1]) qui non veniam dicendi, sed impunitatem commissi sceleris impetraret. Is enim quamquam in coniuratorum numero non erat,[2]) tamen coniurationis, sicut conscius erat, ita affinis putabatur,[3]) quam ob causam de ipso quoque quaestio habita est.[4]) Atque eadem de eo indicio dicenda sunt, quod Plutarchus [Pericl. XXXI] memoriae prodidit.[5])

Facile igitur intellegi potest, quibus consiliis usus populus hoc privilegium irrogaverit. Si enim quis sceleris publici noxius est, leges, praesertim eas, quae rei publicae constitutionem aut deorum sacra instituta tuenda curant, violavit et divinum rei publicae ordinem rupit ac turbavit. Nec solum, si quis scelus in deos committit, in hos peccat ipsos, sed etiam rem publicam, quae deorum sacra iura tutatur, violat. Apud Thucydidem quidem [VI 28, 2] legimus haec: καὶ ἐβόων ὡς ἐπὶ δήμου καταλύσει τά τε μυστικὰ καὶ ἡ τῶν Ἑρμῶν περικοπὴ γένοιτο.[6]) Tamen populus sociis indicatis delatores ut homines de re publica bene meritos poena non afficit, sed gratiae ius exercens impunitate donat, cum ex indicio fructum se percepturum esse speret. Una autem sola impunitatis dandae condicio est, ut verum delatores indicent: si verum est indicium, scelus illorum expiatum videtur, sin falsum, morte luunt. Quae cum ita se habeant, impunitatem decretam abrogare populo licuisse, cum indicium falsum fuisse is cognovisset,[7]) per se ipsum intellegitur, non secus ac donationis vel privilegii alicuius decretum populo antiquare licuit. Nam haec impunitas, de qua agitur, praemium fuit indicibus ut hominibus de civitate bene meritis tributum.[8]) Praeterea servi indicio delato non raro

[1]) De Agorato cf. Lys. or. XIII; de hac re cf. Frohbergeri adn. ad. Lys. XIII 26. 28.

[2]) cf. Lys. XIII 21 et ea, quae Frohberger ad h. l. adnotavit.

[3]) cf. Frohbergeri adn. ad Lys. XIII 23.

[4]) cf. Rauchenstein ad Lys. XIII 50.

[5]) cf. de hac re Lipsius: »Att. Proc.« p. 330 sqq. Hoc quoque loco indicem criminis socium habendum esse censeo, quare ei ἀδείᾳ opus fuisse. Fortasse id etiam ex vocabulo συνεργοῦ, quod e. c. apud Andoc. de myst. § 15 socium criminis significat, colligendum est; cf. Blassi in Plut. vit. sel. (ed. Siefert et Blass) adn. ad h. l.

[6]) De hac re cf. Plut. Alcib. XXI; cf. etiam Oncken: »Staatslehre« II 4.

[7]) cf. Frohberger ad Lys. XIII 55.

[8]) cf. [Lys.] VI 36.

libertate donati sunt.[1]) Atque etiam aliae indicinae sive praemia indicii (τὰ μήνυτρα) memorantur.[2]) Si quis enim ex indicio in exilium expellebatur bonaque publicabantur, partem delatori populum tribuisse notum est. Et ex publico quoque aerario praemia non parva dabantur.[3])

Ceterum ea impunitatis datio honesta ratio putari non potest; nam genus delatorum hoc privilegio generatum educatumque est, quod, ut sycophantae posteriorum temporum, saepe malis consiliis usui fuit.[4]) Etenim magna illa praemia delatoribus data causae fuerunt, quod nunquam non inveniebantur, qui indicia facerent. Et sicut sycophantis accusationes quaestui erant, ita imprimis servis et inquilinis indicia. Perniciosa autem auctoritas, qua sycophantae Athenis fruebantur, nemini ignota est, qui quidem historiam rei publicae Atheniensium, imprimis posterioris aetatis, noverit.[5]) Perniciosior indicum fuisset, si una cum data impunitate vitae securitatem populus decrevisset.[6]) Nam si id factum esset, servorum indicia nimis crebra fuissent, praesertim si rationem habeas magni servorum in dominos odii.[7]) Atque re vera servo

[1]) Cf. Heffter l. l. p. 235; Schoemann: »Gr. Alt.« I 352; Lipsius: »Att. Proc.« p. 751; Gilbert I p. 167 sq.; Busolt § 13 p. 12 et adn. 16. § 150 p. 136; Büchsenschütz: »Bes. u. Erw.« p. 173; Schenkl: »Wiener Stud.« II 218.

[2]) cf. Thuc. VI 27; [Lys.] VI 43; Westermann: »de publ. Ath. hon.« Addenda ad § 1 p. 6 post v. 7.

[3]) cf. Andoc. de myst. 27. 28; Plut. Per. XXXI, ubi Menoni praeter ἄδειαν etiam immunitatem irrogatam esse audimus; Blass ad h. l.

[4]) cf. Plut. Per. XXXI; Thuc. VI 60. — Etiam Romanis hoc indicum genus notum erat, idemque nostris temporibus invenitur in Britannia, ubi institutum »testium coronae« (Kronzeugen) viget. — In universum cf. de hac re Lueder: »Das Souveränetätsrecht der Begnadigung« (Lips. 1860) p. 173.

[5]) cf. Büchsenschütz l. l. p. 568 sqq.

[6]) Id autem non factum esse verba Plutarchi Per. XXXI satis dilucide demonstrant; hoc enim loco legimus populum impunitate Menoni data praetoribus imperasse, ut saluti eius hominis prospicerent [de hoc praetorum munere cf. Hauvette-Besnault: »Les Strat. Ath.« p. 144 sq.; Foucart: Bull. de corr. hell. 1888 n. III p. 169]; cf. de hac re Meier et Schoemann: »Der Att. Proc.[1]« p. 107. Nam ἀδεία data populus delatorem ab accusatione tuetur, non ab ultione civium potentium, quare imprimis servos ἀδεία concessa non tutos fuisse facile intellegitur. Velut Batrachus quidam, qui aetate XXX tyrannorum delator factus erat, in urbe remanere non ausus est, »οὐσῶν αὐτῷ«, ut ait [Lys.] VI 45, »συνθηκῶν καὶ ὅρκων καθάπερ τοῖς Ἐλευσινόθεν«.

[7]) cf. Büchsenschütz l. l. p. 156 et adn. 1.

licuisse sceleris a domino commissi indicium facere e Lysia [V 5] videtur patere.[1])

Ex his, quae diximus, apparet ἄδειαν illam non ad rogationem quandam ferendam petitam esse, sed per se ipsam impunitatis possessionem utilem fuisse criminis alicuius affinibus. Itaque ratio huius ἀδείας dandae diversa est ab ea, quam in libro altero exponemus;[2]) ut accuratius dicam: hoc privilegium eiusmodi erat, ut in eadem, in qua ad populum ferebatur, contione ratum fieret; sed utrum id a sex milibus civium haud minus impertiri necesse fuerit necne, disceptare non audeo.[3]) Ceterum indicia saepissime ad senatum delata sunt,[4]) qui, quo tempore αὐτοκράτωρ fuit, etiam impunitatis dandae potestatem habebat.[5])

2. De ἀδείᾳ sive fide publica Atheniensium.

a. De fide publica, quae ad ius publicum Atheniensium pertinet, h. e. exulibus in patriam redituris acquirenda.

Nunc iam de ea ἀδείᾳ copiosius disserere mihi proposui, quae in iure publico Romanorum „fides publica“[6]) vocatur. Et primum quidem, postquam fidem publicam in duo genera distinxerimus, quorum alterum ad ius publicum, alterum ad ius gentium spectat, de iuris publici instituto, h. e. de fide publica sive venia vel impunitate Athenas redeundi exulibus acquirenda, agemus.

[1]) Cf. Schenkl: »Wiener Stud.« II 218; Lipsius l. l. p. 751.

[2]) Haec enim, de qua agemus, ratio ad alterum ἀδείας genus supra (sub A) tractatum pertinet.

[3]) Omnino haec ἄδεια, quam nunquam indicibus non concessam esse puto, nihil aliud nisi caerimonia videtur fuisse, cum veritas indicii delati maximi momenti fuerit (cf. Frohbergeri adn. ad Lys. XIII 55. 50). Atque heliastarum iudicio illud populi decretum et probare et abrogare licuisse puto. Itaque Andocides, cui ἄδειαν datam esse scimus [cf. Andoc. II 23; [Lys.] VI 43], postea a populo petiit, ut ἄδεια abrogata sibi restitueretur; cf. Andoc. II 23. 27. Quae cum ita sint, hanc ἄδειαν simplici psephismate irrogatam esse existimet quispiam, quamquam id incertum est; cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 2, qui contendit: »haec.. (sc. impunitas indicandi delicti) per simplex populiscitum irrogatur«.

[4]) cf. Busolt § 185 p. 167.

[5]) cf. Andoc. de myst. § 15 et ea, quae Blass in edit. (Lips. 1880) praef. p. XI adnotat.

[6]) recenti nomine: »sicheres Geleit«.

Ei, qui exulum revocationem rogaturus erat — id quod in amnestiis fieri solebat — ἄδειαν impetrandam fuisse supra (p. 15 sqq.) demonstravimus. Qua rogandi impunitate decreta ipsa revocationis rogatio in comitiis accepta aut antiquata est. Quodsi populus sollemni psephismate omnes exules revocari iusserat, in patriam tuto redeundi illi potestatem habuerunt, neque iis fide publica opus fuit. Sin autem populus venia rogatori data reditum singulorum exulum decreverat, simul revocatis maioris securitatis causa fidem publicam si non semper, attamen saepe decretam esse opinor, quamquam id non certo scitur. Huc pertinent duo de reditu Alcibiadis loci, qui apud Thucydidem inveniuntur. Quibus Thucydides [VIII 76, 7] haec dicit: Ἀλκιβιάδην τε, ἢν αὐτῷ ἄδειάν τε καὶ κάθοδον ποιήσωσιν, ἄσμενον τὴν παρὰ βασιλέως ξυμμαχίαν παρέξειν, et ibid. [cap. 81]: καὶ τέλος ἐπ' ἐκκλησίας ἔπεισε (Θρασύβουλος) τὸ πλῆθος τῶν στρατιωτῶν,[1]) καὶ ψηφισαμένων αὐτῶν Ἀλκιβιάδῃ κάθοδον καὶ ἄδειαν πλεύσας ὡς τὸν Τισσαφέρνην κατῆγεν ἐς τὴν Σάμον τὸν Ἀλκιβιάδην...[2]) Quid autem his locis vox ἀδείας significet, quaeritur. De impunitatis quidem notione vix cogitari potest, quod revocatione decreta ipso iure Alcibiades impunis factus est; itaque ἄδεια nihil aliud nisi securitatem itineris faciendi publice datam sive fidem publicam[3]) mihi videtur significare. Quod privilegium cum revocatione in maiorem revocati securitatem coniungi solebat, ne quis eum violare auderet. Atque eandem ob causam etiam iis, qui per ostracismum expulsi ante exactos decem annos psephismate revocati sunt, hanc ἄδειαν sive fidem publicam nonnunquam decretam esse non veri dissimile videtur. Sed eius ἀδείας privilegium iis maximi momenti fuit, qui revocatione nondum decreta in patriam redire voluerunt. Archontum[4]) enim erat videre, ut exules iniussu populi reduces morte punirentur.[5]) Itaque si exules reverterant, eorum ἀπαγωγή facta est ad thesmothetas[1]) aut ad undecimviros, vel per ἔνδειξιν eorum nomina delata sunt,[2]) nisi iis antea fides publica a populo privilegio decreta erat. Quam fidem publicam exules, antequam Athenas redirent, per litteras a populo petere solebant. Tamen Andocides orator, qui propter mysteria enuntiata exul factus erat, aliquanto post eversum Quadringentorum imperium non solum in patriam ille quidem rediit fide publica non data; immo, quamquam a foro sacrisque arcebatur, a prytanibus, videlicet pecunia corruptis, in contionem introductus petiit a populo, ut impunitas pridem sibi decreta[3]) restitueretur,[4]) rogatione autem non perlata tum demum rursus ex patria discessit.[5]) Speraverat enim Andocides impune se Athenas rediturum esse, quod tum alii quoque exules reverterant. Contra Ps.-Demosthene auctore[6]) Demosthenes ipse, cum exul factus esset, per litteras fidem publicam a populo petiit, ut Athenis revocationis restitutionisque agendae ipse facultatem haberet.

[1]) Si id initio quidem venia rogatori non data factum sit, mirum non videatur, cum haec revocandi ratio extraordinaria fuerit. Iusta autem et sollemnis revocatio paulo post Athenis decreta est [cf. Thuc. VIII 97].

[2]) cf. etiam hos locos Thucydidios: III 114. IV 114, ubi simili modo vocabula ἀδεέστερος et ἀδεῶς in usu sunt.

[3]) v. supra p. 5 adn. 4.

[4]) cf. Gilbert I p. 239 et adn. 4. Sed id potius thesmothetarum munus fuisse probavit Meier: »de bon. damn.« (p. 43) not. 127; cf. Meier et Schoemann l. l. p. 41, 37.

[5]) cf. Poll. VIII 86; cf. etiam Dem. XXIII 31; Platner l. l. I 266 sq. 282 sq.; cf. Meuss: »de ἀπαγωγῆς actione« p. 19 sqq.

b. De fide publica Atheniensium, quae ad ius gentium pertinet.

α. de fide publica peregrinis Athenas profecturis acquirenda.

Transeamus ad alterum fidei publicae genus, quod ad ius gentium spectat, h. e. ad veniam Athenas commeandi.

In antiquis rebus publicis opinio inveteraverat quemvis peregrinum hostem civitatis iudicandum esse,[7]) et prisca quidem aetate in omnibus Graeciae civitatibus peregrini omnibus legum praesidiis carebant.[8]) Atque etiam posterioribus temporibus,

[1]) Cf. Lyc. adv. Leocr. § 121; Schoemann: »Gr. Alt.« I 414.

[2]) cf. Poll. VIII 50; Dem. XXIII 51 sq.; [Lys.] VI 15.

[3]) v. supra p. 99 adn. 3.

[4]) cf. Andoc. II 23. 27; Meier: »de bon. damn.« p. 183.

[5]) cf. Plut. vit. Andoc. in Blassi edit. orat. Andoc. et argum. ad or. II.

[6]) cf. Ps.-Dem. epist. III p. 1484: ....καὶ μόνον αἰτοῦντος ἄδειαν ὅσονπερ χρόνον τὴν ἔκτισιν δεδώκατε (»cum fidem publicam et tutum receptum petam«); cf. etiam Ps.-Dem. epist. II (περὶ τῆς ἰδίας καθόδου) p. 1472; [Aesch.] epist. VII 4.

[7]) v. supra p. 75. 89; Cic. de off. I 12, 37; Hermann: »Gr. Alt.« I[5] § 9, 2 [cf. etiam editionis sextae a Thumsero curatae (I[6]) fascic. prim. § 9 adn. 3]; Perrot l. l. p. 259 sq. et adn. 3. Contra cf. Schoemann: »Gr. Alt.« II 18 sqq.; cf. etiam Busolt § 54 p. 50. § 15 p. 14; Monceaux: »Les Prox. Grecques« p. 2. 91.

[8]) cf. »Wiener Studien« II 162. 178; VII 51.

quamquam mercatu ac commercio in dies crescente rationes illae graves et iniquae paulatim in melius mutatae erant,[1]) tamen generaliter peregrinorum condicio etiam in iis civitatibus, in quibus commercii causa multi peregrini versabantur, bona non erat,[2]) et imprimis in itineribus faciendis multa illis pericula imminebant. In quibus nec rerum nec vitae, non in bello tantum sed etiam in pace, ulla fuit securitas.[3]) Itaque si quis, praesertim belli temporibus, exteras civitates aditurus erat et tuto proficisci cupiebat, is qui aliter in itinere nulla fere iura habebat, sed deorum tantum, imprimis Διὸς ξενίου, tutela fruebatur,[4]) securitatis privilegium a civitate petendum ei erat. Atque Alcibiades quidem, cum nullo alio loco se tutum fore intellexisset, a Lacedaemoniis petiit, ut ipsum reciperent; priusquam autem ad eos proficisceretur, fidem publicam, quam Plutarchus [Alcib. XXIII][5]) nomine ἀδείας significat, postulavit, qua accepta Lacedaemonem venit. Qua in re Alcibiadem usum esse ea consuetudine, quam Athenis valuisse puto, verisimile videtur. Quod si verum est, haec ἄδεια fidem publicam et tutum receptum et legatis[6]) et peregrinis Athenas commeantibus concessit itaque inter gravissima iuris gentium instituta fuit. Quod privilegium nisi sollemni populi psephismate tribui non potuit, cum eiusmodi esset, ut ea re, h. e. peregrino vel hoste recepto, res publica ipsa in discrimen quoddam se inferret. Civitas autem irrogabat privilegium

[1]) Cf. Schenkl l. l. II p. 162 sq.

[2]) cf. de metoecorum Atticorum statu id, quod Schenkl l. l. p. 180 sqq. exposuit. — In universum metoecorum condicio multo melior erat quam peregrinorum; cf. Schenkl l. l. p. 163. 167. 178 sqq. 205. 213; v. etiam supra p. 92 adn. 7 s. f.

[3]) cf. e. c. Thuc. II 67, 4; Büchsenschütz l. l. p. 545.

[4]) De iure gentium apud Graecos cf. Gilbert II p. 376 sqq.; Busolt § 54 p. 50 sq. — Schoemann: »Gr. Alt.« II 20 id ita fuisse negat his verbis: »zu sagen, dass er (sc. der Fremde) rechtlos gewesen sei, ist eine arge Übertreibung«; sed haec, quae ille dicit, ad metoecos solos, qui in plerisque Graeciae civitatibus praecipuo quodam iure fruebantur, pertinent; cf. Schenkl l. l. p. 163 [sed cf. etiam p. 182].

[5]) cf. ad h. l. Caillemer in »Dict. des ant.« I 67, qui haec dicit: »L' ἄδεια nous est présentée par Plutarque comme une sorte de sauf-conduit, de garantie contre les mauvais traitements que l'on a pu mériter par sa conduite envers un peuple«, sed latiorem esse vocabuli notionem puto; securitatem enim significat vox, qua peregrinus, imprimis civis rei publicae hostilis, non fruitur.

[6]) De fide publica legatis data v. supra p. 79 et adn. 10.

propterea, quod ex eo fructum se capturam esse sperabat, aut ut praemium homini de re publica bene merito tribueret. Id fidei publicae privilegium, sive quis ipse (plerumque per litteras) petiit, ut sibi irrogaretur, sive alius pro illo rogavit, in una contione ratum factum est. Sed utrum id in maximo comitiatu[1]) datum sit necne, pro certo dici non potest. Omnino vero, num hoc ἀδείας privilegium fuerit Athenis, dubitari potest, cum mirum videatur eandem vocem et institutum iuris publici Attici et iuris gentium significasse. Quare quaerat quispiam, nonne de ἀσφαλείας privilegio cogitandum sit, quod ab Atheniensibus saepe peregrinis datam esse postea demonstrabo. Nam etiamsi ex locis Thucydidiis, quos supra (p. 100) attuli, ἀδείας vocabulum fidei publicae notione adhibitum esse constare videtur, tamen ea ἄδεια, quam exulibus Atticis datam esse dixi, ad ius publicum pertinet. Verum uno titulo Attico, de quo hoc loco fusius agere liceat, etiam peregrinis ἄδειαν sive fidem publicam concessam esse docemur, si quidem id verbum, quod maximi momenti est, Kirchhoff recte supplevit. Quae res, cum coniectura quamquam ingeniosa nitatur, incerta est. Extat is titulus[2]) in CIA. I 36 vs. 3—19, ubi haec leguntur:

Ἀντικ[λ]-
[έης εἶπε· τὰ μὲν ἄλλα] καθ[ά]περ τῇ βουλῇ-
[ι· εἶναι δὲ ἄδειαν (?) Ἀρ]ήτῳ Κολοφωνίῳ, ἐ-
[πειδὴ ἐστιν ἀνὴρ ἀ]γαθὸς περὶ τὸν δῆμ-
[ον τὸν Ἀθηναίων κ]αὶ τοὺς στρατιώτας, τ-
[οὺς δὲ <στρατηγοὺς> π]ροεπιμέλεσθαι αὐ-
[τῷ τῆς κομιδῆς (?)], ὅπως ἂν σῶον ᾖ Ἀθήν-
[αζε ἐλθεῖν. ἐπιμέλ]εσθαι δὲ αὐτῷ καὶ
[<τοὺς στρατηγοὺς>] ἀεὶ ἐόντας, ὅτου ἂν δ-
[έηται. καὶ τὴμβουλὴ]ν τὴν βουλεύουσαν κα-
[λεῖν ἐπὶ ξένια (?). καὶ] πρόσοδον εἶναι αὐ-
[τῷ πρός τε τοὺς πρυ]τάνεις καὶ τὴμβουλὴ-
[ν (ἢ πρὸς τὸν δῆμον)[3]) π]ρώτῳ μετὰ τὰ ἱερ-

[1]) h. e. per suffragia senum milium; cf. de hac re Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 2.

[2]) Kirchhoff recte coniecit id psephisma eo anno perlatum esse, quo Notium, Colophoniorum oppidum, receptum est ab Atheniensibus per Pachetem Ol. 88, 1/2 vel paulo post. Laudat vir doctissimus ad hunc titulum Thuc. III 34.

[3]) Hunc versum secundum coniecturam Schuberti: »de prox. Att.« p. 33 restitui.

[ά. <ἀποκτεῖναι δὲ καὶ>] μὴ ἐξεῖναι αὐτὸν
[<μηδ' ἐκβαλεῖν> ἄν]ευ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθην-
[αίων. εἶναι δὲ ταῦτα κα]ὶ τοῖς ἐκγόνοι-
[ς αὐτοῦ κ]αὶ ἐάν τις τού-
[τ.....

Kirchhoff vs. 5 verbis: εἶναι δὲ ἄδειαν[1]) restituere conatus est. Initio quidem — ea videlicet condicione, ut ita lacuna expleri possit — suppleat quispiam: ἀτέλειαν sive προξενίαν sive πολιτείαν[2]) sive aliud privilegium; at id respiciendum est, hunc locum tituli, qui extat, nihil aliud quam additamentum esse. Etenim nisi id ita esset, ἀδείας vox falso suppleta esset, quod verba: εἶναι δὲ ταῦτα καὶ τοῖς ἐκγόνοις αὐτοῦ ad eam referri non possent neque ea verba, quae privilegium σιτήσεως ἐν πρυτανείῳ[3]) significant. Nec vero haec verba, quae dixi, ad ἄδειαν pertinent, sed potius ad id privilegium, quod ex ipsa rogatione, quae non iam extat, hoc psephismate irrogatum est. Quod privilegium quale fuerit, incertum est, sed Areto civitatem datam esse verisimile videtur. Cum civitate autem privilegium securitatis coniungi non mirum est.[4]) Nam Areto Colophonio, qui — utique in oppido Notio subigendo — de exercitu Atheniensium optime meruerat, populus civitatem dono dedit; ut autem novus civis ex extera civitate Atheniensibus infesta profectus tutus esset in

[1]) Articulum modo voci ἀδείας additum esse modo deesse (v. supra p. 95 adn. 2) differentia notionum vocabuli explicandum esse censeo. Nunquam enim in titulis quidem Atticis articulus non legitur, ubi vocabuli notio ad ius publicum pertinet (v. e. c. supra p. 52 sq.); aliter sane res se habet apud scriptores, quippe qui principalem et tralatas verbi notiones saepissime confundant (v. supra p. 4 sq.).

[2]) Quamquam id quidem verbum in decretis, quibus civitas tribuitur, tantum in titulis postrema aetate scriptis legitur; cf. Szántó: »Unters. üb. d. att. Bürgerrecht« p. 2 sq.; Caillemer: »la natur. à Ath.« p. 15 sq. 40.

[3]) »Epulum in prytaneo« hereditate relictum aliter significatur; cf. CJA. II 275: [εἶναι δὲ αὐτῷ (in aliis titulis haec leguntur: δοῦναι δὲ αὐτῷ) καὶ σίτησιν ἐ]ν πρ[υτανείῳ καὶ αὐτῷ καὶ ἐκγόνων ἀει] τῷ πρεσ[βυτάτῳ; cf. ibid. II 276. 300. 410; Schoell. Hermes VI 33 sq.

[4]) cf. Büchsenschütz »Bes. u. Erw.« p. 545, qui dicit haec: ...»so dass sogar in Volksbeschlüssen, welche einzelnen Personen das Bürgerrecht in dem betreffenden Staate verleihen oder sonst eine bevorzugte Stellung einräumen, es als eine besondere Vergünstigung ausgesprochen wird, dass sie in den Hafen der Stadt ohne vorhergegangenen besonderen Vertrag und ohne Gefahr der Wegnahme ihres Eigentumes im Kriege und im Frieden einlaufen und auslaufen dürfen«. [Agitur autem de mercatoribus.]

itinere, etiam fidei publicae privilegium ei concessum est. Quod si verum sit, lacunam, quae vs. 8 inter verba: τοὺς δὲ et: προεπιμέλεσθαι est, ita explendam esse censeam: τοὺς δὲ <στρατηγοὺς> προεπιμέλεσθαι κτλ. et vs. 11 his fere: <τοὺς στρατηγοὺς>[1]) ἀεὶ ἐῶντας. Nam praetorum erat securitati hominis, cui fides publica data erat, prospicere,[2]) quae res verbo ἐπιμελεῖσθαι[3]) significatur in titulis. Lacunas vs. 16 sq. recte quidem explere difficile est, quamquam sententia non dubia videtur;[4]) fortasse iis fere vocibus, quas supra exempli causa posui.

Venimus denique ad alteram eius privilegii, de quo modo disserui, speciem. Agitur autem de hoc iuris gentium instituto:

β. de fide publica histrionibus concessa.

Hac occasione de notionibus et differentiis verborum: ἀδείας, ἀσφαλείας, ἀσυλίας pauca exponere mihi in animo est.

Antiquissimis quidem temporibus, quibus ius gentium apud Graecos nullum fere fuit,[5]) imprimis mercatores peregre negotiandi causa profecti usque in discrimen se obtulerunt; sed posteriore aetate, cum commercium magis magisque floresceret, nemo mercatu, foris, portubus prohiberi solebat, nisi hostis.[6]) Nihilo tamen

[1]) Cf. CJA. II 115, 41 sq. 121, 30.

[2]) cf. de hoc praetorum et senatus munere e. c. CJA. IV 1 fasc. alt. p. 47 n. 116p; Hauvette-Besnault l. l. p. 128, 4; Foucart: Bull. de corr. hell. 1888 n. III p. 169. 171. Imprimis πρόξενοι et εὐεργέται horum praesidio fruebantur; cf. Busolt § 179 p. 163 et adn. 5. § 183 p. 166 et adn. 5.

[3]) De »epimelia« e. c. proxenis tributa cf. Schubert: »de prox. Att.« p. 28 sqq.; Monceaux l. l. p. 95. Ratione extraordinaria praetoribus imperavit populus, ut securitati civis vel peregrini alicuius prospicerent; cf. Plut. Per. XXXI: καὶ προσέταξε (sc. ὁ δῆμος) τοῖς στρατηγοῖς ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἀσφαλείας τοῦ ἀνθρώπου, ad quem locum Hauvette-Besnault p. 144 sq. adnotat: »D' une manière générale, il appartient aux stratèges de garantir la sécurité des citoyens«. Sed incertum est, utrum Menon, de quo agitur, civis an peregrinus fuerit; v. supra p. 95 adn. 4; cf. etiam ea, quae Blass l. l. ad vocem »στρατηγοῖς« adnotavit. — De epimelia una cum civitate collata cf. Schubert l. l. p. 30.

[4]) cf. Antiph. de caede Herod. § 47: ὃ οὐδὲ πόλει ἔξεστιν, ἄνευ Ἀθηναίων οὐδένα θανάτῳ ζημιῶσαι; cf. CJA. IV 1, 27a; Thuc. I 77,1; Lys. XXV 26; cf. etiam CJA. I 57: [ἄνευ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων πλη]θύοντος μὴ εἶναι θάν[α]το[ν] (quam formulam Busolt § 129 p. 118,3 dicit: »altes, nach dem Sturze der Vierhundert wieder aufgezeichnetes Gesetz«); Gilbert I 402,2.

[5]) cf. Schoemann: »Antiqu.« p. 365.

[6]) cf. Schoemann l. l. p. 374 sq.; Schenkl l. l. II p. 162. — His rebus προξενίας institutum maximi fuit momenti; cf. Monceaux l. l. p. 255 sqq. 308 sqq.

secius etiamtum omnibus, qui itinera faciebant, parum securitatis fuit,[1]) nisi iis privilegia quaedam erant irrogata. Erant autem haec privilegia ἀδείας (fidei publicae), ἀσφαλείας, ἀσυλίας, quae cum in exteras civitates, ut ita dicam, aditum patefecerunt tutoque commeandi facultatem dederunt, tum magnam ad excolendas artes, imprimis artem scenicam, vim habuerunt. Praecipue enim privilegium ἀδείας histrionibus datum est, ut iis artis in exteris urbibus exercendae causa sine ullo periculo itinera facere liceret. De quo privilegio scholiasta ad Demosthenis orationem XIX [p. 335] haec dicit: οὗτοι (sc. Ἀριστόδημος δὲ καὶ Νεοπτόλεμος ὑποκριταί) διὰ τὴν οἰκείαν τέχνην ἄδειαν εἶχον ἀπιέναι ὅποι ἂν βούλωνται, ἀλλὰ δὴ καὶ πρὸς πολεμίους, et Demosthenes ipse [V 6]: κατιδὼν Νεοπτόλεμον τὸν ὑποκριτὴν τῷ μὲν τῆς τέχνης προσχήματι τυγχάνοντ᾽ ἀδείας . . . [„cum perspexissem Neoptolemum artificem per speciem artis fidem publicam (sive sanctitatem)[2]) nactum (rei publicae vero maxime perniciosa molientem resque vestras ex re Philippi administrantem et regentem, prodii et vobis exposui . .)“].[3]) Histrionibus igitur hostium quoque urbes in ipso bello adire licuit,[4]) cum iis ἀδείας privilegium datum esset. Quod cum artis gratia factum est tum maxime ideo, quod histriones in honorem Bacchi itinera fecerunt artemque coluerunt.[5]) Haec enim vetusta opinio est, qua „οἱ περὶ τὸν Διόνυσον“ (sc. τεχνῖται)[6]) in ipso collegiorum nomine Bacchi patrocinio gloriantur.[7]) Deus igitur artifices scenicos tamquam sacerdotes suos tuetur, et civitates histrionibus ἀδείας

[1]) V. supra p. 101 sq.

[2]) De hac vocabuli notione cf. Thumser: »de civ. Ath. mun.« p. 21 adn. 2.

[3]) cf. Dem. V 8 [v. ad h. l. Reiskii Indices Graecitatis in oratores Atticos I (Oxonii 1828) s. v. ἄδεια]; Lüders: »Die Dionys. Künstler« p. 55 et adn. 106; Foucart: »de collegiis scenicorum artificum apud Graecos« (Paris 1873) p. 81. 46.

[4]) Nam Apollinis ipsius oraculum praecepit, ut liber et tutus singulis inter alienos commeatus esset. In lapide Teio [CJG. n. 3067 v. 17—19] oracula memorantur, quibus Graeci obsecuti scenicos artifices cum pace tum bello tutos et inviolatos esse universi iusserunt; cf. Foucart: »de collegiis« p. 32—44; Lüders l. l. p. 80.

[5]) cf. Foucart: »de collegiis« p. l. 30 sqq.

[6]) cf. Lüders p. 58. 61 adn. 114; Foucart l. l. p. 6 et adn. 2; Th. Bergk: »Gr. Literaturgesch.« III 92 not. 320.

[7]) Foucart l. l. p. 18. 32 sq.

privilegium tribuentes dei partes suscipiunt.[1]) Quare histriones imprimis tutela Amphictionum usi sunt, quorum fuit videre, ne illorum privilegia violarentur.[2]) Fuerunt autem praeter hoc, quod dixi, ἀδείας sive fidei publicae privilegium etiam duo alia, quae histrionibus et Athenis[3]) et in aliis civitatibus per Amphictiones[4]) concessa sunt: ἀσφαλείας et ἀσυλίας privilegia dico. Athenienses enim haud raro singulos aliarum civitatum cives aut collegia aut exteras urbes fide atque incolumitate terra marique bello et pace (ἀσφαλείᾳ καὶ ἀσυλίᾳ καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν καὶ πολέμου καὶ εἰρήνης οὔσης)[5]) donaverunt.

Quorum iuris publici Attici vel iuris gentium institutorum natura et notiones ex titulis Atticis dilucide intellegi possunt.[6])

Atque exempla nonnulla iam afferam:

In titulo Attico [CIA. II 46] Megarensi cuidam, qui privilegio εὐεργέτης factus est, populus Atheniensium etiam ἀσυλίαν vitae et bonorum irrogat: εἶ[ναι δὲ ἀσυλίαν καὶ] αὐτοῖς καὶ χρήμα[σι . . . In alio titulo [CIA. II (Add. et Corr.) 1c v. 19 sqq.] haec leguntur: κ[αὶ ἀσυλίαν εἶ][ν]αι αὐτῷ καὶ τοῖς χρήμα[σι αὐτοῦ καὶ ἀ]νιόντι καὶ ἀπιόντι. In decreto προξενίας (publici hospitii) [CIA. II 550, 16 sqq.] haec privilegia enumerantur: (δεδόσθαι δὲ αὐτᾷ . . .) προξενίαν προμαντείαν προδικίαν ἀσυλίαν ἀτέλειαν προεδρίαν ἐμπᾶσι τοῖς ἀγώνοις . . . καὶ γᾶς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν. In alio προξενίας decreto [CIA. II 144] privilegium immunitatis (ἀτελείας) datur; deinde vs. 6 sqq. haec leguntur: ἀσυλίαν καὶ α . . . . . [χ]ρήμασιν κα. [πολέμου ὄ]ντος καὶ εἰ[ρήνης], quem locum Schubertum [„de prox. Att.“ p. 66. 67] secutus in hunc modum restituo: εἶνα[ι δὲ αὐτοῖ]ς ἀτέλειαν πά[ντων καὶ] ἀσυλίαν καὶ α[ὐτοῖς καὶ χ]ρήμασιν κα[ὶ

[1]) De munimento, quod ius gentium ex religione habuit cf. Schoemann: »Antiqu.« p. 365 sq.

[2]) cf. Bergk l. l. III 92 adn. 321; imprimis Foucart l. l. p. 41, qui in illis privilegiis deferendis Amphictiones nihil inusitati excogitasse, sed pleraque e priscis temporibus et maiorum institutis repetiisse probavit; cf. etiam Monceaux l. l. p. 267.

[3]) cf. Lüders l. l. p. 80.

[4]) cf. Lüders p. 66. Etiam προξενία artificibus saepenumero data est; cf. Monceaux p. 277. 302 sqq.

[5]) cf. Hermann: »Gr. Altert.« I § 116; Meier: »commentatio de prox. sive publ. Graec. hospitio« (Hal. Sax. 1843) p. 18 sq.

[6]) De titulis Graecis huc pertinentibus cf. Meier l. l. p. 18 adn. 172; cf. etiam Büchsenschütz l. l. p. 545,4; v. e. c. CJG. n. 1793. 1567.

πολέμου ὄ]ντος κτλ.[1]) Gravissima denique, quae huius loci sunt, leguntur in CIA. II 551 sq.,[2]) ad quem titulum (n. 551) Koehler haec adnotat: „Nec dubitari potest, quin haec decreta Amphictionica, quibus collegio artificum scaenicorum quod Athenis fuit ἀτέλεια ἀσυλία ἀσφάλεια concessa sive confirmata est, ipsorum artificum iussu et impensis in theatro sint proposita.“ Quibus in decretis duo sunt privilegia, quae artificibus extra ius commune tribuuntur: immunitas et sanctitas. Atque sanctitas quidem, de qua hic agitur, definitur vocabulis ἀσυλίας et ἀσφαλείας. Quorum alterum nomen ἀσυλίας semper cum verbis: καὶ αὐτοῖς καὶ χρήμασιν coniunctum videmus, itaque haec vox nihil aliud significat, quam et vitae et rei familiaris sanctitatem, perinde ac si ille homo, qui hoc privilegio fruitur, loco sacro versetur, quo utatur perfugio. Quam ob rem e. c. in Apterensium decreto haec dicuntur: „si quis Apterensium Teiis iniuriam fecerit, teneatur lege de sacrilegio.“[3]) Altera ἀσφαλείας vox generaliter securitatis notionem habet. Propria vero et principali significatione vocabulum ἀσυλίας ad res vel ad rem familiarem[4]) alicuius hominis, ἀσφαλείας ad caput vel ad vitam et salutem[5]) pertinet.[6]) Haec igitur privilegia eo valebant, ut, qui illis frueretur, esset quodammodo sacrosanctus[7]), ita quidem, ut interdictum esset, ne quis artificem aut bello aut

[1]) Cf. CJA. I 41 vs. 12 sqq.: πλεῖν Ἀθ[ήναζε] [τὰ χ]ρήματα ἀσυλεὶ καὶ ἀσ[πονδεὶ] [α]ὐτῶν ἄγειν καὶ σῖτον.. (de verbis: ἀσυλεὶ καὶ ἀσπονδεὶ cf. Meier l. l. p. 18); Le Bas et Waddington: »Inscriptions Grecques et Lat.« (Voyage archéol.) partie V sect. VII tit. 1140 vs. 7 sq.: ἀτέλειαν πάντων καὶ εἴσπλουν καὶ ἔκπλουν [ἀσυλεὶ καὶ ἀσ]πονδε(ὶ) καὶ ἐν εἰρήνῃ καὶ ἐν πολέμῳ. De hoc privilegio hospitibus publicis dato cf. Monceaux l. l. p. 36 n. 7. Iisdem saepe ἀσφάλεια tributa est; cf. ibid. p. 94; Schenkl l. l. II 221; Tissot: »Des Prox. Grecques« p. 71 sqq.; Busolt § 55 p. 51.

[2]) cf. Lüders l. l. p. 66 sq.; Foucart: »de collegiis« cap. V p. 37 sqq. — Ceterum id rectum est, quod Foucart p. 40 dicit: »Etsi ad populum Atheniensem de Attico tantum collegio mittuntur Amphictionum decreta, certum est tamen ea non propria Atticorum artificum, sed universorum communia fuisse«.

[3]) cf. Foucart l. l. p. 44.

[4]) De verbo συλᾶν cf. Kirchhoff: Philol. XIII p. 3 sqq.; Gilbert II 382.

[5]) cf. e. c. Isocr. II 36; cf. Foucart l. l. p. 45.

[6]) De his verbis cf. Meier: »de prox.« p. 18 sq.; Westermann: »de publ. Ath. hon.« p. 42; Tissot l. l. p. 71 sq.; Foucart p. 43; Gilbert II 387; Busolt § 55 p. 51.

[7]) cf. Meier: »de prox.« p. 19.

pace traheret neve res eius raperet.[1]) Quae cum ita se habeant, ἀσφάλεια et ἀσυλία artificibus idem securitatis privilegium concedunt, quod iis ἀδείᾳ datum esse Demosthenes[2]) dicit, et verba illa idem paene significant in iure gentium, quod ἄδεια in iure Attico.

Iam vero oritur quaestio, quod trium verborum discrimen sit. Atque ἀσυλία quidem proprie ad ius sacrum pertinet, ἄδεια autem ad ius publicum, ἀσφαλείας denique notio latissime patet: securitas hac voce omnino opponitur periculo,[3]) et significat vocabulum eam, quam leges[4]) tuentur, securitatem, ita quidem, ut et cives, nisi contra leges peccent, ea fruantur et peregrinis in pace omnes fere civitates, praesertim foederatae, sive tacita conventione sive sollemnibus populiscitis concedere soleant. Contra ἄδεια in iure publico Attico eius civis privilegium significat, cui, quamquam aut τὸ κύριον populi violaturus aut τὸ κοινόν sive rei publicae sive deorum aut res familiares civium illegitime deminuturus vel, ut omnia paucis complectar, quamquam illegitimi aliquid facturus est, qualibet de causa veniam vel impunitatem populus dat. Alia ac civium causa peregrinorum fuit.[5]) Peregrinis enim — exceptis solis caduceatoribus[6]) — per leges ne in pace quidem ulla securitas vitae aut rei familiaris data est.[7]) Itaque civitates Graecae iis, quos legitima ratione et bello et pace securitate frui volebant, privilegium ἀσφαλείας irrogare solebant.[8]) Quod quidem privilegium cum aliae Graecorum civitates tum Athenienses et singulis peregrinis et collegiis urbibusque exteris imper-

[1]) Cf. Foucart: »de collegiis« p. 43.

[2]) cf. Dem. V 6. 8.

[3]) cf. Xen. Hieron II 9. 10; Dem. XXIII 42; Isocr. III 56. VIII 21.

[4]) cf. e. c. Aesch. I 5: εὖ δ᾽ἴστε, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅτι τὰ (μὲν) τῶν δημοκρατουμένων σώματα καὶ τὴν πολιτείαν οἱ νόμοι σώζουσι.

[5]) cf. Hermann: »Gr. Alt.« I § 9.

[6]) cf. Heyse: »de legationibus Atticis« p. 5 sqq.

[7]) praesertim autem belli temporibus; cf. Busolt § 15 p. 14. § 54 p. 50. Ne legati quidem sacrosancti fuerunt; cf. Heyse l. l. p. 8; cf. etiam Kirchhoff: Philol. XIII 4. — De »ξενηλασίᾳ« Lacedaemoniorum in ipsa pace facta cf. Büchsenschütz: »Bes. u. Erw.« p. 539; Schenkl l. l. II p. 162.

[8]) cf. argum. II ad Dem. XXIII p. 620; Dem. or. XXIII passim, e. c. § 103 (v. ad hanc rem Monceaux l. l. p. 94). Hoc Demosthenis loco (XXIII 103) iustum ac proprium vocabulum (ἀσφάλεια) adhibitum est; aliis nonnullis eiusdem orationis locis non ἀσφάλεια, sed ἄδεια dicitur, translata scilicet notione, ut opinor; cf. e. c. Dem. XXIII 128. 133.

tiebant; ἄδεια vero ψήφισμα ἐπ' ἀνδρί est, h. e. populiscitum singulis irrogatum, sive de iuris publici Attici sive de iuris gentium instituto agitur. Namque etiam, ut supra demonstravi (p. 101 sqq.), peregrinis ἀδείας privilegium videtur tributum esse, si cui populus securitatem itineris faciendi vel fidem publicam concedere volebat; sed num vox ἀδείας generaliter privilegium securitatis peregrinis concessae vel idem quod ἀσφαλείας privilegium significarit, pro certo dici non potest. Ac scriptores quidem discrimen horum verborum non semper observaverunt, sed saepissime ea confuderunt;[1]) at tituli supra allati semper privilegium securitatis artificibus concessae voce ἀσφαλείας, non ἀδείας, significant. Qui tituli etiamsi posteriorum temporum sunt,[2]) quibus instituta publica magis magisque res inanes fiebant et iuris publici ac iuris gentium instituta significationesque inter se confundebantur, tamen iustae formulae, id quod scripturae lapidariae est proprium, in iis usque ad ultima Graecitatis tempora reservari solebant. Itaque incertum est, num histrionum illud securitatis privilegium vocabulo ἀδείας Athenis significatum sit.[3]) Sed haec hactenus.

Dedi equidem operam, ut omnia ἀδείας genera recenserem, quae aut a scriptoribus veteribus commemorantur aut coniectura colligi possunt. Licet alia praetermiserim, alia falso adiecerim; tamen id nunc certo demonstratum esse puto, quod Platner iam obscure dixit [„Proc. u. Kl. bei den Att." I 445]: ἄδειαν multo crebrius a populo Atheniensium petendam fuisse vel multo latius patuisse in iure Attico, quam homines doctos olim credidisse.[4])

In Attici sane iuris scientia pertractanda difficile est certas artes construere, non solum quod memoria tam manca et lacunosa est, sed etiam quod ius et civile et publicum ex singulis legibus coniunctum et

[1]) De improprio ἀδείας vocabuli usu cf. e. c. Dem. XXIII 159. 192. VIII 64; [Dem.] X 66; Isocr. XIV 24; cf. etiam Thuc. VIII 91,3. Ἀσφάλεια autem loco ἀδείας legitur apud Xenophontem Mem. II 1,15. H. Gr. V 4,11; apud Demosthenem XIX 164, quibus locis haec vox liberam commeandi discedendive potestatem vel fidem publicam significat.

[2]) cf. Foucart: »de collegiis« p. 37.

[3]) Fortasse enim Demosthenes [V 6] et scholiasta ad Dem. orat. XIX p. 335 vocabulo ἀδείας notione impropria usi sunt.

[4]) cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 3, qui haec dicit: »Probabile videtur etiam alias leges huiusmodi fuisse nobis ignotas«.

quasi conglutinatum saepeque inconstanter exstructum videtur;[1]) denique quod instituta publica difficillime a fundamentis religionum et rerum ad ius sacrum pertinentium secernenda sunt. Quod cum alia docent tum ἀδείας institutum. Id enim ab ἱκετηρίας caerimonia profectum paulatim ex singulis legibus in unum confusum et dissolutae democratiae temporibus magis magisque amplificatum est, quod tamen nunquam ab Atheniensibus perpoliri ac confici potuit. Omnino consideranti mihi, quid Athenienses in hac re consecuti sint vel, quid ἀδείας instituto ad excolendum cultum atque humanitatem contulerint, per ambages tantum id videntur effecisse, quod Romani primi legitime et iuste excogitaverunt et creaverunt atque in artem redegerunt. Nam populus Atheniensium ἀδείας datione nihil aliud nisi legibus solvit vel ab accusatione tutatus est homines aliquos, populus Romanus autem privilegio irrogando[2]) verum gratiae dandae ius exercuit, quod inter summa beneficia est, quae in genus humanum unquam delata sunt.

Quamquam autem multa Atheniensium instituta et civilia et publica ex singulis legibus orta in unum coaluerunt, tamen, cum pluribus legibus ad eandem rem spectantibus generales rationes subesse necesse sit, certae vel probabiles artes exstrui possunt. Ceterum rationis, quam proposuimus, satis certa exempla haec sunt: ἄδεια et capite deminutos et debitores aerarii restituturis acquirenda, qua iis propterea opus fuit, quod rogationibus summa populi potestas (τὸ κύριον) violata et aerarium publicum (τὸ κοινόν) illegitime deminutum est.

Restat, ut omnia, quae singillatim exposui, paucis complectar.

Ἄδειαν is a populo petebat, qui rogationem laturus (aut aliquid facturus) erat, quae aut summam potestatem populi aut integritatem aerarii publici — sive pecuniis cum damno rei publicae deminuendis sive cum damno deorum et (quinto quidem a. Chr. n. saeculo) civium illegitime augendis — violat et rei publicae, alias

[1]) Cf. Meieri epistulam ad Eduardum Gerhard: »de bon. damnat.« praef.; Platner: »Beitr. z. Kenntn. d. att. Rechts« (Marburg 1820) p. XI sq. XXI; Perrot: »Essai sur le droit public d' Athènes« Introd. p. XLIV sq.

[2]) Liberae sane rei publicae temporibus ne Romae quidem privilegia quaedam irrogare licuit ex duodecim tabularum legibus; cf. Petit: »Leges Atticae« II 1,8 p. 189 sq.; Paulyi: »Real-Encycl.« VI 1 p. 55 sq.; v. infra in libro alt. cap. I.

integrae et deorum ipsorum instar inviolabili, detrimentum aliquod affert in favorem singulorum hominum, non omnium civium. Quo decreto populus universus gratiam facit, quod privilegium Athenis tantum a sex milibus civium occultis suffragiis irrogari potuit. Sed ea sola privilegia nisi cum populi venia deferri leges vetabant, quae neque hominibus optime de re publica meritis tanquam praemia tribuebantur, neque ipsa ex ψηφισμάτων ἐπ' ἀνδρί ratione (i. e. per non minus sex milia civium) dabantur.[1]) Atque specie quidem populus id privilegium rogare patitur religione commotus: verecundia (αἰδοῖ) in supplicem (ἱκέτην) utitur, sicut Ζεὺς ἱκέσιος (sive ἱκετήσιος)[2]) ipse, vel alii dei,[3]) in quorum tutelam supplex se commendavit. Nam ἀδείας institutum ex iure sacro ortum semper cum sacris caerimoniis coniunctum mansit, ut in libro altero demonstrabitur. Re vera autem populus ἄδειαν dat sui commodi causa. Salutem enim rei publicae plurimi aestimans populus semper ea decreta facit, ex quibus maximam utilitatem capturum se esse sperat. Itaque etiam damnum aliquod perfert, si ea re rationibus suis se consulere putat. At vero populus in his rebus seque salutemque suam in aleam quandam dat, itaque ea subeunda sit necne, ἄδειαν dando aut denegando disceptat.

[1]) Velut in lege de donanda civitate lata cautum est, ne quis nisi ob beneficia in populum Atheniensium collata civis fieret; cf. [Dem.] LIX 89. In privilegia autem praemii causa irroganda venia rogatori non opus erat. Accedit denique, quod civitatis datio ipsa ψήφισμα ἐπ' ἀνδρί est.

[2]) cf. Preller: »Griech. Mythol.« I[4] p. 145,2. 151,2.

[3]) Sicut Ζεὺς ἱκέσιος ita Ζεὺς ἐφέστιος antiquitus supplices tuetur; cf. Preller l. l. I p. 146 sq. 151,2; nec secus ipsa Ἑστία; cf. e. c. Plut. de mul. virt. XVII. [De diis, qui ἐφέστιοι vocantur, cf. Preller l. l. I p. 424,2.] Huc pertinet locus corruptus, qui apud Hesychium legitur s. v. ἀδίας, quod verbum ille quidem vocibus: ἐσχάρη vel βωμός explicat. Guilelmum Studemund secutus, cuius coniectura me uti benignissime voluit vir doctissimus, locum sic restituo: ἀδ<ε>ίας ἐσχάρη· βωμός. In curiam, ubi κοινὴ ἑστία erat, etiam posterioribus temporibus supplices venerunt praesidium a populo petituri [cf. Preller l. l. I p. 424,3; v. infra in libro alt. cap. III. Alia supplicum dea Diana Munichia est, quae imprimis a scriptoribus, qui de indiciis deferendis agunt, commemoratur [de hac v. infra in libro alt. cap. IV]; et fortasse etiam Ἕλεος huc pertinet, cuius ara in foro fuit [cf. Preller l. l. II[3] p. 281,1]. Utrum autem lex an mos fuerit, ut alia supplicum genera ad alios deos confugerent, pro certo dici non potest.

Liber alter.

DE ΑΔΕΙΑΣ DATIONE.

Cap. I. Ἄδεια nisi maximo in comitiatu irrogari non potuit.

Ἄδεια ex iuris Romani significatione privilegium[1]) est, in Atticorum autem iure publico populiscitum privato irro-

[1]) De privilegiis irrogandis apud oratores Atticos compluribus locis extat lex, quam Andocides de myst. 87 his tradidit: Μηδὲ ἐπ' ἀνδρὶ νόμον ἐξεῖναι θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις, ἐὰν μὴ ἑξακισχιλίοις δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις, extremo autem enuntiato: ἐὰν μὴ.... ψηφιζομένοις omisso haec lex apud Demosthenem [XXIII 86 et ibid. 218] extat, quae oratoris ipsius verbis [§ 86] comprobatur. Eandem legem deinde Ps.-Demosthenes [XLVI 12] memorat; denique Demosthenes [XXIV 59], quo loco in plerisque codicum ea verba, quibus continetur exceptio illa, quae de privilegiis a sex milibus civium irrogandis agit, leguntur: Μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις τιθῇ, <ἐὰν μὴ (Schoemann)> ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις [cf. Dem. XXIV 45; [Dem.] LIX 89; Philoch. fr. 79 b; Valeton: Mnemos. nov. ser. XV p. 7 et adn. 1 sq.]. Atque diversam eiusdem legis conceptionem Boeckh [»Staatsh. d. Ath.« I[3] 294] recte ille quidem ita explicat, ut altera [cf. Andoc. l. l.] ante Euclidem, altera [cf. e. c. Dem. XXIV 59] Euclide archonte facta sit. Westermann autem, qui [cf. »Unters. üb. d. in d. att. Redner eingel. Urk.« p. 3—60 in Abhdl. d. k. sächs. Ges. d. Wiss. (philol.-hist. Cl.) Lips. 1850] litis instrumenta, quae apud Demosthenem in oratione adversus Timocratem habita extant, omnino a falsario ficta esse contendit, exceptionem illam non genuinam esse dixit; legis igitur verba haec fere fuisse, quae in Ps.-Demosthenis oratione [XLVI 12] legerentur: (ἀλλὰ μὴν οὔτε νόμοι ἀπαγορεύουσι) μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι, ἂν μὴ τὸν αὐτὸν ἐφ' ἅπασιν Ἀθηναίοις. Quam sententiam secuti cum alii homines docti [velut Fränkel: »Die att. Geschworenenger.« p. 92 adn. 1 s. f.] legem illam spuriam iudicaverunt tum Valeton, qui (Mnemos. n. s. XV p. 8) privilegia vel leges de privis hominibus ex iure Attico rogare non licuisse contendit. Multi sane apud Demosthenem loci eam legem exceptionemque legi additam valuisse videntur demonstrare; cf. Dem. XXIV

gatum,[1]) quod ψήφισμα ἐπ' ἀνδρί[2]) vocatur. Quamquam enim ex iure Attico non licuisse accepimus cum privatorum aut gratia aut damno populiscita quaedam priva irrogare, — qua lege omnium civium ἰσονομία significatur, quam in democratiae fundamentis gravissimam putant, — tamen id legislator[3]) excepit, si re in comitiis populo proposita minimum sex milia civium[4]) occultis suffragiis gratiam[5]) vel aliquod populiscitum privum irrogarent; ut aliis sententiam aperiam: populiscita quaedam priva, de quibus paulo infra agemus, uti a concilio populi maximo in comitiatu sciscerentur, lex fuit. De his enim valent legis, quae apud Demosthenem [XXIV 45] extat, verba: ...ἐὰν μὴ ψηφισαμένων Ἀθηναίων (τὴν ἄδειαν πρῶτον) μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων, οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις, quae ab ipso oratore comprobata [§ 48] sollemnis formula, qua modus populiscita priva deferendi significatur, fuisse videntur. Nequaquam igitur sollemnia illa psephismata, de quibus agitur, nisi maximo in comitiatu sancire populo licuit, quae comitia ab ordinariis differunt et occultis suffragiis et quod minimum sex milia civium vel potius sex milia civium et unum[6]) inire suffragium necesse erat. Qui numerus quomodo intellegendus sit, etiam hodie in controversia

59. 48; orationes adv. Aristocr. et adv. Timocr. passim; [Dem.] LIX 89 [de his cf. Platner: »Proc. u. Kl.« II 41; Valeton: Mnemos. n. s. XVp. 21 sq.; v. etiam supra p. 39]; cum idem Demosthenes passim (cf. XXIII 86; [Dem.] XLVI 12) ita loquatur, quasi privilegiis nullus omnino locus in re publica Attica relictus fuerit; id quod Schoemann quidem: »de com. Ath.« p. 275 adn. 54 his explicat: »(illis locis, quibus accuratior rei explicatio inutilis foret,) abuteretur, puto, si quis... illam exceptionem: ἐὰν μὴ.... κρύβδην ψηφιζομένοις spuriam pronuntiaret«. Sed res non satis certa est. — De privilegiis cf. etiam Dem. XXIV 18. 188; Petit: »Leges Atticae« II 1, 8 p. 188 sq.; Schoemann: »de com. Ath.« p. 273 sqq.; Perrot: »le droit public« p. 42.

[1]) Ut vocem nostra aetate usitatam adhibeam: »Ausnahme-Gesetz« (i. e. lex, quae non ad omnes cives promiscue, sed ad singulos tantum pertinet).

[2]) cf. Dem. XXIII 218. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 8 ἄδειαν a rogationibus de privilegiis (νόμοις ἐπ' ἀνδρί) distinguit; illa enim in ψηφισμάτων ἐπ' ἀνδρί numero est.

[3]) de hoc cf. Petit l. l.

[4]) Nuperrime hanc rem copiose exposuit Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 1 sqq.

[5]) v. supra in libro priore p. 6.

[6]) cf. Poll. VIII 48; cf. etiam Dem. XXIV 9 et schol. ad. h. l.; Fränkel: »Die att. Geschworenenger.« p. 92 adn. 1.

versatur.[1]) Atque Boeckh quidem per non minus sex milia civium consentientium populiscita priva decernenda fuisse sibi visus est probasse, cuius sententiae plerique hominum doctorum adstipulati sunt. Fränkel autem [„Die att. Geschworenenger.“ p. 92 adn. 1] demonstrare conatus est non amplius sex milia civium et unum necesse fuisse suffragium ferre, non consentire, id quod Boeckh voluit, quem ait Fränkel sententiam pluribus scriptorum locis, qui aliter explicandi sint, et duobus litis instrumentis a Demosthene in oratione XXIV (§ 45 et 59) laudatis, quae spuria putanda sint,[2]) confirmare. Boeckhio enim argumento fuerunt haec legum verba: οἷς ἂν δόξῃ, quae primo quidem aspectu vim habere videntur: (sex milia civium) consentientium vel quibus id placuerit. At considera, quaeso, omnia psephismata ita incipere: ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, quae verba non significant omnes, qui in contione adessent, psephisma probasse, sed eorum maiorem partem.[3]) Nam quod maiori parti placuit, ratum erat.[4]) Denique quod attinet ad veterum scriptorum testimonia,[5]) quae maxime Boeckhii sententiam comprobare videntur, Fränkel iustis causis ea refutavit. Nihilo tamen secius Valeton [Mnemos. n. s. XV (1887) p. 32—40 et XVI (1888) p. 7 sqq.], qui nuperrime senum milium suffragia in controversiam vocavit, aliter ac Fränkel sentit contenditque [l. l. XVI p. 7] „legem de ostracismo postulavisse, ut sena milia minimum suffragiorum in unum hominem

[1]) Cf. Petit l. l. p. 188 sq.; Schoemann: »de com. Ath.« p. 245 sq.; Boeckh: »Staatsh. d. Ath.« I[3] 293 sq.; Lugebil: Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. IV p. 144 sqq.; Perrot: »le droit publ.« p. 43 et adn. 2; Fränkel l. l. p. 92; eiusdem adn. 430 ad Boeckhii »Staatsh. d. Ath.« I[3] 295; Gilbert: »Staatsalt.« I p. 293,1; imprimis cf. Mnemos. n. s. XV p. 33 sq.

[2]) Contra leges ad nomothesiam Atticam pertinentes, quae apud Demosthenem in orat. XXIV extant, genuinas esse R. Schoell: Sitz.-Ber. d. k. Bayr. Acad. d. Wiss. 1886 p. 83 sqq. probavit; cf. ad Dem. XXIV 45 Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 3. 35 sqq., qui exceptionem, i. e. verba: ἐὰν μὴ — ἑξακισχιλίων, genuinam, haec autem verba: οἷς ἂν δόξῃ a grammatico quodam (recte quidem!) addita esse putat; cf. ibid. p. 40.

[3]) Idem dicendum est de verbo ψηφίζεσθαι, de quo paulo infra agetur.

[4]) cf. Aristot. Pol. IV 8 p. 1294 a.

[5]) cf. Philoch. fr. 79 b; Poll. VIII 20; Schol. ad Arist. Equ. vs. 855 (ad quos locos cf. Fränkel l. l.). Ex Ps.-Demosthene LIX 89, qui de civitate donanda haec dicit: ἔπειτ' ἐπειδὰν πεισθῇ ὁ δῆμος καὶ δῷ τὴν δωρεάν (i. e. πολιτείαν), οὐκ ἐᾷ κυρίαν γενέσθαι τὴν ποίησιν, ἐὰν μὴ τῇ ψήφῳ εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν ὑπερεξακισχίλιοι Ἀθηναίων ψηφίσωνται κρύβδην ψηφιζόμενοι, Fränkel nihil aliud collegit, quam id: »dass 6001 Stimmen abgegeben sein mussten«.

conspirarent, si quidem futurum esset, ut aliquis relegaretur". Quod primo quidem, ut ait ille, „Philochorus ....dilucide affirmavit.... Deinde omnem dubitationem tollit similitudo aliarum legum, quae sunt de suffragiis senum milium". Verum id ipsum, quod Valeton de similitudine aliarum legum dicit, eius sententiae repugnare videtur. Nam verbum ψηφίζεσθαι, quod in his legibus legitur, nihil aliud significat nisi „suffragium ferre".[1] Argumento est Ps.-Demosthenis locus [LIX 89], quo orator dicit civitatis donationem (τὴν ποίησιν) ratam esse non potuisse: ἐὰν μὴ.... ὑπερεξακισχίλιοι Ἀθηναίων ψηφίσωνται κτλ., Latine: „nisi plus sex milia Atheniensium decrevissent" vel accuratius: „suffragium tulissent". Nam id quidem nemo contendit legem postulasse, ut plus sex milia civium consentirent.[2] Quodsi nulla veterum testimonia ab ea, quam Fränkel probavit, sententia abhorrent, non est, quod tam magnum suffragiorum numerum consentire necesse fuisse credamus. Nam etiamsi eo tempore, quo suffragium senum milium inventum esse Valeton putat, circa annum 509, „totam multitudinem civium, qui tum ius suffragii haberent, numero 12000 aestimatam fuisse ab inventore legis" concedendum esset,[3] tamen non verisimile videtur dimidiam totius populi partem in populiscito privo irrogando consentire necesse fuisse; sed satis habuit legislator, si tam ingentem civium numerum[4] i. e. sex milia minimum comitiis interesse iussit. Neque praescripsit ob eandem causam legislator, „ut relegaretur is, quem plurimae sententiae notassent, (modo tria milia amplius suffragiorum in eum hominem conspirarent")[5] sed, ut senum milium suffragiis populiscita priva rata fierent, lege sanxit. E contrario sapientem legislatorem, qui fore, ut cives augerentur, provideret, non certum numerum, sed potius dimidiam civium, qui tum essent, partem praescripturum fuisse in promptu est conicere. Accedit deinde, quod sex milia civium sollemnis in iure

[1]) Deinde verbum hoc significat: »ex maioris partis sententia decernere«.

[2]) v. supra p. 115 adn. 5.

[3]) cf. Beloch: »Die Bevölk. d. griech.-röm. Welt«, qui (p. 99) aetate belli Persarum plus quinque et viginti milia civium Athenis fuisse probat; cf. etiam »Wien. Stud.« II 168 sq.; V 54.

[4]) cf. Fränkel l. l. p. 92 adn. 1 s. f.

[5]) Verba exscripta leguntur apud Valetonium: Mnemos. n. s. XVI p. 10. 8.

publico Attico numerus fuisse videntur, quibus totius populi loco summam potestatem exercere licuit. At fieri potuit, ut cives e. c. in ostracismo habendo de cive, qui relegandus esset, inter se dissentirent aliorumque alii sententiis dicerentur, ita quidem, ut parva suffragiorum pars ad civis alicuius relegationem sufficeret. Verum id a consilio Clisthenis abhorruit et posterioribus demum temporibus, quibus singulae populi partes ostracismo abutebantur,[1] haud scio an raro acciderit; sicut autem legislator non impedivit, quin natura ostracismi mutaretur,[2] ita fieri potuit, ut ratione ostracismi habendi paulatim male ac perverse uterentur Athenienses. Fac autem, quaeso, sex milia civium consentientium opus fuisse ad civem relegandum; quod si verum esset, sententiis in varios cives distractis tot homines in suffragium ire necesse fuisse statuendum esset, quot num saepius in comitiis adfuerint, dubitari potest. Atqui non raro ostracismo cives expulsos esse Athenis scriptores tradunt. Quare verum Clisthenis consilium fuit id, ut is civis — agebatur autem de uno, ubi plurimum de duobus demagogis — relegaretur, quem maiori parti senum milium relegari placeret, sin aliter, suffragii latio irrita esset. Quod ex iis senum milium suffragiis patet, quae ad unum hominem spectabant, et ex civitatis videlicet donatione et ex impunitatis datione. Deinde id quoque, quod Valeton opposuit, totam rem absurdam fuisse, si qua pars a suffragio ferendo se abstinuisset, nullius momenti videtur esse, cum id et lege interdictum esse neque usu venisse equidem existimem. Quae cum ita sint, sequitur, ut verba illa, de quibus modo disserui, significent: „nisi maiori parti sex milium civium occulta suffragia ferentium id placuerit".[3])

Sed ad rem ipsam transeamus.

In numero ψηφισμάτων ἐπ' ἀνδρί ex iure Attico haec sunt: civitas peregrinis donanda (πολιτεία),[4]) relegatio per ostracismum

[1]) V. supra p. 13.

[2]) v. ibid.

[3]) Eandem sententiam probat Busolt: »Gr. Alt.« § 135 p. 121. § 190 p. 172.

[4]) Civitatis donatio in psephismatum privorum numero est, cum ad eam haec legis verba pertineant: ἐὰν μὴ ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων κτλ. (cf. Mnemos. n. s. XV p. 8). Illa enim ut ipsa ἄδεια per senum milium suffragia rata est facta (cf. Mnemos. l. l. p. 14 adn. 2).

decernenda vel remotio (ὀστρακισμός vel potius ὀστρακοφορία), venia rogandi danda (ἄδεια).[1]) Quod ex horum populiscitorum notionibus et ex ratione, qua data sunt, patet. Nam plerumque quidem scitum eius populi partis, quae in comitiis forte aderat, quasi voluntas totius populi esset, ratum erat, sed ψήφισμα ἐπ' ἀνδρί a toto populo irrogandum fuisse eo apparet, quod nec cum gratia nec cum damno hominum privatorum populiscita facere licuit.[2]) Quae lex a nullo nisi ab universo populo violari potuit. Cum autem fieri non posset, ut unquam totus populus comitiis interesset, ea fictione usi sunt Athenienses, ut sex milia civium totius populi vice fungerentur.[3]) Qui numerus in universum id spectabat, ut quam plurimi cives ad suffragia ferenda commoverentur.[4]) Democratiae enim propria opinio est ex maioris multitudinis sententia optimum quidque et utilissimum potius colligi posse quam ex minoris. Itaque Aristoteles [Pol. VI 2 p. 1317 b] dicit: ὅ τι ἂν δόξῃ τοῖς πλείοσι, τοῦτ' εἶναι καὶ τέλος καὶ τοῦτ' εἶναι τὸ δίκαιον, et alio loco [V 9 p. 1310 a]: δύο γάρ ἐστιν οἷς ἡ δημοκρατία δοκεῖ ὡρίσθαι, τῷ τὸ πλεῖον εἶναι κύριον καὶ τῇ ἐλευθερίᾳ.[5]) Populus autem Atheniensium sex milium civium decretum utilissimum esse et universi populi voluntatem significare[1]) finxit. Itaque ut in civitate donanda, in relegatione decernenda, in venia danda scitum sex milium civium haud minus ratum esset, lex fuit. Sed qua de causa is quidem numerus legitimus esset, disceptari adhuc non potuit, quare nuperrime novam huius numeri explicandi viam Valeton[2]) ingressus est. Contendit enim ille in ostracismo habendo sex milia civium consentientium suffragium inire necesse fuisse, quem numerum ipsum dimidium civium adultorum fuisse, qui, quo tempore suffragium senum milium institutum sit, Athenis essent. Hoc igitur modo suffragii lationis re vera omnes cives fuisse participes Valeton demonstrat; nam illo tempore, quo inventa sit haec lex, si quis non iniret suffragium, lege ei suffragium attributum esse antiquans. Quam sententiam probare non possum, quia ad populiscitum privum irrogandum sex milia civium iubentium opus fuisse nego. Omnino vero id nobis tenendum videtur, quod supra (p. 116 sq.) diximus, illi numero praecipuam ac sollemnem notionem fuisse in iure publico Attico. Nam si legislator nihil aliud praescribere voluisset, quam ut dimidium civium suffragii lationi interesset, certum numerum non imperasset in lege.[3]) Utcunque autem res se habet, summa illa populiscita priva nisi maximo in comitiatu irrogari non potuisse constat; i. e. per senum milium decreta peregrini optime de re publica meriti civitate donati et ii, quos populus sibi periculosos iudicavit, in decem annos e civitate eiecti sunt iisque venia data est, quibus illegitimas ferre liceret rogationes eiusmodi, ut iis aut summa populi potestas violaretur aut aeraria — sive publicum sive sacrum — illegitime deminuerentur.[4])

[1]) Ἄδειαν rogandi inter populiscita priva esse Valeton recte demonstravit; v. supra p. 114 adn. 2. De aliis ἀδείας generibus v. infra p. 124 adn. 8. — Εἰσαγγελίαν ad ipsum populum delatam, in qua populus item (i. e. κρύβδην) suffragia tulit [cf. Lyc. adv. Leocr. 146. 149; Xen. H. Gr. I 7,9; cf. etiam Szántó: »Wien. Stud.« III p. 24 sq.] huc pertinere Busolt § 190 p. 172,5. § 208 p. 185,5 contendit; cf. de hac re etiam Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 42 sqq.

[2]) v. supra p. 114.

[3]) cf. e. c. Dem. XXIV 46. 48; Fränkel: »Die att. Geschworenenger.« p. 14 sqq.; Gilbert I 293; Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 40 sqq.

[4]) Erat autem numerus eorum civium, qui comitiis interesse solebant, plerumque sex milibus minor. Thucydide quidem auctore [VIII 72] civium in comitiis numerus quinque milium multitudinem non facile excedere solebat; cf. Perrot: »le droit public« p. 6. 19 sq.; Fränkel l. l. p. 92 adn. 1 s. f.; Busolt § 188 p. 169.

[5]) cf. etiam ibid. VI 3 p. 1318 a; Oncken: »Athen u. Hellas« I p. 198; eundem: »Staatsl.« II p. 164 sq.; 173. Ceterum in rebus diiudicandis non semper maiorem numerum, quid verum sit, perspicere praeclare Plato Lach. p. 184 e (cap. IX) exponit. — Contra oligarchiae propria opinio est ex paucorum — nimirum optimorum — sententia optimum quidque colligi posse; cf. Meier: »de bon. damn.« (p. 185) not. 81.

[1]) Cf. id, quod de hac re exposuit Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 41 sqq.

[2]) cf. Mnemos. n. s. XVI p. 10 sq.

[3]) v. supra p. 116.

[4]) Quae enim de impunitate ἄφεσιν (sc. τοῦ ὀφλήματος) rogaturis concedenda vel de ratione ἀδείας remissionem debitorum ac restitutionem rogaturis dandae diserte tradita sunt, eadem ad omnia veniae rogandi genera pertinere mihi videntur. Utrum autem et ἄδεια acquirenda μηνυταῖς et fides publica maximo in comitiatu irrogatae sint necne, pro certo dici non potest; cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 2 sq., qui impunitatem indicaturis delicta per simplex populiscitum irrogatam esse contendit. — Ceterum suffragium senum milium de impunitate e. c. ei acquirenda, qui beneficium debiti publici remissionis rogaturus erat, tempore antiquius esse quam senum milium suffragium de civitatis datione confirmanda Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 3

Sed nunc iam anquiramus, quae huius sollemnitatis notio fuerit in iure Attico.

Graecos rem publicam divinum institutum existimasse supra (p. 3) demonstratum est.[1]) Itemque rei publicae constitutionem et in rebus publicis popularibus summam populi potestatem numina divina sacrosanctasque habitas esse pro certo dici potest. Quam ob causam Aristophanes quidem poeta, qui omnia atque ipsos deos deridet et in ludibrium vertit[2]) audacterque omnia mala rei publicae instituta et τὸν δῆμον ipsum perstringit et obiurgat, nec τὴν πολιτείαν nec τὸ κύριον τῆς πολιτείας eludere audet; at vero Socrates, quod cum alias res perniciosas tum praecipue „καταφρονεῖν τῆς καθεστώσης πολιτείας“ adulescentes docuisset,[3]) morte multatus est. Illius autem numinis divini, h. e. rei publicae, sacerdos in democratia populi contio est imprimis ea, cui sex milia civium intersunt. Cuius contionis est et summam potestatem exercere et videre, ne quid detrimenti capiant aut rei publicae aeraria aut summa populi potestas, quae integra esse et sacrosancta aliorum numinum divinorum instar fas est.[4]) Itaque ne quis e. c. a civitate remissionem debiti vel restitutionem in pristinum statum petat, cautum est legibus, quae hostiis dis publicis immolatis sanctae erant. Quare antequam debitor aerarii[5]) — ut in hoc uno exemplo acquiescam — remissionem rogaret, cum ramis oleae alba lana revinctis supplex considere in ara aliqua[6]) solebat, ut ei a toto populo, aut qui eius vice fungebantur, venia rogationis ferendae

putat propterea, quod eius veniae exemplum extet in populiscito Patroclidis (cf. Andoc. de myst. 77) anno 405 facto; sed in hoc psephismate nihil dicitur de ἀδείας dandae ratione, id quod ipse Valeton adnotat, quamquam id mihi quoque constare videtur, hanc ἄδειαν illo iam tempore a sex milibus civium decretam esse; de hac re v. infra p. 124 adn. 8 s. f.

[1]) cf. etiam Schoemann: »Gr. Alt.« I 45 sq. 95; Busolt § 1 p. 4. De hac re uberius egit Oncken: »Staatsl. d. Arist.« II § 1.

[2]) cf. Schoemann: »Gr. Alt.« II 144 sq.; Kock: N. Jahrb. f. klass. Philol. Suppl. III p. 95.

[3]) cf. Xen. Mem. I 2, 9.

[4]) v. supra p. 3.

[5]) v. supra p. 24 sq.

[6]) velut in aris Matris Deorum aut Misericordiae, quae in foro erant, aut in ara quadam Munichia [sic (non Munychia) nomen scribendum est, ut demonstrant tituli; cf. e. c. CJA. II 467,21. 468,13. 470,16. 471,29]; de hac re infra cap. IV copiosius agemus.

daretur.[1]) Quodsi debitor aerarii supplex factus tutela deorum utitur, inviolatus et sacrosanctus est[2]) atque impune verba faciendi facultatem habet, ut venia sibi detur remissionis rogandae.[3]) Tum sacris rite factis in maximo comitiatu populus id, quod iustum et rei publicae utile est, decernit vel, ut aliis verbis utar, sex milibus civium in suffragium missis diiudicata res est, utrum populus ἄδειαν concedat an deneget. Per hanc igitur sollemnem contionem populus, vel per sacerdotem maximum divinum rei publicae numen, voluntatem suam dicit et nomine ἀδείας supplicibus gratiam dat. Ex quibus patet in ἀδείᾳ duplicem notionem inesse: alteram ad ius publicum, alteram ad ius divinum pertinentem. Omnino in hac re, quae quidem inter iuris publici instituta est, cuius tamen initia a rebus sacris profecta sunt, religiones, propterea quod in institutis Atticis a sollemnitatibus publicis caerimoniae sacrae non satis constanter distinctae sunt,[4]) maximi momenti esse supra (p. 7) demonstravi.

Quoniam autem de ἀδείας notione, quae ad ius publicum pertinet, copiosissime disserui, restat, ut de ea, quae ad res sacras spectat, pauca dicam. Ac primum huius rei similitudines quaerentibus nobis facillime ex caerimoniis religionum praesto sunt.

Theatrum in Graecia ex cultu Dionysi ortum est, cuius diebus festis, Lenaeis et imprimis Magnis Dionysiis, ludi scenici in fano Dionysi Liberatoris (Διονύσου Ἐλευθερέως)[5]) vel in agro sacro templum contingente edebantur[6]) dei simulacro praesente, ante quod sacerdos maximus locum tenet.[7]) Qui ludi cum magis magisque efflorescerent et frequentarentur, templi sedes spec-

[1]) Cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 333.

[2]) cf. Platner: »Proc. u. Kl.« II 140.

[3]) Quarum rerum tenorem infra cap. II exponam.

[4]) cf. de hac re Platner: »Proc. u. Kl.« II 138.

[5]) in Lenaeo sito [ubi duae Bacchi aedes (Theatrum et Odeum) et duo simulacra dei erant; cf. Paus. I 20,3]; cf. Hesych. s. v. ἐπὶ Ληναίῳ ἀγών; Preller: »Gr. Mythol.« I³ 553,3; Bergk: »Gr. Literaturgesch.« III 33 adn. 101. — Magnis Dionysiis spectacula antiquissimis temporibus in foro fieri solebant; cf. Bergk l. l. adn. 102; aliter sentit Wachsmuth: »Die Stadt Athen im Altertum« I (Lips. 1874) p. 510 adn. 1.

[6]) cf. Wachsmuth l. l. I p. 510 sq.

[7]) cf. A. Mommsen: »Heortologie« (Lips. 1864) p. 392 adn.; Bergk l. l. III 46 adn. 151.

tantibus non iam suffecerunt.[1]) Itaque c. annum 460 theatrum[2]) e lapide exstrui coeptum per Lycurgum oratorem perfectum est,[3]) in quo inde ab illo tempore Magnis Dionysiis[4]) spectacula fiebant. Sed id nefas erat deique praeceptum, quo sanctum est, ut ludi in templo ederentur, contemnebat populus. Quare Magnis Dionysiis ab ephebis[5]) vesperi collucentibus facibus simulacrum Dionysi ex templo in Lenaeo sito in theatrum portabatur et in orchestra collocabatur,[6]) qua in re sacerdos maximus munere quodam videtur functus esse.[7]) Cum autem duo simulacra[8]) dei fuisse traditum sit, utro in hanc rem usus sit populus, quaeras; sed id pro certo dici non potest.[9]) Ceterum id quidem nullius fere momenti est, gravioris autem, quaenam vis in caerimonia

[1]) Hanc theatri construendi causam fuisse arbitror Fickelschereri (»de theoricis Ath. pecun.« p. 3) exemplum secutus.

[2]) quod »τὸ Διονυσιακὸν θέατρον« nominari solet; cf. de hac re Bergk l. l. III 53 adn. 110.

[3]) cf. Wachsmuth l. l. I 5 sqq. et adn. 2.

[4]) Lenaeis, quibus peregrinos non interfuisse verisimile est [cf. Mommsen: »Heortol.« p. 342], ludi in Lenaeo videntur fuisse [cf. Mommsen l. l. p. 338, qui haec dicit: »Ort der Feier war das Lenaeon«]; cf. etiam Wachsmuth l. l. I 510,1.

[5]) cf. CJA. II 471 vs. 12 sq.

[6]) cf. Dio Chrysost. or. XXXI p. 386 (ed. Dindorf). Ibi simulacrum per dies festos collocatum mansit; cf. Bergk l. l. III 39 adn. 122.

[7]) cf. Mommsen l. l. p. 392; cf. etiam Bergk l. l. III p. 39.

[8]) Et vetus simulacrum (ξόανον ἀρχαῖον) Dionysi Liberatoris [cf. Paus. I 38,8] et splendidum simulacrum ab Alcamene factum [cf. Mommsen p. 353].

[9]) Mommsen [l. l. p. 392 (cf. p. 353)] quidem splendidum illud simulacrum in theatrum latum esse opinatur; nam, ut ipsius verbis utar: »Man wollte den Bündnern, den vielen Fremden überhaupt, imponieren, Alles sollte herrlich und glänzend sein. Das Cultusbild war aber gewiss nicht herrlich und glänzend«; sed vetus simulacrum in usu fuisse equidem puto. Nam cum vesperi illam pompam fuisse traditum sit, ea, quam Mommsen dicit, causa non probabilis videtur; accedit, quod pompa caerimonia sacra fuit, ad quam, mea quidem sententia, τὸ ἀρχαῖον ξόανον adhiberi fas fuit. [Vetustum igitur simulacrum pompa sollemni e Lenaeo in priscam aedem sacram iuxta academiam sitam latum et relatum est (cf. Paus. I 29,2; Hermann: »Gottesdienstl. Altert.²« § 59,7 sq.; Schoemann: »Gr. Alt.« II p. 442; Preller in Paulyi »Real-Encycl.« II p. 1063; Wachsmuth l. l. I 305,2; Preller: »Gr. Mythol.« I³ p. 556 et adn. 1)]. Sed etiamsi in hac caerimonia splendidum illud simulacrum in usu fuisset, nihil fere discriminis esset; nam, ut Mommsen (l. l. p. 392) recte dicit, illud simulacrum erat: »nur eine veredelte Copie des Cultusbildes«.

insit. Quam nihil aliud nisi lustrationem significare equidem opinor. Nam cum praesentia dei theatrum sacratum esset et sollemnibus libationibus ante commissos ludos factis[1]) deus placatus esset, antistes sacrorum hoc loco spectacula fieri posse fatus est.

Similis igitur causa contionis est, in qua cum populo agitur, utrum ἄδεια e. c. remissionem debitorum rogaturo concedatur an denegetur. Hanc enim rogationem illegitimam ferre non licet, sed a limine ea reicienda est. Quam ob causam debitor, qui idem capite deminutus h. e. impurus est, in comitiis supplicis nomine sub tutela deorum verba facit et veniam rogationis ferendae petit. Tum populus de ea re in maximo comitiatu in suffragium it et venia demum rogatori tributa delictum illud in rei publicae numen divinum commissum[2]) expiatum est, quo facto illi rogandi facultas fuit. Atque ipsi dei eadem re violati lustrationibus placati sunt.[3])

Cap. II. De contionibus, in quibus de ἀδείας datione actum est.[4])

Conciliorum populi duo sunt genera: alterum ordinariorum

[1]) Cf. Bergk l. l. III 39 adn. 123.

[2]) In ea, quam protuli, re rogator duplici modo in legibus peccat; nam primum quidem rogatio, quam ille laturus est, leges violat, deinde autem potestas rogationum ferendarum ab homine capite deminuto abiudicata est.

[3]) Idem de eis sollemnibus comitiis valet, in quibus civitatis donatio rata fit. Nam antiquarum civitatum fundamenta in gentilitatis vinculo posita erant, »quod gentium ac familiarum vinculum«, ut ait Schenkl: »Wien. Stud.« II p. 162 [cf. etiam ibid. V 52], »cum a diis ipsis institutum existimarent veteres Graeci, sanctum id habebant ita, ut nefas haberent vinculi illius integritatem ulla re imminui vel inquinari. Civium igitur iure is tantummodo frui poterat, qui legitime parentibus civibus ortus cuidam familiae esset adscriptus«. Nihilo tamen secius peregrini optime de re publica meriti civitate praemii causa populiscitis privis donati sunt. Verum id et deos et sacra rei publicae instituta legesque violabat. Quare lex fuit, ut civitatis decretum a toto confirmaretur populo, qui populiscito privo facto omnia gentilitatis iura ad novum civem detulit.

[4]) Ea, quae de his rebus expositurus sum, penitus fere ex reliquorum populiscitorum privorum similitudine collecta sunt, cum de ἀδείας datione paucissima tradiderint scriptores veteres; cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 25, qui civitatis et impunitatis dandae »ritum et modum prorsus similia inter se et eadem fuisse« dicit.

sive legitimorum,[1]) quae quattuor erant in singulis prytaniis;[2]) alterum extraordinariorum, quae convocabantur, si quid subiti acciderat.[3]) Atque ordinariarum contionum quaedam cum constitutis diebus ex lege habitae esse videntur, — imprimis autem huc pertinet Hecatombaeonis dies undecimus h. e. primae cuiusque anni contionis dies[4]) — tum una quaeque certis rerum generibus destinata erat.[5]) Aliae vero res nondum praefinitae prytanum programmate[6]) paucis diebus, antequam de iis in comitiis agendum erat, promulgabantur. Quod de rebus, quae in extraordinariis contionibus populo proponebantur, non semper fieri potuisse per se ipsum intellegitur.

Quibus expositis iam indagemus, utrum de ἀδείας datione in ordinariis an in extraordinariis comitiis actum sit.

Ante omnia autem ea comitia, in quibus de ipsa venia danda agebatur, secernamus necesse est ab iis ordinariis, in quibus rogatio proponebatur populo, ad quam ferendam rogatori venia opus erat.[7]) Ac rectissime Gilbert [„Staatsalt." I p. 294] ad hoc privilegium irrogandum tribus contionibus opus fuisse statuit: in prima rogator, qui e. c. debita publica remitti vult, supplex a populo petit, ut sibi in extraordinaria contione veniam rogare liceat. Quod si populus concessit, deinde extra ordinem contio convocatur a senatu, in qua rogatori de venia danda aut deneganda cum toto populo agendum est. Venia maximo in comitiatu data ψήφισμα ἐπ' ἀνδρί ratum est. Postremo in ordinariarum contionum aliqua de debitis remittendis, ad quam rogationem ferendam ἄδειαν dari necesse erat, verba facit rogator apud populum.[8])

[1]) Quas contiones Aesch. de f. leg. 72 vocat: ἐκκλησίας τεταγμένας ἐκ τῶν νόμων.

[2]) Primo cuique eorum conciliorum nomen κυρία ἐκκλησία erat; cf. Reusch: »de diebus cont. ord. ap. Ath.« in »dissert. phil. Argent. sel.« III 62 sqq.; Gilbert I p. 269,1; Busolt § 189 p. 169,10; cf. etiam Valeton: Mnemos. n. s. XVI p. 3 et adn. 2.

[3]) Haec concilia σύγκλητοι ἐκκλησίαι dicebantur aut κατάκλητοι, quia rustici quoque in urbem evocabantur; cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 28 sq.; Busolt § 189 p. 170,1.

[4]) cf. Reusch l. l. III 57.

[5]) cf. Poll. VIII 95 sq.; Hartel: »Stud.« p. 172.

[6]) de programmate cf. [Dem.] XXV 9; Platner: »Proc. u. Kl.« I 353; Gilbert I 270,1.

[7]) Schoemann: »de com. Ath.« p. 332 sq. id non satis perspexit.

[8]) Nec secus rem exposuit Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 4. 14 et adn. 2. —

Ad quam Gilberti sententiam examinandam iam accessurus sum. Et de ipsa re quamquam auctores nihil fere tradunt, tamen pro certo dici potest reliquorum ψηφισμάτων ἐπ' ἀνδρί irrogandorum rationes, ostracismi habendi et civitatis donandae, simillimas fuisse atque ἀδείας, quare omnia, quae de illis tradita habemus, in hanc transferre licet.

Ac primum quidem de ostracismi habendi modo ac ratione pauca dicam. In prima sextae prytaniae[1]) contione quotannis

Alia autem eius ἀδείας dationis ratio est, cuius possessio per se ipsa utilis est (v. supra in libro priore s. B): in hoc ἀδείας genere tertia illa, de qua supra diximus, contio locum non habet; sed ne id quidem, utrum ad hanc ἄδειαν dandam duabus contionibus opus fuerit necne, utrumque ea ἄδεια simplici psephismate an sollemnibus senum milium suffragiis tributa sit [cf. Mnemos. n. s. XV p. 2 et adn. 6] pro certo dici potest. Fidem publicam quidem in una contione populiscito decretam esse verisimillimum est, idemque de impunitate indicibus danda, quam rem quam celerrime expediri oportuisse recte dixerit quispiam, valuisse nonnulli oratorum loci huc pertinentes demonstrare videntur. [Exempla impunitatis μηνυταῖς concessae leguntur e. c. apud Andocidem de myst. 12. 15 et apud Lysiam XIII 55. Extat etiam huius ἀδείας testimonium in oratione Andocidis secunda (de reditu), in qua a populo ἄδεια petitur; at vero de restitutione tantum prioris decreti hoc loco agitur (v. supra p. 12,1; ceterum orator illegitime, h. e. prytanibus pecunia corruptis, in contionem introductus est; cf. Meier: »de bon. damn.« p. 183; v. supra p. 99,3), quare id testimonium non satis certum est.] — Ceterum ea, de qua hoc loco agendum est, ratio ἀδείας dandae haud scio an quarto demum a. Chr. n. saeculo in usum venerit. Nam utrum prioribus temporibus ex analogia ostracismi habendi populus ἄδειαν dederit an initio quidem ex consuetudine civitatis dandae simpliciorem populisciti privi irrogandi modum adhibuerit [v. infra p. 140 adn. 1], disceptare nequeo. Id unum constare videtur, inde ab initio veniam rogandi senum milium suffragiis irrogatam esse. Quam ἄδειαν iam quinto a. Chr. n. saeculo decretam esse nonnulla exempla docent. Ac primum huius privilegii certum exemplum in CJA. I 32 B extat, quem titulum anno 435/4 scriptum esse Kirchhoff quidem censet (v. supra p. 64 adn. 4); alterum in Patroclidis populiscito a. 405 facto, quod ab Andocide (de myst. 77 sqq.) traditum est. Verum ex his populiscitis nihil de ἀδείας dandae ratione colligendum est (v. supra p. 119 adn. 4 s. f.). Si autem populus Atheniensium in ἀδείᾳ irroganda similitudinem civitatis dandae secutus est, quinto quidem a. Chr. n. saeculo hoc veniae rogandi privilegium in una contione — senum milium suffragiis latis — ratum est factum et quarto demum saeculo tribus (vel potius duabus) contionibus opus fuit.

[1]) cf. Lex. Rhet. Cantabr. (append. ad Phot. ed. Porson) p. 672,13 sqq. (ed. Houtsma Lugd.-Batav. 1870 p. 20); imprimis cf. de ostracismi habendi temporibus et modo Valeton: Mnemos. n. s. XVI p. 1 sqq. Ea, quae Philo-

ante testarum suffragia ferenda (ὀστρακοφορίαν)[1]) in comitiis deliberatum est,[2]) utrum illo anno testarum suffragia ferri oporteret necne. Quodsi populus ostracismum habendum esse decreverat, ad iustam ὀστρακοφορίαν in altera contione lege aut populiscito constituta convenit.[3]) Quarum contionum (vel suffragii lationum) prior secundum Aristotelem ἐπιχειροτονία[4]) vocatur, cuius concilii initio προχειροτονίας actio est habita. Quae vox quid significet, grammatici sic definiunt: προχειροτονία est suffragium de ea quaestione latum, utrum populus senatus probuleuma simpliciter accipere velit, an disceptatio (σκέψις) de eo fiat;[5]) qua cum definitione vocabuli usus[6]) congruere videtur. Tamen rem

chorus tradit: procheirotoniam ante octavam prytaniam habitam esse Valeton l. l. p. 4 ita explicat, ut haec dicat: »in lege (sc. de ostracismo habendo) additum esse debuit, opinor, si in concilio κυρίῳ sextae prytaneae epicheirotonia ob aliquam causam facta non esset, eam habendam esse in concilio κυρίῳ proximo, i. e. septimae prytaneae«. Sed coniecturam probare non possum, quia in lege de ἐπιχειροτονίᾳ νόμων nihil huiusmodi scriptum est; cf. Valeton l. l. p. 4 adn. 2.

[1]) cf. Platner: »Proc. u. Kl.« I 389; Busolt § 192 p. 173.

[2]) Ut lingua vernacula utar: »es fand eine Vorabstimmung darüber statt«.

[3]) Ὀστρακοφορίαν usque in octava prytania habitam esse adhuc homines docti crediderunt; cf. Gilbert I p. 294; Busolt l. l.

[4]) cf. Lex. Rhet. Cantabr. (ed. Porson) p. 672, 14; V. Rose: »Aristot. Pseudepigr.« (Lips. 1863) p. 437; Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 362. 370 sq.

[5]) cf. Harpocr. s. v. προχειροτονία (= Phot. Suid. s. v.), qui haec dicit: ἔοικεν Ἀθήνησι τοιοῦτό τι γίγνεσθαι, ὁπόταν τῆς βουλῆς προβουλευσάσης εἰσφέρηται εἰς τὸν δῆμον ἡ γνώμη· πρότερον γίνεται χειροτονία ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πότερον δοκεῖ περὶ τῶν προβουλευθέντων σκέψασθαι τὸν δῆμον, ἢ ἀρκεῖ τὸ προβούλευμα; Schoemann: »Antiqu.« p. 222; eundem: »de com. Ath.« p. 99; eundem: »Gr. Altert.« I 384; Perrot: »le droit publ.« p. 177,2; Gilbert I p. 276,3; Busolt § 190 p. 171,10; Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 357. 372 sq. Alii aliter de hac re sentiunt homines docti; sunt enim qui προχειροτονίαν ad ordinem earum rerum pertinere putent, de quibus agendum sit in comitiis; cf. Gilbert l. l. — Initio igitur demagogorum ἐπιχειροτονίας facta est προχειροτονία, quare grammaticus Philochori verba exhibens [cf. Lex. Rhet. Cantabr. ed. Houtsma p. 24] recte dicit: προὐχειροτόνει μὲν ὁ δῆμος πρὸ τῆς ὀγδόης πρυτανείας κτλ.; cf. etiam Gilbert: Jahrb. f. klass. Phil. 1879 p. 239, ubi haec leguntur: »man konnte..., die zweite Abstimmung als die eigentliche χειροτονία auffassend, von der ersten als von einer προχειροτονία sprechen, und in diesem Sinne ist die προχειροτονία an den bekannten Stellen über den Ostrakismus zu verstehen«. Ea, quae Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 407 sq. dicit, probare non possum.

[6]) cf. e. c. Dem. XXIV 11 sq.; Aesch. I 23.

aliter exposuit Guilelmus Hartel,[1]) qui coniectavit προχειροτονίαν idem significare quod nostris temporibus, ut recenti nomine utar: „erste Lesung“, idque copia satis larga titulorum allata recte dici studuit demonstrare. Sed hanc sententiam imprimis Gilbert[2]) impugnabat et postea Miller[3]) iustis argumentis. Quae res huc quoque pertinet, cum Hartel opinionem suam cum aliis rebus tum ostracismi habendi ratione probare voluerit. In hac enim actione ille quidem secernit, ut ipsius verbis utar: „erste Lesung“ vel „Vorabstimmung“ et „Schlussverhandlung“.[4]) Sed ne id quidem viro doctissimo argumentum praebere potest, cum haec, de qua sermo fit, actio non προ- sed ἐπιχειροτονίας nomine vocetur; at etiamsi hac in re προχειροτονία iusta esset appellatio, quae illam notionem haberet, tamen multum differt inter ψήφισμα ἐπ' ἀνδρί et simplex populiscitum. Neque magis ostracismi habendi ratio sententiam Hartelianam confirmat. Etenim prior illa suffragii latio nullam aliam vim habet, nisi quam supra diximus „Vorabstimmung“, quibus in comitiis deliberabat populus, utrum ὀστρακοφορίαν habere oporteret necne. Senatus igitur constituto tempore probuleuma ad populum tulit, qua re de ostracismo habendo cum populo agendi facultas est data. Si autem populus ὀστρακοφορίαν decreverat, in extraordinariis comitiis[5]) testarum suffragia in foro a populo tributim lata sunt. Itaque aperte prior suffragii latio (ἐπιχειροτονία) vel actio et iusta propriaque testarum suffragia (ὀστρακοφορία), nullo autem verbo duae actiones distinguuntur.

Sed ut ad rem propositam revertamur, num in veniae quoque datione duas eiusmodi contiones statuere liceat, indagemus. Gilberti et Valetoni exempla secutus[6]) simillimam horum ψηφισμάτων ἐπ' ἀνδρί condicionem puto fuisse. Itaque si quis e. c. aut

[1]) »Studien üb. att. Staatsrecht u. Urkundenwesen« p. 180 sqq. 202 sqq.; eundem in »Wien. Stud.« I p. 269—294.

[2]) cf. Jahrb. f. klass. Phil. 1879 p. 237 sqq.; ibid. 1880 p. 529 sqq.

[3]) in commentatione: »de decretis Att. quaest. epigr.«; cf. Busolt § 190 p. 171,9.

[4]) cf. Hartel: »Stud.« e. c. p. 180; »Wien. Stud.« I p. 282. 290.

[5]) Valeton quidem: Mnemos. n. s. XVI p. 6 contendit: »ostracophoriam ex lege habendam fuisse die proximi concilii, postquam accepta esset προχειροτονία«. Causae, quas ille affert, gravissimi momenti esse mihi videntur, sed num vera sit eius sententia, pro certo dicere non audeo.

[6]) v. supra p. 124 et adn. 8 initio.

sibi aut alii restitutionem a populo petiturus erat, supplex in senatu deinde in comitiis ordinariis orabat, ut populus in maximo comitiatu veniam rogationis ferendae sibi daret; quod si populus concesserat, veniam dandam aut denegandam esse in extraordinariis comitiis ad id convocatis decrevit; et venia demum impetrata restitutionem a populo petere licuit. Quarum contionum prima et altera congruunt cum ἐπιχειροτονία et ὀστρακοφορία, quibus ψήφισμα ἐπ' ἀνδρί ratum fit.

Postremo etiam civitatis donandae sollemnitates[1]) cum ἀδείας datione habent similitudines.[2]) In comitiis enim ordinariis, postquam senatus rogationem sive petitionem probuleumate instruxit, civitas alicui peregrino bene de re publica merito decernitur. Quo facto id psephisma in altera contione, plerumque in prima proximae prytaniae,[3]) cui ut minimum sex milia civium interessent, lex erat, occultis suffragiis comprobandum fuit. Denique civitatem a toto populo decretam prioribus quidem temporibus γραφῇ παρανόμων antiquare licuit, posterioribus autem temporibus δοκιμασία novorum civium in iudicio heliastico facta est. Tum

[1]) quae quarto a. Chr. n. saeculo valuerunt; antea autem civitas uno psephismate populi decreta et rata facta est, quod populiscitum γραφῇ παρανόμων abrogare licuit heliastis; cf. Busolt § 154 p. 139 et adn. 7.

[2]) De civitatis datione cf. [Dem.] LIX 89 sq.; Gilbert: »Staatsalt.« I p. 176.

[3]) Tempus concilii semper populiscito constitutum est; cf. Valeton: Mnemos. n. s. XVI p. 5. Formulae, qua in titulis Atticis haec suffragii latio significatur, semper fere hoc additum est: εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν; cf. Mnemos. n. s. XV p. 25 et ibid. XVI p. 5; Buermann: Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. X p. 358 sq. Idne ad extraordinarias an ad ordinarias contiones referendum sit, non satis liquet. Sed id nullius momenti est, si quidem senum milium suffragii latio non specialis ἐκκλησία fuit, id quod Valeton coniecit (v. etiam infra cap. III p. 138 adn. 2). Quod si verum esset, illae suffragii lationes in comitiis ordinariis extra ordinem fierent. Id autem videtur constare, haec civitatis decretorum verba non ad primam, sed ad alteram contionem pertinere, cum haec formulae probuleumaticae verba: τοὺς προέδρους οἳ ἂν λάχωσι προεδρεύειν (προσαγαγεῖν τὸν δεῖνα) εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν (καὶ) χρηματίσαι περὶ τούτων κτλ. ad contionem senatus consessum sequentem pertinere existimem [aliter sentit Hartel]; cf. Gilbert: Jahrb. f. klass. Phil. 1879 p. 229; Blass in I. Mülleri »Handb. d. klass. Altert.-Wiss.« I (1886) p. 453, qui haec dicit: »Die Worte der probuleumatischen Formel: εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν bezog Hartel auf die nächste nach der beschliessenden ἐκκλησία...; Miller hingegen mit anderen auf die nächste ἐκκλησία nach der Ratssitzung [»de decretis Atticis« p. 34: ad comitia senatus consessui proxima]«.

demum civitatis decretum ratum fuit.[1]) Atque prior quidem contio cum ea conferenda est, in qua quis supplex[2]) petit, ut populus de venia danda convocetur. Deinde autem populus in altera contione ut ἄδειαν irrogat ita civitatis dationem confirmat. Postremo e. c. et capite deminutus restitutionis rogationem fert et civitas a populo tributa in iudicio examinatur, utque restitutionem denegare ita γραφῇ παρανόμων aut δοκιμασίᾳ, si contra leges data est, civitatem abrogare licet.

Ex iis, quae exposuimus, ἀδείας dandae actionem satis diutinam fuisse intellegitur; sed in iis rebus, quae huc pertinent, paululum morae non noxae fuit.[3])

Duas igitur contiones ad ipsam veniae dationem necessarias statuendas esse demonstratum est. Quarum alterum Pollux [VIII 96] strictim attingit his verbis: ἡ δὲ δευτέρα ἐκκλησία (sc. τῆς πρωτανείας) ἀνεῖται τοῖς βουλομένοις, ἱκετηρίαν θεμένοις, λέγειν ἀδεῶς περί τε τῶν ἰδίων καὶ τῶν δημοσίων, quae Schoemann [„de com. Ath." p. 158] Latine vertit his: „In secunda ecclesia contio dabatur iis, qui supplici ramo proposito de privatis aut publicis rebus dicendi veniam poscebant".[4]) Quaeritur autem, utra contionum Pollucis verbis significetur. Vocabulum ἀδεῶς (h. e. impune) hoc sane significare potest: „venia impetrata"; at vero rogator veniam nondum impetravit, quam ob rem supplex orat, ut verba: ἱκετηρίαν θεμένοις demonstrant. Haec igitur contio, quam Pollux dicit, eam, in qua venia data est, non sequitur: nam in hac, postquam veniam supplex impetravit, ultro ei licuit impune rogare; sed ἀδείας dationi antecedit, quare Pollucis verba ad priorem contionem pertinent,[5]) in qua rogator impunitate verba faciendi

[1]) Cf. e. c. CJA. II 51. 54. 300. 397. — De his rebus in cap. III copiosius agetur.

[2]) nam de rebus quibusdam: νόμος οὐκ ἐᾷ λέγειν οὐδὲ χρηματίζειν, ut ait Demosthenes XXIV 46; cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 4 et adn. 4.

[3]) Impunitatem enim indicia delaturis acquirendam, quae res maximi momenti et sicut εἰσαγγελία quam celerrime expedienda erat, huc non pertinere verisimile est (v. supra p. 99 adn 3). Id etiam Platner: »Proc. u. Kl.« I 443 intellegit, cum impunitatem indicibus, ut ipsius verba usurpem, »ohne besondere Förmlichkeiten« dare licuisse dicat. Atque ne id quidem, num omnia ἀδείας genera senum milium suffragiis irrogata sint, pro certo scimus; cf. Valeton l. l. XV p. 2.

[4]) cf. Perrot: »le droit public« p. 38.

[5]) Ad aliam autem (tertiam scilicet) contionem Gilbert Pollucis verba

utitur propterea, quod in tutela deorum est. Tum contionatur ille apud populum non μετ' ἀδείας[1]) vel ἀδείας δοθείσης[2]) h. e. cum populi venia, sed ἐπ' ἀδείᾳ,[3]) ut videlicet in proxima extraordinaria contione ἄδειαν impetret. Quae cum ita sint, Pollucis loco, quem protuli, in secunda cuiusque prytaniae contione — erat autem ordinaria —[4]) supplicibus veniae impetrandae causa populum adire licuisse edocemur.

Quaestione absoluta nunc iam exemplo ἀδείας dandae rationem illustrare conabor.

Capite deminutus ne in comitiis verba faciat neve restitutionem petat, lege interdicitur. In secunda autem cuiusque prytaniae contione ordinaria illi supplici cum ramis oleae in ara aliqua considere et hinc sacrosancto dei tutela facto impune de suis rebus verba facere licet, ita quidem, ut venia rogandi sibi concedatur. Antea enim ne supplex quidem ipsius restitutionis rogandae potestatem habet. Primum igitur hoc tantum petit a populo, ut prytanes populum extra ordinem convocare iubeantur ἀδείας dationis deliberandae causa. Deinde in extraordinaria contione populus in suffragium mittitur, utrum supplici venia rogationis ferendae danda an deneganda sit. Quodsi populus maximo in comitiatu et occultis suffragiis ἄδειαν concessit,[5]) tum demum in contione aliqua ordinaria[6]) de restitutione in integrum cum senatu populoque agitur.[7])

Ceterum Pollucis testimonium, quo demonstratur contionum ordinariarum unicuique certas res constitutas esse, quamquam Reusch

pertinere dicit; cf. »Staatsalt.« I p. 294 et adn. 1; contra cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 4. — Congruunt igitur inter se hoc concilium et illud, in quo ἐπιχειροτονία demagogorum est habita; utrique enim certum tempus lege destinatum fuit; cf. de ἐπιχειροτονίας tempore Valeton: Mnemos. n. s. XVI p. 1 sqq.

[1]) cf. e. c. Thuc. VI 60.

[2]) cf. e. c. Dem. XXIV 46.

[3]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 334. — Oncken: »Staatsl.« II p. 526 vocabulum ἀδεῶς non apte Germanice vertit verbo: »rücksichtslos«.

[4]) De his v. supra p. 123 sq.

[5]) cf. Dem. XXIV 45. 46.

[6]) cui num semper tempus praestitutum sit a populo, incertum est.

[7]) Schoemann: »Gr. Alt.« I 399 suffragium senum milium, quod ad ἄδειαν dandam pertinet, per errorem in ea contione latum esse statuit, in qua de poenae alicuius remissione agitur; cf. etiam eundem: »Antiqu. iur. publ. Gr.« p. 225.

[„dissert. phil. Argent. sel." III 71 sqq.] in suspicionem vocavit,[1]) tamen res ipsa non in dubio est, quin programma ordinariarum sive legitimarum contionum praefinitum fuerit.[2]) Dubitari sane potest, num de ἀδείᾳ danda in secunda contione actum sit; sed ἀδείας dationem in numero negotiorum publicorum lege praefinitorum[3]) fuisse videtur constare.

Cap. III. De senatus in ἀδείας datione functionibus.

In re publica Atheniensium permulta iura et potestates ad senatum delata fuerunt, quae omnes fere res complexa sunt; ut Busolti verba mea faciam: senatus summum collegium fuit, quod totam rem publicam rexit atque administravit.[4]) Itaque auctoritas senatus multum valuit in legislatione, in rebus ad aerarium et rei publicae administrationem pertinentibus, in publicis negotiis cum exteris civitatibus gerendis, in omnibus denique rebus, in quibus ille negotia publica ex legibus procuravit.[5]) Senatus igitur, ut nostrorum temporum res cum illis conferam, quasi summus rei publicae cancellarius est, qui in gravissimis rebus una agit cum contione populi τὸ κύριον τῆς πολιτείας tenentis. Quin etiam tanta senatui potestas fuit rei publicae gubernandae, ut dixerint quidam collegium summam potestatem tenens Athenis contionem una cum senatu (βουλὴν καὶ ἐκκλησίαν)[6])

[1]) Cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 32; Perrot: »le droit publ.« p. 38; Heyse: »de legat. Att.« p. 65; Miller: »de decretis Att.« p. 34,1.

[2]) etiamsi concedendum est praeter legitimas res etiam de aliis in his contionibus agere licuisse; cf. Reusch l. l. p. 72. 77 sqq.

[3]) De civitatis quidem donatione agebatur tempore lege praestituto; velut in CJA. II 309, in quo titulo civitas peregrino cuidam decernitur, haec leguntur: [...ὅταν αἱ ἡμέραι ἐξήκωσ]ιν [α]ἱ ἐκ τοῦ νόμου χρη[ματίσαι περὶ πολιτείας (?)... Atque idem in ostracismo habendo de ἐπιχειροτονίας tempore valuit.

[4]) Busolt § 183 p. 165 dicit de senatu: »Er war die höchste Regierungs- und Verwaltungsbehörde«; cf. § 48 p. 44.

[5]) De titulis Atticis ad senatum Atheniensium pertinentibus nostris temporibus agere coepit: Heydemann: »de senatu Athen. quaest. epigr. sel.« in »dissert. phil. Argent. sel.« vol. IV.

[6]) Ut lingua vernacula utar: »die Körperschaft, welche die souveräne Staatsgewalt in Händen hatte«; Busolt § 48 p. 44 haec dicit: »Der Rat repräsentierte mit dem Demos die oberste Staatsgewalt«; sed τὸ κύριον penes solum populum est vel, ut Germanice sententiam dicam: »Souverän ist allein der Demos«; v. infra p. 138 sq.; cf. etiam Perrot l. l. p. 35 sq.

fuisse. Atque re vera psephismatis legitimis ratisque praescriptum est hoc: ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ non secus ac si in fine multorum titulorum legimus: ἡ βουλή ὁ δῆμος, nomina subscripta cancellarii et populi ipsius. Quocum congruunt ea, quae senatui in comitiis de populiscitis perficiendis fuerunt, negotia: convocavit contionem populi, res, de quibus in comitiis deliberandum fuit, constituit easque populo ante comitia programmate promulgatas proposuit.[1]) Praeterea autem ad populum quidquam deferri vetitum erat, nisi quod ante a senatu pertractatum et probuleumate[2]) instructum esset,[3]) ex Solonis[4]) lege, quae iussit: [τὴν βουλὴν] προβουλεύειν... τοῦ δήμου καὶ μηδὲν ἐᾶν ἀπροβούλευτον εἰς ἐκκλησίαν εἰσφέρεσθαι.[5]) Tamen praeter ceteros Miller [„de decret. Att."] recte demonstravit non semper „necesse fuisse eundem (sc. senatum), quid sibi de singulis rebus placeret, populo exponere et suadere, quid faciendum esset.[6]) Saepe enim senatus satis habuit" — neque ea posterioris aetatis licentia fuit[7]) — „rem ita ad populum ferendam decrevisse, ut quivis civis quod videretur rogaret".[8])

Atque operae pretium est nunc iam anquirere, quibus senatus in ἀδείας datione muneribus functus sit. Cum autem de hac re a scriptoribus nihil fere traditum sit, rursum ex ἀδείας cum ὀστρακισμῷ et πολιτείᾳ similitudine res, quam proposuimus, colligenda est.

[1]) Πρόγραμμα legitur e. c. in CJA. II 61; cf. Busolt § 182 sq. p. 165 sq.

[2]) cf. Harpocr. s. v. προβούλευμα; Phot. s. h. v.; I. Bekker: Anecd. Gr. 289, 26 sqq.

[3]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 158; Miller: »de decret. Att.« p. 7.

[4]) cf. Plut. Sol. XIX. Num autem lex Solonea fuerit, nuper U. Koehler in dubium vocavit; cf. Busolt § 128 p. 117.

[5]) cf. Dem. XXIV 11; Petit: »Leges Atticae« II 2,2 p. 198; Schoemann: »de com. Ath.« p. 95 sqq.; Miller l. l. p. 7,1; Busolt § 183 p. 165,9.

[6]) cf. Gilbert: »Staatsalt.« I p. 276,2. Loco προβουλεύματος conscripti senatum res propositas saepe ad populum (oratione) detulisse dicit Gilbert l. l. I p. 275,5; cf. etiam ea, quae exposuit L. Schmidt: »de auct. προβουλεύματος in rep. Ath.« (Ind. lect. Marb. 1876/7).

[7]) Nam hac occasione senatus auctoritate omnino neglecta res ad populum deferebantur; cf. e. c. argum. II ad Demosthenis Androtianam p. 592; v. supra p. 77 sqq.

[8]) Haec formula probuleumatica patet ex CJA. II 168; cf. Gilbert I 276,2; Busolt § 190 p. 171,9.

Initio quidem dubites, num omnino senatus in venia danda una cum populo egerit. Cum enim populus in hac re gravissimum ius summamque potestatem exercuerit, senatus autem τοῦ κυρίου particeps non fuerit,[1]) oritur quaestio, num senatui etiam haec ἀδείας dandae rogatio probuleumate (cuius videlicet antiquandi populus semper potestatem habuit)[2]) instruenda fuerit. At, inquies, illa, quam supra attulimus, Solonis lex[3]) violata esset, si eiusmodi psephisma probuleumate senatus antea non comprobatum ad populum latum esset. Verum id ipsum, quo tempore contio populi non a senatu, sed ab aliis magistratibus convocata est, interdum videtur accidisse. Constat enim praetoribus in rerum angustiis quoquo tempore[4]) ius cum populo agendi fuisse, sive per prytanes illum convocari iusserint praetores,[5]) sive ipsis contionem convocare licuerit. Nam cum Thucydides [II 59] de Pericle dicat: ξύλλογον ποιήσας (ἔτι δ' ἐστρατήγει), num prytanes hac occasione eum adiuverint, dubitari potest.[6]) Atque idem ex psephismate patet, quod extat apud Demosthenem [XVIII 73], ubi legimus: ἐκκλησίας συγκλήτου ὑπὸ στρατηγῶν.[7]) Quod sane in summo tantum rei publicae periculo, velut hostibus in Atticam invadentibus, fieri potuisse verisimile est.[8]) Omnino

[1]) Cf. L. Schmidt l. l. p. III.

[2]) cf. Gilbert I p. 278 et adn. 2; Miller: »de decret. Att.« p. 42.

[3]) quam legem Hartel: »Stud.« p. 181 gravissimam iuris publici Atheniensium significat, non secus ac Miller, qui l. l. p. 54 haec dicit:... »legem quam supremam et sanctissimam in iure publico Atheniensium habitam esse vidimus«.

[4]) cf. e. c. CJA. I 40,54 sqq.: συν[ε]χῶς δὲ ποεῖν τ[ὰς ἐκκλησία]ς, ἕως ἂν δι[απρ]αχθῇ, ἄλλο δὲ προχρ̣ημα[τίσαι τούτω]ν μηδέν, ἐὰμμή τι οἱ στρατη[γ]οὶ δέωντα[ι].

[5]) cf. Dem. XVIII 37. 164; Thuc. IV 118,14; CJA. II 439 (ad hunc titulum cf. Hauvette-Besnault: »Les Strat. Ath.« p. 125; Gilbert l. l. I p. 279,2).

[6]) cf. Thuc. II 60; cf. etiam Plut. Phoc. XV; Diod. XVI 84. — Convocationem populi senatu auctore a praetoribus factam esse putant Hermann: »Gr. Alt« I[5] § 128,6; Schoemann: »Gr. Alt.« I 383; Gilbert I p. 222 et adn. 6. Alii homines docti (cf. e. c. Perrot: »le droit publ.« p. 37,5. p. 58; Busolt § 179 p. 163,6; Hauvette-Besnault l. l. p. 124) etiam eam contionem, cuius Thuc. II 59 mentionem facit, per prytanes convocatam esse contendunt.

[7]) cf. etiam Dem. XVIII 37. 75; Schoemann: »de com. Ath.« p. 102 sq. De hac re cf. imprimis ea, quae disseruit Hauvette-Besnault l. l. p. 124 sq.

[8]) Pericles praetor contionem convocavit, ut animos sedaret, id quod nisi periculosissimis temporibus fieri non potuit; cf. Thuc. II 59; Hauvette-Besnault l. l. p. 125.

Hauvette-Besnault quidem [„Les Stratèges Athéniens“ p. 125] id praetorum ius senatus populique convocandi perpetuitate et assiduitate[1]) habiti senatus irritum factum esse dixit. Sed etiamsi alias quoque[2]) ipsis praetoribus licuisset contionem convocare et rogationes probuleumate non instructas ad populum ferre, tamen id huc non pertineret. Itaque, ut ad rem propositam transeam, in venia danda senatum una cum populo egisse demonstrabo, ita quidem, ut id in utraque contionum,[3]) quae ad veniae dationem opus erant, nequaquam factum sit.

Iam vero indagemus, quae functiones senatui fuerint in iis conciliis, in quibus populiscitum privum ἀδείας irrogatum est; ac primum quidem in ea contione, in qua quis supplex rogat, ut sibi liceat in extraordinariis comitiis ἄδειαν a populo petere.

Haec contio si non secunda, ut Pollux tradit, tamen ordinariarum aliqua est, cui res, de quibus agendum est, lege praefinitae sunt. In qua contione senatui rogationes ad populum ferendas semper probuleumatis comprobandi potestatem fuisse per se ipsum intellegitur et pro certo habendum opinor, etiamsi plurimi interfuit prytanes programmate promulgato contionem convocare, utque rerum disceptatio et deliberatio fieret, curare.[4]) Tamen plerumque et iustum senatus probuleuma statuendum puto et, ut supplex, antequam in comitiis verba faceret, utique senatum adiret,[5]) legitimum fuisse. Similis est εἰσαγγελίας ratio,

[1]) Ut ait Hauvette-Besnault l. l.: »(par la) permanence du conseil«.

[2]) id quod Hauvette-Besnault p. 125 in dubium vocat.

[3]) v. supra cap. II.

[4]) Schoemann: »Antiqu.« p. 222 adn. 7 nullam senatus auctoritatem perscriptam esse putat, »si tantummodo in universum edictum esset, de quibus rebus cum populo agi liceret, e. c. in magistratuum ἐπιχειροτονίαις«. Cf. etiam [Dem.] XXV 9. — Posterioribus temporibus ex titulo Attico, qui extat in CJA. II 472, prytanes (vs. 12 sq.) cum ob alias causas tum ob hanc laudantur, quod: ἐπεμ]ελήθησαν... τῆς συλλο[γῆς τῆς τε βουλῆς καὶ τοῦ δήμου...

[5]) Id enim ut ante omnia ordinaria populi concilia fieret, lex fuit; cf. e. c. Dem. XXIV 48. Is igitur, qui ἄδειαν a populo petiturus est, principio in senatu supplicandi caerimonia usus (cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 4) verba facit. — Ceterum quae Preller: »Gr. Mythol.« I[4] 425 dicit: »(Das Prytaneion) war die Stätte.... der Gemeindeberatungen.... und die der Schutzflehenden, wenn sie den Schutz des ganzen Staates in Anspruch nahmen«, ea de posteris quidem temporibus nequaquam valent [de prytaneo cf. Gilbert: »Staatsalt.« I 118,2; Hagemann: »de prytaneo« Vratisl. 1880; de curia cf. Gilbert I 259,1]. Nam Clisthenis iam aetate κοινὴ ἑστία in tholum translata est, ubi

quam etsi in rebus gravissimis delatori statim ad populum[1]) deferre licuit,[2]) tamen contio, cum εἰσαγγελίαν accepisset, ad senatum reiciebat, qui probuleumate rem instrueret.[3]) Atque etiam προβολάς in comitiis, quae ex lege in templo Dionysi habebantur,[4]) per ipsos prytanes ad populum delatas esse lex a Demosthene [XXI 8] commemorata demonstrat.[5])

Hoc igitur utique videtur nobis tenendum, supplicem, antequam verba faceret in comitiis, senatum adire necesse fuisse, quae sententia et ὀστρακισμοῦ et πολιτείας comparatione probatur.

Neque enim dubitari potest, quin etiam in ἐπιχειροτονίᾳ in prima sextae prytaniae contione habita a senatu προβούλευμα saepe certis consiliis instructum ad populum delatum sit, quod docuit, quae sit ostracismi habendi causa. Atque etiam eos demagogos nobiles, quorum nimia potentia et opes timendae essent quosve ob eam causam expelli e civitate oporteret, in illa contione nominatos esse nonnulli homines docti putaverunt,[6]) quamquam id pro certo dici non potest. Aliter autem Valeton[7]) de hac re nu-

prytanes quotidie sacrificabant, cenabant, consilia habebant; cf. Schoell: Hermes VI 28 sq.; Hagemann l. l. p. 28 sqq. — In ipsa curia (βουλευτηρίῳ) κοινὴν ἑστίαν fuisse Bursian: »Geogr. v. Griechenl.« I (Lips. 1862) p. 282 putat; v. supra p. 112 adn. 3.

[1]) cf. Busolt § 192 p. 173,5.

[2]) Plerumque sane delationes (εἰσαγγελίαι), sicut indicia (μηνύσεις), ad senatum ferebantur; cf. Arist. Equ. v. 300; Isocr. XV 314; Gilbert I p. 291 et adn. 3; Busolt § 182 p. 165,1. § 185 p. 167. § 197 p. 178.

[3]) cf. Xen. H. Gr. I 7,7. Idem fieri potuit de aliis rebus in ipsis comitiis ad populum latis; v. supra p. 78 adn. 7; cf. etiam Schoemann: »de com. Ath.« p. 205 (aliter sentit de hac re Platner l. l. I p. 370 sq.).

[4]) cf. e. c. Dem. XXI 9. 11. 175; Isocr. XV 314; Reusch: »de diebus cont. ord.« p. 4.

[5]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 238; eundem: »Gr. Alt.« I 395. »In comitiis«, ut ait Schoemann (»de com. Ath.« p. 238), »actor adversarium produxit, et post propositam a prytanibus προβολήν uterque (et is qui accusabat et is qui accusabatur) verba pro se ad populum fecit«. Προβολή sane in magistratus (quam Schoemann: »de com. Ath.« p. 231 tantum in ἐπιχειροτονίαις magistratuum factam esse contendit) iusto probuleumate senatus non comprobata ab ipso actore ad populum deferebatur; sed προβολή ista cum poenae irrogatione non coniuncta erat, neque populus ipse ulla poena reum affecit, sed post illud comitiorum praeiudicium rem heliastico iudicio cognoscendam et diiudicandam commisit; cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 239; Gilbert I p. 289,2; Busolt § 192 p. 173. § 209 p. 186.

[6]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 243 sq.; eundem: »Gr. Alt.« I 398. — De candidatorum tabella, quam Meier statuit, omnino non cogitandum est.

[7]) Mnemos. n. s. XV et XVI.

perrime egit, qui haec studet demonstrare: „ἐπιχειροτονίαν (demagogorum) quotannis (constituto tempore) in concilio habitam esse, neque eam contra legem potuisse impedire senatum, si in senatu nemo rogaret de ἐπιχειροτονίᾳ habenda“;[1]) quare probuleuma senatus statuendum non esse,[2]) immo vero „nullam de ea re (h. e. de ostracismo) factam esse senatus auctoritatem, nullam in concilio institutam esse deliberationem publicam“.[3]) Quam sententiam cum aliis argumentis tum ex ratione ἐπιχειροτονιῶν habendarum et notione ἐπιχειροτονίας vocabuli[4]) confirmare Valeton studet. Atque id quidem, quod disseruit ille de „ἐπιχειροτονίαις ἀπροβουλεύτοις“[5]): legem Soloneam de senatus probuleumate hac re non violatam esse,[6]) non improbabile videtur. Tamen equidem id non rectum esse puto, quod Valeton statuit, in illa scilicet ἐπιχειροτονίᾳ sine ulla suasione vel consultatione populum interrogatum esse: πότερον δοκεῖ τὸ ὄστρακον εἰσφέρειν ἢ μή; quod si verum esset, de ostracismo, ut ita dicam, nullo verbo facto populus in suffragium missus esset. Nam ὀστρακοφορία ipsa re vera nihil aliud nisi suffragii latio fuit, ut postea demonstrabo. Illud autem abhorrere videtur a vero sapientis legislatoris consilio, qui prohibere voluit, quominus saepissime populus potestate data perverse uteretur. At, ait Valeton, „causa . . . , cur adeo metuendus fuerit ostracismus, haec est, quod regebatur affectibus et cupiditatibus populi sine ullo consilio“.[7]) Verum id non democratiae, sed ochlocratiae proprium esse mihi quidem videtur. Etiamsi autem concedendum esset disceptationes vel suasiones de ostracismo habendo in ἐπιχειροτονίᾳ non factas esse,[8]) tamen probuleuma a senatu factum esse pro certo habeo, id quod res simillima, quam ipse confert Valeton,[9]) demonstrat, ἐπιχειροτονία scilicet τῶν νόμων. Cuius rei senatum participem fuisse cum

[1]) Cf. Mnemos. n. s. XV p. 363.
[2]) cf. ibid. p. 365. 406.
[3]) cf. ibid. p. 365.
[4]) cf. ibid. p. 370 sqq.
[5]) cf. ibid. p. 372 sqq. 376.
[6]) cf. etiam Schoemann »Antiqu.« p. 222 adn. 7; v. supra p. 134 et adn. 4.
[7]) cf. l. l. p. 420.
[8]) Quam sententiam equidem probare non possum; v. supra p. 126 et adn. 5.
[9]) l. l. p. 380 sq.

alii docuerunt tum praecipue R. Schoell.[1]) Sicut igitur in ἐπιχειροτονίαν τῶν νόμων habendam, ita in ἐπιχειροτονίαν demagogorum senatus probuleumate opus est, quod in prima contione sextae prytaniae populo proponitur. Tum populus — disceptatione facta, ut opinor, — senatus probuleuma accipit aut antiquat, h. e. ὀστρακοφορίαν haberi iubet aut vetat.

Quoquo modo autem illa res se habet, utique ratio, quam in prima earum, quae ad ἀδείας dationem habendae sunt, contionum adhibitam puto, alterius populisciti privi, h. e. civitatis donandae, similitudine comprobatur, de qua nunc pauca disseram.

In iis enim comitiis, in quibus de civitate tribuenda primum agebatur, senatus ad populum probuleuma ferret necesse fuit, ita quidem, ut nullo modo prorsus liceret in comitiis civitatis dandae rogationem ferre, nisi ea rogatio sive petitio antea in senatu lata probuleumate instructa esset. Quod decreta πολιτείας, quae extant, aperte demonstrant, in quibus semper formula legitur, qua senatus rogationem probuleumate comprobatam ad populum fert: ἐψηφίσθαι τῇ βουλῇ τοὺς προέδρους οἳ ἂν λάχωσι προεδρεύειν εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν (vel εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν) προσαγαγεῖν τὸν δεῖνα εἰς τὸν δῆμον καὶ χρηματίσαι περὶ αὐτοῦ, γνώμην δὲ ξυμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον, ὅτι δοκεῖ τῇ βουλῇ κτλ.[2]) Itaque secundum hoc solum exemplum etiam in ea contione, in qua quis supplex, ut ἀδείας dandae causa extraordinaria comitia convocentur, petat, probuleuma statuendum est.

Nunc ad alteram contionem, in qua de ipsa venia danda aut deneganda agitur, nos vertamus.

Atque etiam in hac extraordinaria contione probuleuma senatus ad populum delatum esse Gilbert [„Staatsalt.“ I p. 294] putat. Sed quaeritur ante omnia, quid in his comitiis maxime interfuerit. Senatus fuit, cum populus extraordinariam contionem convocandam decrevisset, constituto tempore imperata facere. In priore sane concilio et senatus ad populum probuleuma certis consiliis instructum detulerat et in ipsa disceptatione sup-

[1]) In Sitz.-Ber. d. k. Bayr. Acad. d. Wissensch. (philos.-hist. Classe) 1886 p. 127 sqq.
[2]) cf. e. c. CJA. II 51. 382. — Eadem formula etiam in προξενίας decretis legitur; cf. CJA. II 47. 50. De hac formula probuleumatica cf. Hartel: »Stud.« p. 166 sqq.; cf. etiam Monceaux: »Les Prox. Grecques« p. 12. 78 sqq.

plex causam exposuerat, cur ἄδειαν dari iustum et ipsi populo utile esset. Quodsi populus precibus illius commotus concesserat, ut in extraordinaria contione de ἀδείας datione suffragia ferrentur, omnia in eo posita erant, ut prytanes programmate promulgato contionem convocarent populumque in suffragium mitterent. Quare in his comitiis neque iustum probuleuma neque disceptationem fuisse censeo.[1]) Etenim prius concilium disceptandi facultatem dederat, extraordinarium re omni ratione et cogitatione pertractata ad id tantum constitutum erat, ut populus suffragium iniret.[2])

Atque primum quidem ὀστρακοφορίας — ut ipsum nomen docet — rationem eandem fuisse nemo fere hominum doctorum est, qui dissentiat. Ad hanc igitur ὀστρακοφορίαν id, quod Valeton de ἐπιχειροτονίᾳ exposuit, referendum esse existimo[3]): deliberationem publicam de ea re nullam fuisse neque in senatu neque in concilio populi. Senatus enim in iusta quidem actione et disceptatione una cum populo agit deliberatque, sed in suffragii latione populus solus auctoritate supremi collegii publici non coërcitus summam potestatem exercet, qua usus aut ὀστρακοφορίαν habet aut veniam dat aut civitatis donationem confirmat. Nam τὸ κύριον τῆς πολιτείας nemo nisi ipse populus tenet,[4]) qui ad suum arbitrium summa populiscita priva rata aut irrita facit,[5])

[1]) Quam sententiam cum alii homines docti [cf. Wachsmuth: »Die Stadt Athen im Altert.« I 538, qui haec dicit: »Für einzelne Akte des souveränen Volkes, für die Vornahme des Ostrakismos und wahrscheinlich für einige ähnliche Geschäfte, bei denen die Debatte wegfiel und einfach phylenweise abgestimmt wurde, (wurde die ἀγορά als Versammlungsplatz benutzt)«] tum imprimis Valeton: Mnemos. n. s. XV passim (cf. e. c. p. 27) probaverunt.

[2]) Valeton quidem putat suffragii lationem senum milium semper cum concilio eodem die, sed alio loco habito coniunctam esse; cf. Mnemos. n. s. XV p. 26.

[3]) Ad solam ὀστρακοφορίαν certe haec verba pertinent [l. l. p. 408]: »Tertium argumentum (quo probatur nullas in ostracismo habitas esse deliberationes) certissimum inest in modo et ratione suffragii testularum, quod per scripturam fit«.

[4]) cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I 373; cf. etiam ea, quae Valeton: Mnemos. n. s. XV e. c. p. 390 sqq. 397 de voluntate populi attulit.

[5]) cf. quae de his rebus initio commentationis diximus; v. etiam supra p. 131 adn. 6; praecipue cf. Schoemann: »Antiqu.« p. 100, qui haec dicit: »..in absolutis democratiis... senatus auctoritas aut nulla est aut admodum exigua....., neque quidquam tam certum est definitumque legibus, ut non plus ubique valeat populi arbitrium«. Quae verba ἀδείας naturam potissimum videntur illustrare (v. supra p. 7). Cf. denique Perrot l. l. p. 2 et adn. 1.

cum alias senatus rem publicam gerat et administret secundum decreta τῆς ἐκκλησίας.[1])

Deinde autem is, quem diximus, actionis tenor decretis πολιτείας, quae multa extant, comprobatur. Civitatis enim dandae ratio, quam hoc loco uberius tractare liceat, haec fuit.[2])

Si quis civium ex peregrinorum sive inquilinorum numero aliquem civitate dignum putat, rem aut ipse aut per alium ad senatum refert, qui probuleuma de ea re perscriptum per prytanes populo proponit in contione ordinaria, quo facto disceptatio fit, placeatne populo Atheniensium hunc hominem civitate donare. Quod ita factum esse in πολιτείας decretis formula probuleumatica aperte demonstrat.[3]) Si autem populo civitatem illi impertire visum est, non prius rata est donatio, quam populus in proxima contione[4]) praesentibus minimum sex milibus civium et uno eam

[1]) Cf. Perrot l. l. p. 31 sqq.

[2]) Hanc rem descripsit [Dem.] LIX 89 sq. Praeclare rationem civitatis irrogandae exposuit Meier: »de bon. damn.« p. 57 sq.; Caillemer: »la naturalis. à Ath.« p. 13 sqq.

[3]) cf. e. c. CJA. II 51. — Hoc loco strictim de formula probuleumatica, quae in paucis πολιτείας decretis non legitur, et de praescriptionibus titulorum quorundam agere liceat. In titulo CJA. II 54 additamento (h. e. in ipsis comitiis iusto senatus probuleumate non facto) rogatio civitatis dandae fertur, tum verba: τὴν δὲ ψῆφον δοῦναι κτλ. sequuntur, quibus praescribitur prytanibus, ut de civitatis datione populum in extraordinaria contione mittant in suffragium. Titulo autem hoc est praescriptum: ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, et formula probuleumatica in eo legitur (cf. CJA. II 51. 280); v. de hac re supra 78, 7. In CJA. II 230 fragm. a, in quo titulo legitur formula probuleumatica, in proxima contione populum ad suffragia vocare prytanes iubentur; nihilo tamen secius hoc praescriptum est: ἔδοξεν τῷ δήμῳ, non hoc: ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, quare haec verba sequuntur: ἐψηφίσθαι τῷ δήμῳ. Scriptus est titulus c. Ol. 111; cf. de hac formula Miller: »de decret. Att.« p. 28; cf. etiam Schubert: »de prox. Att.« p. 17, qui de formula in proxeniae decretis adhibita disseruit, et Monceaux: »Lex Prox. Gr.« p. 79 sqq. In CJA. II 300 formula probuleumatica titulo deest; praescriptum hoc est: ἔδοξεν τῷ δήμῳ, itaque num Koehler subscriptionem recte suppleverit: [ἡ βουλή] ὁ δῆμος, dubito [cf. CJA. II 263. 243]. De his rebus Blass in I. Mülleri »Handb. d. klass. Altert.-Wiss.« I p. 451 dicit haec: »Die Sanktionierungsformel der probuleumatischen Dekrete (lautet) auf den Steinen des 5. und 4. Jahrhunderts einmütig: ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ; nach Euklid, genauer nach Ol. 124 [cf. Miller: »de decret. Att.« p. 29], findet sich daneben auch jene kürzere: ἔδοξεν τῷ δήμῳ«.

[4]) De his comitiis v. supra p. 128 adn. 3.

confirmavit;[1]) prytanes igitur programmate promulgato postquam contionem convocaverunt, hic cados ponunt et populo accedenti calculos tradunt,[2]) antequam peregrini[3]) in contionem admissi sunt saeptaque (τὰ γέρρα)[4]) sublata.[5]) Quibus in comitiis non iam disceptatur de civitate danda, sed populus missis ambagibus in suffragium mittitur; quam ob causam probuleuma senatus non statuendum est. Quod ex decretis πολιτείας intellegitur, in quibus hanc formulam legimus:[6]) εἶναι τὸν δεῖνα Ἀθηναῖον αὐτὸν καὶ ἐκγόνους καὶ εἶναι αὐτῷ γράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρίας ἧς ἂν βούληται κατὰ τὸν νόμον, τοὺς δὲ πρυτάνεις τοὺς τὴν εἰσιοῦσαν πρυτανείαν πρυτανεύοντας δοῦναι περὶ αὐτοῦ τὴν ψῆφον τῷ δήμῳ εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν.[7]) Verba autem: τοὺς δὲ πρυτάνεις.... δοῦ-

[1]) Oncken: »Staatsl.« II 457 putat Clisthenem primum rationem civitatis dandae posteriore aetate usitatam adhibuisse; cum enim ille haec dicat: »Man darf zuversichtlich annehmen, dass das Verfahren, das in der späteren Zeit bei Einführung von Neubürgern rechtens war, von ihm (i. e. a Clisthene) zuerst angewendet worden ist«, ea ad senum milium suffragii lationem institutam pertinere videtur existimare. Busolt autem secundum Aemilii Szántó sententiam [cf. N. Rhein. Mus. XL p. 507 adn. 1] id ante annum 369 et post Euclidem archontem demum (i. e. inter annos 400 et 370 a. Chr. n.) factum esse probavit l. l. § 154 p. 139, 7; cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 2 et adn. 2 sqq. p. 3 sq. Quod ad senum milium suffragium in ὀστρακοφορίᾳ ferendum attinet, Clisthenem id instituisse Valeton contendit [l. l. XVI p. 10], id quod non veri dissimile est. In ostracismo igitur habendo senum milium suffragii latio prima est adhibita. Quo autem tempore hoc suffragium de impunitate danda institutum sit, non satis liquet: fortasse id quoque iam Clisthenis aetate factum est, si quidem ille ἄδειαν publice instituit (v. supra p. 7); utique autem, ut ait Valeton (l. l. XV p. 4) »haec senum milium actio... ad quintum etiam saeculum pertinere videtur«. Quod si verum esset, hoc de impunitate danda suffragium senum milium tempore antiquius esset quam illud de civitatis datione confirmanda [cf. Valeton l. l. XV p. 3]; quamquam argumentum, quod Valeton affert, non certum est; v. supra p. 119 adn. 4.

[2]) Alia res est: εἰσφέρειν τὸ ὄστρακον; cf. Valeton l. l. XVI p. 15 sq.

[3]) v. de hac re p. 89 adn. 6.

[4]) De his cf. Valeton l. l. XV p. 27 sqq.

[5]) Rem accurate descripsit Valeton l. l. XV p. 31 sq.

[6]) cf. CJA. II 243. 272. 273. 288. 361. Decreta collata affert Hartel: »Stud.« p. 272 sq.; cf. Gilbert: »Staatsalt.« I p. 176, 2; Caillemer l. l. p. 14 sqq. 38 sqq.; Buermann: Jahrb. f. klass. Phil. Suppl. X p. 347; Szántó: »Unters. üb. d. att. Bürgerrecht« in »Unters. aus d. alt. Gesch.« p. 19 sqq.

[7]) Haec, quae extant, decreta post primam actionem sunt in tabulis inscripta, deinde collocata. In his prytanes alteram contionem constituere iu-

ναι... τὴν ψῆφον, quae nihil aliud nisi suffragia a populo ferenda significant, ad alteram contionem, qua donatio rata fit, pertinere dilucide intellegitur ex titulo Attico [CIA. II 309 vs. 29 sqq.], ubi haec leguntur: το[ὺς δὲ πρυτάνεις οἳ ἂν τυγ]χάνωσιν πρυτανεύοντ[ες δοῦναι τὴν ψῆφον περὶ τῆ]ς δωρεᾶς ἐπειδὰν ἐπικυ[ρωθῇ, εἰσαγαγεῖν δὲ τὴν δ]οκιμασίαν τοὺς θεσμ[οθέτας..., et ex populi decreto, quod extat in CIA. II 300 vs. 46 sqq., ubi legimus haec: τοὺς δὲ πρ]υτάνεις δοῦναι περὶ [αὐτοῦ τὴν ψῆφον] εἰς τὴν πρώτην ἐκκλη[σίαν, τοὺς δὲ θεσ]μοθέτας εἰσαγαγεῖν [αὐτῷ τὴν δοκιμ]ασίαν.... Nam examen in iudicio heliastico tum demum factum est, cum populus maximo in comitiatu donationem ratam fecerat.[1]) Confirmato igitur a contione psephismate Atheniensium cuilibet, cui potestas est (h. e. τοῖς ἐπιτίμοις), rogatorem παρανόμων in iudicio accusare licet.[2]) Quodsi heliastae illud decretum contra leges factum esse iudicaverunt, rescinditur donatio. Posterioribus autem temporibus γραφῆς παρανόμων vice δοκιμασία[3]) omnium novorum civium in heliastico iudicio facta est, cui donatio diiudicanda commissa est.[4]) Velut in titulo allato [CIA. II 300 vs. 46 sqq.]

bentur, qua donatio rata fiat. Horum autem extraordinariorum comitiorum tabulae non extant; cf. »Wien. Stud.« I 282.

[1]) cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 25; Szántó l. l. p. 20 sq., qui secundum sententiam Harteliana eam, de qua agitur, formulam non ad secundum, sed ad tertium concilium pertinere dicit.

[2]) cf. [Dem.] LIX 90; Gilbert I p. 176,1; Busolt § 16 p. 16. § 154 p. 139, 5; Caillemer: »la naturalis. à Ath.« p. 13 sqq.; Szántó l. l. p. 7 sqq.

[3]) cf. Gilbert I p. 176,1; Schubert: »de prox. Att.« p. 45,2; Buermann l. l. p. 361; Szántó l. l. p. 2. 7 sqq. 18 sq.; Busolt l. l. § 154 p. 139, 8; Caillemer l. l. p. 15. 39. Ea, quam supra diximus, sententia id refutatur, quod Fränkel: »Die att. Geschworenenger.« p. 34 sqq. exposuit.

[4]) Id rogatori quidem donationem non difficiliorem, sed potius faciliorem reddidisse equidem opinor. Nam rogator, cum παρανόμων eum accusare liceret, periculum non parvum adibat. Peregrinis autem donatio δοκιμασίᾳ instituta difficilior est facta; cf. Busolt § 154 p. 139; cf. etiam Szántó l. l. p. 19, qui de hac re dicit: »Man machte also einen Fortschritt von der willkürlichen Gerichtsverhandlung (γραφὴ παρανόμων) zur regulären, gesetzlich fixierten (δοκιμασία)«. — Hartel quidem, qui (»Stud.« p. 275) haec dicit: »...der Strafverhängung über den Antragsteller geschieht weder bei Ps.-Plutarch (ubi γραφῆς παρανόμων contra civitatis dationem instructae mentio fit) noch bei Aeschines R. g. Ktes. § 195 Erwähnung; erst Max. Planudes zu Hermog. V 343 W. weiss von einer Geldbusse des Thrasybulos zu melden«, γραφὴν παρανόμων, de qua hic agitur, non adhibitam vult, ut ipsius verbis (»Stud.« p. 271) utar: »im strengtechnischen Sinn«; sed id reiciendum

haec leguntur: τοὺς δὲ πρ]υτάνεις δοῦναι περὶ [αὐτοῦ τὴν ψῆφον]...., τοὺς δὲ θεσ]μοθέτας εἰσαγαγεῖν [αὐτῷ τὴν δοκιμ]ασίαν τῆς πολιτείας [καὶ τῆς δωρεᾶς] εἰς τὸ δικαστήριον κα[τὰ τὸν νόμον...[1]) Sed haec hactenus.

Itaque omnia, quae singillatim exposui, complexo hoc mihi statuendum est: in extraordinaria contione vel in senum milium suffragii latione nec iustum probuleuma, quod omnino non semper opus fuisse Miller [„de decretis Atticis“ p. 7] recte demonstravit, nec disceptationem factam esse aut de ὀστρακοφορίᾳ habenda aut de civitatis donatione comprobanda aut de ipsa venia danda.

Postremo ad eam ordinariam contionem nos vertamus, in qua e. c. debitori publico cum populi venia remissionem rogare licebat. Atque primum quidem ante comitia habita ὁ ὀφείλων τῷ δημοσίῳ in senatu remissionis rogationem fert. Deinde autem in contione senatus consessui proxima, cuius programma

esse puto; cf. Gilbert I p. 176 adn. 1; Szántó l. l. p. 8; cf. etiam Hofmann: »de iurandi formulis« p. 11 et adn. 2.

[1]) cf. CJA. II 309. 312. 318. 397. — In CJA. II 395 (factum est hoc psephisma medio fere saeculo a. Chr. n. tertio) decernitur a populo civitatem homini cuidam dandam esse, si δοκιμασίᾳ probatus sit. Altera autem contio, quae ad dationem confirmandam habenda est ante δοκιμασίαν, non commemoratur [cf. Hartel: »Stud.« p. 273, qui etiam alia exempla affert]. Paulo discrepat titulus in CJA. II 401, ubi decernitur hominem quendam probatum δοκιμασίᾳ civitate donandum, δοκιμασίαν autem thesmothetis instruendam esse; deinde haec leguntur: καὶ [δ]οῦναι περὶ [αὐ]τοῦ τὴν ψῆφον καὶ μή- - - - -αι αὐτο- -. Idne ad thesmothetas an ad prytanes pertinet? In titulo, qui in CJA. II 455 extat, formulam probuleumaticam et ius coronae a populo decretum (vs. 9) haec sequuntur: [δεδό]σθαι δὲ αὐτῷ καὶ πολιτείαν [κατὰ τὸν νόμον αἰτησα][μέν]ῳ· τοὺς δὲ θεσμοθέτας κτλ. Alterius contionis mentio non fit (cf. Hartel: »Stud.« p. 273, qui ita suppleri vult: [δεδό]σθαι δὲ αὐτῷ καὶ πολιτείαν [δοκιμασθέντι ἐν δικαστηρί]ῳ). Ex quibus rebus Fränkel: »Die att. Geschworenenger.« p. 37 collegit illo tempore δοκιμασίαν alterius contionis vicem praestitisse; cf. Hartel: »Stud.« p. 275 sq.; Buermann l. l. p. 349; Caillemer l. l. p. 15; Szántó l. l. p. 24, qui illo tempore civitatem statim in prima (vel secundum sententiam Hartelianam: in altera) contione a sex milibus civium decretam esse putat; Gilbert autem: Jahrb. f. klass. Phil. 1879 p. 230 etiam tum duabus contionibus opus fuisse statuit his verbis: »Sie (i. e. die dritte Formel) sagt vom Standpunkte der vollendeten, doppelten Volksabstimmung ‘es sei dem Betreffenden das Bürgerrecht erteilt’... — De formularum speciebus in decretis πολιτείας adhibitis cf. tabulas apud Caillemer l. l. p. 38—40; Szántó l. l. p. 2; cf. etiam Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 2.

antea promulgatum est, senatus rogationem probuleumate instructam populo proponit et rogator, sive debitor ipse sive alius quis, causis expositis remissionem a populo petit, qui rogationem aut probat aut antiquat. Quam rem Demosthenes [XXIV 47] his verbis descripsit: καὶ ὁ μὲν νόμος, οὐδ' ἐπειδὰν τὴν ἄδειαν εὕρηταί τις, ἔδωκεν ὡς ἂν βούληται πράττειν, ἀλλ' ὡς ἂν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δοκῇ· et ibidem: ...ἀλλὰ καὶ προσέτι οὐκ εἰς τὴν βουλήν, οὐκ εἰς τὸν δῆμον εἰπὼν περὶ τούτων οὐδέν....[1]) Haec igitur oratoris verba ultimam legis a Demosthene [XXIV 45] commemoratae paragraphum confirmant, ubi leguntur haec: τότε (sc. ψηφισαμένων Ἀθηναίων τὴν ἄδειαν πρῶτον) δ' ἐξεῖναι χρηματίζειν καθ' ὅ τι ἂν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δοκῇ. Denique etiam alia Demosthenis [XXIV 48] verba huc pertinent: εἴ τι δίκαιον ἐβούλου πράττειν, πρῶτον μὲν πρόσοδον γράψασθαι πρὸς τὴν βουλήν, εἶτα τῷ δήμῳ διαλεχθῆναι, καὶ τόθ' οὕτως, εἰ πᾶσιν Ἀθηναίοις ἐδόκει, γράφειν καὶ νομοθετεῖν περὶ τούτων. Verba autem: πρῶτον μὲν πρόσοδον.....διαλεχθῆναι ad ea ordinaria comitia, quae veniam datam sequantur, referenda esse verba antecedentia: καὶ τόθ' οὕτως, εἰ πᾶσιν Ἀθηναίοις ἐδόκει,[2]) docent.[3])

Cap. IV. De loco, quo comitia ἀδείᾳ dandae habita sunt.[4])

Tituli Attici, quorum nunc magna copia extat, cum multa et nova nos docent tum ea loca, quibus populi contio de salute

[1]) Cf. etiam initium legis, quae extat apud Demosthenem XXIV 50.

[2]) cf. initium psephismatis Patroclidis ab Andocide de myst. § 77 commemorati.

[3]) Haec, ut demonstravi, beneficii, ad quod irrogandum ἀδείᾳ rogatori opus erat, psephismate tribuendi ratio fuit. Quod tamen ad eiusmodi beneficium lege priva impertiendum attinet, quoniam in lege ferenda senatus populusque et nomothetae h. e. iudicium heliasticum [cf. Fränkel: »Die att. Geschworenenger.« p. 23 sqq.] una agebant [de nomothesia Attica R. Schoell: Sitz.-Ber. d. k. Bayr. Acad. d. Wiss. 1886 p. 83 sqq. praeclare egit; cf. imprimis p. 127 sqq.], praeter ultimam in senatu comitiisque actionem a nomothetis de hoc privilegio concedendo deliberaretur, necesse erat [cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 273 sqq.]. Velut immunitatem, qua quis frueretur, aut lege aut populiscito constitutam esse Demosthenes XX 131 affirmat [cf. »Wien. Stud.« VII 64; cf. etiam CJA. II 115b]. At vero in hoc privilegio de ἀδείᾳ danda cogitari non posse supra p. 84 demonstrare studui. Omnino Valeton [Mnemos. n. s. XV p. 7. 15 sqq.] quidem privilegia in iure Attico fuisse negat; v. supra cap. I initio (p. 113,1).

[4]) Ea, de quibus hoc loco sermo fit, ad solam rogandi veniam pertinere videntur.

rei publicae gravissima cepit consilia, accuratissime significant: velut contiones in theatro,[1]) in Dionysi templo,[2]) in Piraeo,[3]) quarum nostris quidem temporibus certiores habemus notitias, quam antea id fieri potuit. Verum ne ex titulis quidem, num quando ἐκκλησίαι ἐν τῇ ἀγορᾷ fuerint vel, ut aliter sententiam explicem, quo loco populiscitis privis irrogandis comitia habita sint, cognoscitur; nec monumenta litterarum quidquam de re proposita tradunt, quare ex ὀστρακοφορίας similitudine ea, de qua agitur, res colligenda est.

Populum enim in ὀστρακοφορίᾳ tributim in foro[4]) suffragia tulisse apud Plutarchum legimus, qui [in vita Aristidis cap. VII] rationem ὀστρακοφορίας habendae copiosius his descripsit: Ὄστρακον λαβὼν ἕκαστος καὶ γράψας ὃν ἐβούλετο μεταστῆσαι τῶν πολιτῶν, ἔφερεν εἰς ἕνα τόπον τῆς ἀγορᾶς περιπεφραγμένον ἐν κύκλῳ δρυφάκτοις. Οἱ δ' ἄρχοντες πρῶτον μὲν διηρίθμουν τὸ σύμπαν ἐν ταὐτῷ τῶν ὀστράκων πλῆθος· εἰ γὰρ ἑξακισχιλίων ἐλάττονες οἱ γράψαντες εἶεν, ἀτελὴς ἦν ὁ ἐξοστρακισμός.[5]) De ὀστρακοφορίᾳ igitur id valuisse constat. Ex omnium autem ψηφισμάτων ἐπ' ἀνδρί inter sese similitudine senum milium suffragia semper tributim in foro lata esse a populo E. Curtius [„Att. Stud." II 40[6])] coniectavit. Nam, ut tributim in ὀστρακοφορίᾳ testae[7]) a populo ferrentur,[8]) lex erat, quoniam haec aliquanto commodior erat ratio et decuplo brevior,[9])

[1]) Cf. CJA. II 377. 381. 392.

[2]) cf. CJA. II 307.

[3]) cf. CJA. II 401. 417; Reusch: »de dieb. cont. ordin.« p. 4.

[4]) Quare poeta quidam (cf. Hesych. s. v. κεραμ[ε]ικὴ μάστιξ) non infacete de »κεραμικῇ μάστιγι« dicit. De hac re cf. schol. ad Arist. Equ. 855; Philoch. fr. 79b; Lex. Rhet. Cantabr. (ed. Pors.) p. 675, 12 sqq. (ed. Houtsma p. 24); Poll. VIII 20; Schoemann: »de com. Ath.« p. 244 sq.; eundem: »Gr. Alt.« I 398; Perrot: »le droit publ.« p. 7 sq. 43; Wachsmuth: »Die Stadt Athen im Altert.« I p. 538.

[5]) cf. Schoemann: »de com. Ath.« p. 245. — De archontibus huic muneri praefectis cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 26.

[6]) vel in Abhdl. d. k. Ges. d. Wiss. zu Gött. XII 156; cf. eundem: Monatsber. d. Berl. Akad. d. Wiss. 1878 p. 86 sq.; Gilbert: »Staatsalt.« I p. 271 et adn. 5; Busolt: »Gr. Alt.« § 189 p. 170; Wachsmuth l. l. I 538; cf. etiam Valeton l. l. XV p. 25.

[7]) De his cf. Valeton: Mnemos. n. s. XVI p. 16 sqq.

[8]) De modo eius suffragii lationis cf. Valeton ibid. p. 12 sqq.

[9]) cf. Fränkel: »Die att. Geschworenenger.« p. 15.

imprimis autem propter huius contionis sollemnitatem. Quod aeque ad omnes senum milium suffragii lationes pertinet, in quibus non pars populi comitia habet, sed totus populus — aut qui eius vice funguntur —, ut summa potestate utatur.[1]) Haec autem comitia nullo alio loco habebantur nisi in foro.[2]) Quo civitas vetere et sollemni more, ut collegii instar de rebus gravissimis consilia caperet, convenit „κατὰ φυλάς",[3]) quarum heroes in proximo Areo colle collocati erant.[4]) In ipso medio foro arae Duodecim Deorum[5]) fuerunt, quibus praesentibus populus summum ius exercuit, nec procul Misericordiae ara, qua supplices perfugio utebantur.[6]) Denique hoc loco, ut Curtius[7]) studuit demonstrare, antiquus expiationis locus fuit, Leocorium,[8]) quo populum in his sollemnibus contionibus vetere more usum esse videtur verisimile. Nam piacula et lustrationes cum unicuique actioni publicae antecedebant,[9]) tum imprimis populi conciliis; sollemnitas autem sacrorum ante illa comitia, in quibus ψηφίσματα ἐπ' ἀνδρί rata fiebant, immolatorum Leocorii sanctitate aucta est. Haec igitur nova et gravis causa videtur esse, cur comitia ἀδείᾳ dandae hoc loco habita sint. Accedit, quod, ut supra demonstrare studuimus,[10]) in ἀδείᾳ notio aliqua ad res

[1]) V. supra cap. III passim.

[2]) De voce ἀγορᾶς, qua ἐκκλησία significatur, cf. e. c. Curtius: Abhdl. d. Gött. Ges. d. Wiss. XII 127; Wachsmuth l. l. I p. 486 et adn. 3; Paulyi: »Real-Encycl.« I 1 p. 579.

[3]) cf. Busolt § 189 p. 171,2; Valeton l. l. XV p. 31.

[4]) cf. Bursian: »Geogr. v. Griech.« I p. 283.

[5]) De hac ara cf. Herod. VI 108; Thuc. VI 54,6; Lyc. adv. Leocr. 93. De eius situ cf. Wachsmuth l. l. I p. 200. 201 et adn. 1; Bursian l. l. I p. 281.

[6]) De arae situ cf. Wachsmuth l. l. I p. 211 adn. 7. 212.

[7]) cf. Monatsber. d. Berl. Akad. 1878 p. 77 sqq.

[8]) Thucydides I 20,2 id commemorat his: τὸ Λεωκόριον καλούμενον; cf. Dem. LIV 7. De situ Leocorii cf. ea, quae Wachsmuth exposuit I 204,1. 212,2 sq. — Forum eorum conciliorum, de quibus agitur, locum fuisse nemo fere est, qui neget; sed quae pars fuerit, in eo non consentiunt homines docti. A Curtio dissentit Valeton l. l. XV p. 32 adn. 1.

[9]) cf. Harpocr. s. v. καθάρσιον (quem locum Suidas s. v. exscripsit): Ἔθος ἦν Ἀθήνησι καθαίρειν τὴν ἐκκλησίαν καὶ τὰ θέατρα καὶ ὅλως τὰς τοῦ δήμου συνόδους μικροῖς πάνυ χοιριδίοις, ἅπερ ὠνόμαζον καθάρσια; Curtius: Monatsber. d. Berl. Akad. 1878 p. 81.

[10]) v. supra libri alterius cap. I s. f.

sacras pertinens et ea expiationis cuiusdam fuit. Potuitne igitur aptior ad eam dandam locus inveniri quam forum, si quidem Leocorium ibi fuit? Adde, quod e. c. ei ἀδείᾳ opus fuit, qui, ut ex aerario deorum pecuniae in usum publicum et profanum depromerentur, rogaturus erat, quae rogatio, quia deos ipsos violabat, praecipue expianda erat. Sed id, quamquam probabile videtur, pro certo dici non potest. Id unum tenendum est, ut opinor, de ἀδείας datione in foro suffragia lata esse a populo, id quod iam Augustus Boeckh [„Staatsh. d. Ath." II³ p. 51] coniecit. Verum vir doctissimus, qui ἀγοράν ordinarium comitiorum locum fuisse putat, de perfectae quidem democratiae temporibus in eo mihi videtur errare. Nam antiquioribus tantum temporibus si non semper, tamen plerumque in foro comitia habita sunt,[1]) quem morem usque ad postrema tempora populus tenebat, cum tota civitas collegii instar conveniebat,[2]) et tum quidem forum extraordinarius locus extraordinariarum contionum fuit.

His extraordinariis comitiis, in quibus de ipsa venia danda aut deneganda agebatur, ordinaria antecessisse demonstravimus, in quibus rogatorem supplicis nomine populum adire necesse erat. Quae ordinaria comitia non in foro, sed multis aliis comitiorum locis habita esse per se ipsum intellegitur. Supplices enim aut in ara Matris Deorum aut Misericordiae considere solebant aut in ara Dianae Munichiae aut aliis locis sacris,[3]) dum in senatum[4]) aut in contionem productis facultas daretur impune a populo, ut extraordinaria contio convocaretur, petendi, in qua ipsis venia rogationis cuiusdam ferendae irrogaretur. Atque Gilbert quidem [„Staatsalt." I p. 294] supplices omnes in ara Pnycis ramum oleae posuisse putat. Sed constitutum locum omnino non

[1]) Cf. Schoemann: »Gr. Alt.« I p. 382; eundem: »Antiqu.« p. 219 sq. Perrot: »le droit publ.« p. 4 sqq.; Wachsmuth l. l. I p. 487 sqq.

[2]) cf. Wachsmuth l. l. I p. 490. 538.

[3]) Matris Deorum et Misericordiae arae, ut supra 120,6 dixi, in foro erant; cf. Aesch. I 60; Paus. I 17,1; Wachsmuth l. l. I 211 sq. De ara Dianae Munichiae cf. Lys. XIII 24 et Frohbergeri adn. ad h. l.; v. etiam supra p. 112,3.

[4]) In tholo (aut in curia) κοινὴ ἑστία erat, qua supplices utebantur perfugio [de hac re cf. Preller: »Gr. Mythol.« I⁴ 425; Curtius: Abhdl. XII 175 sqq.; v. supra p. 134 adn. 5]; itaque id quoque fieri potuisse opinor, ut supplices statim ad illam aram confugerent.

fuisse equidem opinor. Itaque cum prytanes edixissent, quo loco illa contio, in qua impune verba facere (ἀδεῶς λέγειν) liceret, haberetur, supplices ad aram aliquam eo loco exstructam se conferebant, ut in tutela dei essent. Quod quinto et imprimis quarto a. Chr. n. saeculo plerumque in Pnyce factum esse verisimile est.[1]) Sed Munichiae[2]) quoque comitia habita esse accepimus,[3]) tum supplices saepissime ad aram Dianae Munichiae[4]) confugisse opinor.[5])

Nunc ad eam contionem, in qua de ipsius veniae rogandi datione actum est, redeamus. Quam ex ὀστρακοφορίας similitudine in foro habitam esse pro certo statuendum est. Atque eodem loco quin

[1]) Nam Pnyx illo tempore ordinarius comitiorum locus fuit; cf. Gilbert I p. 270,4; Wachsmuth l. l. I 538; Busolt § 189 p. 170, 2.

[2]) in theatro scilicet; cf. Wachsmuth l. l. I 320; Bursian l. l. I 269.

[3]) cf. Thuc. VIII 93; Xen. H. Gr. II 4,32; Lys. XIII 32. 55. — Posterioribus temporibus plerumque in theatro comitia habebantur; »ἀρχαιρεσίαι« tantum in Pnyce fiebant; cf. Poll. VIII 133; Hesych. s. v. πνύξ; Busolt § 189 p. 170, 4 sq.

[4]) cf. Wachsmuth l. l. I p. 319 sq.

[5]) Omnino cum contiones aut in urbe aut in Piraeo erant constitutae, tum eo se conferebant supplices. Et priore quidem aetate tantum rerum navalium causa in Piraeo contiones habebantur, posteriore autem saepius; cf. Gilbert I 271 et adn. 4; Busolt § 189 p. 170,5. — De titulis Atticis huc pertinentibus cf. Reusch l. l. p. 4 sq. — Alia ἀδείας acquirendae μηνυταῖς causa fuerit, si quidem id populiscitum privum in eadem contione, in qua μηνυτής supplex rogabat, ratum est factum. Quod si verum est, ad eam solam contionem scriptorum, imprimis oratorum, loci pertinent, quibus μηνυτήν aliquem supplicis ritu Munichiam aut in forum ad aras quasdam confugisse significatur. Plerumque inquilinos quidem, qui in Piraeo habitabant, Munichiam aut in forum, ubi cives peregrinique negotia gerebant, se contulisse constat. [Utrum illis locis semper de urbis foro (de hoc cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 25; cf. etiam Paulyi: »Real-Encycl.« I 1 p. 580 sq.; Curtius: Abhdl. d. Gött. Ges. XII 159 sq.; Bursian l. l. I p. 280 sq.) an interdum de ἀγορᾷ Piraei (ἡ Ἱπποδάμειος ἀγορά; cf. Bursian l. l. I p. 269 et adn. 1) cogitandum sit, non satis liquet.] Velut Menonem, Phidiae indicem, in foro supplicem consedisse accepimus; cf. Plut. Per. XXXI. Agoratus Munichiae in ara supplex invenitur, quia postea Munichiae in theatro comitia habita sunt; cf. Lys. XIII 24. 32. Nec secus illa loca in indiciis a servis factis saepe commemorantur. — Ceterum scriptorum loci, quibus de impunitate μηνυταῖς concessa agitur, argumento esse possunt, quod illa ἄδεια in eadem contione petita et rata facta est; cf. de hac re e. c. Lys. XIII 55: ...ὅτε ἡ ἐκκλησία Μουνιχίασιν ἐν τῷ θεάτρῳ ἐγίγνετο. . ., παράγει αὐτὸν εἰς τὸν δῆμον καὶ εὑρίσκονται αὐτῷ [statim in illa videlicet contione, id quod in omnibus indiciis factum esse verisimile est] ἄδειαν. De hac igitur impunitate, omnino de hoc ἀδείας genere [de quo s. B egi], non in foro suffragia lata esse opinor.

civitatis donatio sex milium civium suffragiis confirmata sit, non dubito.[1]) In foro igitur comitia illa fuerunt, in quibus prytanes nihil aliud nisi populum in suffragium miserunt; contio autem praecedens, in qua populus peregrinum aliquem civitate donandum esse decrevit, modo in Pnyce, modo in Piraeo, modo in theatro habita est. Velut ἐκκλησίαν ἐμΠειραιεῖ civitatem tribuisse titulus [CIA. II 401] docet, sed id decretum nondum ratum fuisse verba, quae sequuntur, aperte demonstrant.[2])

Iam absoluta quaestione de ἀδείας dationis modo actionis tenorem paucis repetere liceat; utque res clarior fiat, exemplo utar eo, de quo Demosthenes copiosius egit, debitorum remissionem dico.

In aliqua quattuor prytaniae cuiusque contionum ordinariarum debitori aerarii, postquam in foro aut Munichiae aut aliis locis sacris supplex factus senatum, ut in contionem produceretur, oravit, impune rogare licet, ut in contione extraordinaria de veniae rogandi datione agatur. Deinde senatus probuleumate perlecto disceptationeque facta prytanes populum in suffragium mittunt. Quodsi populus extraordinaria comitia haberi iussit, constituto tempore, plerumque in proxima[3]) contione,[4]) prytanes programmate promulgato populum extra ordinem convocant, in quibus comitiis probuleumate senatus ad populum non delato nec deliberationibus habitis nihil aliud nisi veniam aut irroget ille aut deneget. Quae comitia sollemni modo in foro facta sunt, ubi populus universus tributim (κατὰ φυλάς) et occulto (κρύβδην) calculis (ψήφοις)[5]) suffragium init, cui rei prytanes[6])

[1]) Cf. Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 25 sq.

[2]) Comitiorum, quae ad confirmandam aut antiquandam civitatis dationem habita sunt, tabulae non extant; v. supra p. 140 adn. 7.

[3]) De constituto horum comitiorum tempore in civitatis decretis cf. e. c. CJA. II 54, ubi haec leguntur: τὴν δὲ ψῆφον δοῦναι . . . . ἐν τῆ[ι π]ρώτῃ ἐκκλησίᾳ (vel in aliis titulis haec: εἰς τὴν πρώτην ἐκκλησίαν); CJA. II 243. 272. 273; Hartel: »Stud.« p. 207; Szántó: »Untersuch.« p. 21 sqq. Haec autem verba: τὴν δὲ ψῆφον δοῦναι κτλ. ad extraordinariam contionem pertinere supra (p. 141) dixi. — Ceterum haec quoque res hominibus doctis, quibus sententia Harteliana probatur, magnam affert difficultatem; cf. e. c. Szántó l. l. p. 21 sqq.

[4]) vel potius ante hanc ipsam contionem, si quidem senum milium suffragii latio non specialis ἐκκλησία fuit; v. supra p. 138 adn. 2.

[5]) In ostracophoriis tantum. testae a populo latae sunt.

[6]) Ostracophoriis quidem novem archontes et senatores praefecti erant, id quod ad illa tempora quadrat, quibus ostracismus institutus et adhibitus

praesunt. Atque si minimum sex milia civium et unus suffragia tulerunt, ψήφισμα ἐπ' ἀνδρί confectum est. Quod maiori parti placuerat, ius ratumque fuit h. e., si populus veniam denegarat, nihil amplius de hac re actum est; sin dederat, ante proximam contionem ordinariam de debiti remissione rogator cum senatu egit, antequam in ipsis comitiis apud populum verba fecit. Senatus autem probuleuma ad populum defert, quod accipere aut mutare aut antiquare ei liberum est. Qua in actione rogator suae causae defendendae ipse facultatem habet. Quodsi populus remissionem scivit, quaestores eius, cui summa debeatur, aerarii nomen debitoris expungere iubentur.[1]) Tum demum τὸν ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ debitum solvisse fictum et in pristinum statum capite deminutus restitutus est.

est; cf. Philoch. fr. 79b; Lex. Rhet. Cantabr. (ed. Houtsma) p. 24; Valeton: Mnemos. n. s. XV p. 26.

[1]) cf. Andoc. de myst. § 77 sqq.

Addenda et Corrigenda.

p. 1 adn. 2 vs. 3 lege: II (Lips. 1875)
p. 3 adn. 3 adde haec: In libro altero editione recentissima (i. e. tertia) usus sum.
p. 4 adn. 1 vs. 2 adnota haec: Aliis locis Hermanni »Antiquitates publicas« sic laudavi: »Gr. Altert.« I, aliis sic: »Gr. Staatsalt.«; editione usus sum quinta, uno loco sexta, ubi id adnotavi.
p. 9 vs. 3 lege: cur,
p. 9 vs. 27 lege: *impunitas commissi delicti*
p. 12 adn. 1 vs. 3 post (§ 23 et 27). adde haec: Sed de hac re v. infra p. 99 adn. 3.
p. 12 adn. 1 vs. 4 lege: licuit;
p. 14 vs. 21 dele comma post neglegitur
p. 16 adn. 1 vs. 7 lege: esset;
p. 16 adn. 5 vs. 3 lege: coniecit: εἰ
p. 16 adn. 5 vs. 7 dele punctum ante Ceterum
p. 17 adn. 6 vs. 1 adde post adn. 1; haec: cf. etiam 14, 2
p. 21 vs. 9 lege: ὁ
p. 23 adn. 4 vs. 1 lege: in-
p. 24 adn. 6 vs. 1 lege: eis debitoribus
p. 25 adn. 4 vs. 2 lege: p. 22 sq.
p. 27 adn. 3 vs. 4 lege: Thumser:
p. 27 adn. 8 adde haec: De ἀντιδόσει alii aliter sentiunt homines docti; cf. adnot. Fränkelii 883 ad Boeckhii »Staatsh.« I[3] 675.
p. 28 adn. 5 adde haec: Cf. etiam Thumser: »Wien. Stud.« VII p. 60 adn. 55 (qui — non secus ac Busolt l. l. — ad verba vs. 1 allata CJA. II 411 per errorem laudat).
p. 30 vs. 18 lege: trierarchiae
p. 32 vs. 20 lege: ratio quaestuum (sic enim apud Tacitum legitur!)
p. 32 vs. 27 comma post dederit delendum est
p. 33 adn. 3 vs. 2 lege: p. 229 sq.
p. 33 adn. 4 vs. 2 lege: p. 229 sqq.
p. 33 adn. 5 vs. 3 lege: venditata essent. Ibidem adde haec: Si bona venissent, pretium redditum esse Meier arbitratur.
p. 34 adn. 4 vs. 3 verba: adn. 47 delenda sunt
p. 35 adn. 3 vs. 2 dele comma post erant
p. 36 adn. 8 vs. 3 adde post »Die athen. Gerichtsverf.« haec: (Colon. 1822)

p. 37 adn. 1 vs. 1 Meieri locus, quem laudavi, huc non pertinet.
p. 38 adn. 1 vs. 3 lege: Caillemer in »Dict. des antiqu.« I 66. —
p. 39 vs. 12 lege: constitutae essent.
p. 41 vs. 10 lege: <περὶ ἀφέσεως>
p. 42 vs. 10 lege: expers esset,
p. 44 adn. 3 post pertinent, adde haec: i. e. ad cap. I, ubi de ea ἀδείᾳ agebamus, qua summam potestatem (τὸ κύριον) violaturis opus fuit.
p. 45 vs. 3 lege: quaestores
p. 45 vs. 8 lege: est,[1])
p. 45 adn. 5 adde: Cf. etiam Fränkelii adn. 739 ad Boeckhii »Staatsh.« I[3] 525.
p. 46 adn. 12 vs. 1 lege: »de pecuniis sacris in Parthenonis opisthodomo«
p. 47 adn. 4 adde haec: Cf. etiam Schaefer: »Demosth. u. seine Zeit« I[2] (Lips. 1885) p. 209.
p. 48 vs. 15 lege: qui imminente
p. 50 adn. 6 vs. 11 adde haec: Ceterum num Solonis iam temporibus ἀδείας institutum publicum valuerit, nescio equidem; v. supra p. 7.
p. 59 adn. 3 vs. 3 lege: CJA.
p. 60 vs. 17 et 20 lege: aut (epistata)
p. 61 adn. 1 vs. 1 lege: l.
p. 61 adn. 3 vs. 6 sqq. adde haec: Locum, quem Hartel: »Stud.« p. 132 de Koehlero deprompsisse dicit, equidem l. l. invenire non potui.
p. 61 adn. 3 vs. 22 punctum ante — delendum est
p. 76 adn. 3 vs. 12 lege: περὶ ἱερῶν
p. 80 vs. 30 post iudicavit dele comma
p. 80 adn. 2 lege: »Antiqu.«
p. 90 adn. 3 vs. 5 lege: fuit.
p. 91 vs. 10 post verba: ad priorem commentationis partem, insere haec accuratius ad eam partem, de qua sub A. egimus,
p. 92 adn. 2 vs. 6 adde haec: Cf. Caillemer in »Dict. des antiqu.« s. v. δημόσιοι fascic. 12 (1888) p. 92 sq.
p. 92 adn. 4 vs. 3 post 354; adde: cf. Caillemer in »Dict. des antiqu.« s. v. δημόσιοι p. 92.
p. 92/93 adn. 7 vs. 13 lege: Schenkl l. l.
p. 104 adn. 3 vs. 3 lege: ἀεὶ]
p. 104 adn. 4 vs. 1 lege: Büchsenschütz:
p. 108 adn. 7 lege: Meier
p. 110 vs. 26 lege: homines docti olim credidissent.
p. 115 adn. 5 vs. 2 lege: Fränkel: »Die att. Geschworenenger.« p. 92 adn. 1
p. 118 adn. 1 vs. 2 lege: p. 124/5
p. 129 adn. 3 vs. 3 lege: adn.
p. 131 adn. 5 vs. 2 lege: coepit Heydemann:
p. 132 adn. 7 vs. 1 lege: po-
p. 135 vs. 13 lege: quae esset
p. 136 adn. 6 vs. 1 lege: Schoemann:

Index.

Liber prior:

DE ΑΔΕΙΑΣ NOTIONE ET USU IN IURE PUBLICO ATTICO. . . p. 1—112

De ἀδείας notione . . . . . p. 1—8

De ἀδείας usu . . . . . p. 8—112

A. Venia vel impunitas rogandi a populo concessa. . . . . . p. 10—87

I. Populus ei veniam dat, qui rogatione summam potestatem (τὸ κύριον) violaturus est. . . . . p. 10—32

1. De revocatione eorum, qui expulsi sunt ὀστρακισμῷ, ante legitimum tempus cum populi venia decreta. . . . . p. 10—15

2. de remissione poenae iis acquirenda, qui in perpetuum exterminati sunt ἀειφυγίᾳ . . . . . p. 15—19

3. qui capite damnati sunt . . . . . p. 20

4. qui sempiterna ἀτιμίᾳ multati sunt. . . . . p. 20—27

5. de remissione liturgiae a populo impositae . . . . . p. 27—32

II a. Populus ei veniam dat, qui rogatione publici aerarii integritatem violaturus vel qui aerarium publicum (τὸ κοινόν) illegitime deminuturus est. . p. 32—44

1. De restitutione bonorum exulibus revocatis acquirenda . . p. 33—34

2. de remissione debitorum publicorum . . . . . p. 34—44

II b. Populus ei veniam dat, qui rogatione aerarium sacrum violaturus vel illegitime deminuturus est. p. 44—58

II c. Populus ei veniam dat, qui (quinto quidem a. Chr. n. saeculo) εἰσφοράν rogaturus vel qui civium res familiares illegitime h. e. tributis extraordinariis deminuturus est. . . . . p. 58—66

De nonnullis extraordinariis supplendi aerarii rationibus. . p. 66—68

III. Privilegia quaedam praemii causa data. . . . . p. 68—85

1. De privilegio ἐγκτήσεως γῆς καὶ οἰκίας . . . . . p. 69—75

2. de privilegio προσόδου πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον . . . p. 75—81

3. de remissione tributorum . . . . . p. 81—83

4. de privilegiis ἀτελείας, ἰσοτελείας, προξενίας. . . . . p. 83—84

De venia magistratus accusaturis acquirenda. . . . p. 86—87

B. De impunitate, quae non ad rogationes quasdam ferendas, sed sua ipsius causa petitur. p. 88—110

1. De ἀδείᾳ (impunitate) danda μηνυταῖς i. e. iis, qui sceleris cuiusdam ipsi affines delaturi sunt socios. p. 88—99

De potestate accusandi servis danda. . . . . p. 91—94

2. De ἀδείᾳ sive fide publica Atheniensium. . . . . p. 99—110

a. De fide publica, quae ad ius publicum Atheniensium pertinet, h. e. exulibus in patriam redituris acquirenda p. 99—101

b. de fide publica Atheniensium, quae ad ius gentium pertinet . . . . . p. 101—110

α. de fide publica peregrinis Athenas profecturis acquirenda . . . . . p. 101—105

β. de fide publica histrionibus concessa . . . . . p. 105—110

de differentiis verborum: ἀδείας, ἀσφαλείας, ἀσυλίας. . . . . p. 109—110

Summarium libri prioris. . . . . . p. 110—112

Liber alter:

DE ΑΔΕΙΑΣ DATIONE. . . . . p. 113—149

Cap. I. Ἄδεια nisi maximo in comitiatu irrogari non potuit. . p. 113—123

De ἀδείας notione, quae ad res sacras spectat. . . . . p. 121—123

Cap. II. De contionibus, in quibus de ἀδείας datione actum est. p. 123—131

Comparantur contiones, in quibus actum est et de ostracismo habendo. . . . . p. 125—127

et de civitatis datione. . . . . p. 128—129

Cap. III. De senatus in ἀδείας datione functionibus. . p. 131—143

Comparantur senatus functiones et in ostracismo habendo p. 134—137

p. 138—139

et in civitatis datione. . p. 137

p. 139—142

Cap. IV. De loco, quo comitia ἀδείᾳ dandae habita sunt. . . . . p. 143—148

Summarium libri alterius. . . . . . p. 148—149

Typis societatis typographorum Vratislaviensium.

BRESLAUER
PHILOLOGISCHE ABHANDLUNGEN.

VIERTER BAND.

ZWEITES HEFT.

DE MARTIALE VERBORUM NOVATORE

SCRIPSIT

AEMILIUS STEPHANI
DR. PHIL.

BRESLAU.
VERLAG VON WILHELM KOEBNER.
1889.

DE MARTIALE
VERBORUM NOVATORE

SCRIPSIT

AEMILIUS STEPHANI
DR. PHIL.

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNER
1889

M. Valerii Martialis epigrammaton editionibus laudabili Schneidewini[1]) cura paratis (editione critica a. 1842, altera minore a. 1852) studia hominum doctorum ad hunc poetam feliciter conversa sunt. Veluti Ludovicus Friedlaender in indicibus scholl. Regimontanis (1862 et 1865) et in hist. morum Rom. volumine tertio (1881[5], pg. 424—440) tempora librorum a Martiale scriptorum editorumve definivit; indicem personarum, quae commemorantur a poeta, sive verarum sive fictarum confecit Paulus Giese (Gryphiswaldiae 1872); Oscarus Guttmann praeter grammatica quaedam rei metricae partem illustravit (Vratislaviae 1866, dissert. pg. 46—52)[2]); quatenus antiquiores poetas cum alios tum Catullum et Ovidium imitatus esset Martialis, ostenderunt R. Paukstadt (Halis 1876), A. Zingerle (Oeniponti 1877 et 1878), E. Wagner (Regimonti 1880)[3]); hic, quem tertio loco nominavi, et illis priorum exemplis et plerisque eorum locorum, quibus posteri Martialem imitati sunt aut laudaverunt, collectis ornavit editionem a Friedlaendero paratam. Carmina Martialis ipsa a Walthero Gilbert multis locis bene emendata codicibusque familiae B, de quorum indole Schneidewinus erraverat, rectius adhibitis a. 1886 edita sunt[4]) addito

[1]) cf. de eo iudicium Friedlaenderi in edit. pg. 123.

[2]) Continuata et absoluta res est in edit. Frdl. pg. 26—50. — cf. praeterea Th. Korsch, Metrisches zu Martial, in mus. Rhen. 41 a. 1886 pg. 55.

[3]) Addidit non paucos locos K. P. Schulze, Catull und Martial, in N. Jahrbb. f. Philol. 1887 pg. 637 sqq.

[4]) cf. de hac editione iudicia: Berl. philol. Wochenschr. 1886 n. 31. 32. Deutsche Litt. Ztg. 1886 n. 44. Literar. Centralblatt 1886 n. 38. Philol. Anzeiger 1887 pg. 283 sq. Bl. f. d. bayr. G.-W. 1888 pg. 97.

nominum indice; eodemque anno Friedlaenderi editio[1]) in lucem prodiit, et prolegomenis uberrimis et adnotationibus difficiliora illustrantibus et indicibus nominum propriorum et verborum[2]) sollertissime instructa.

Restat, ut de Martialis copia verborum dedita opera quaeratur. Nec enim ullo modo sufficit illud Caroli Pauckeri ‚epimetrum', quod legitur in ‚Anhang zu Beiträge z. lat. Lexikogr. u. Wortbildungsgesch. I—III' Dorpati 1875; qui vir doctus in quattuor pagellis (41—44) Statii, Valerii Flacci, Silii, Martialis, Iuvenalis ‚vocabula novicia' enumeravit, omisit autem et Graecas voces omnes et adiectiva de propriis nominibus derivata neque errores evitavit. Itaque de Martiale verborum novatore hac commentatione denuo agam, has potissimum secutus rationes.

1. Primum animadvertendum est, quaenam verba apud nullum scriptorem antiquiorem inveniantur[3]), si quidem in his multa sunt, quae aut ab ipso scriptore novata putari possint aut quae illis demum temporibus in sermone exstitisse[4]) veri simile sit. Item in verbo unoquoque quaerendum est, resne ipsa nova sit an, si non sit, quibus antea vocabulis ea expressa fuerit; neque inutile erit addere, quae praeterea ad eandem rem significandam postea inventa sint vocabula.[5])

[1]) cuius textus a Gilberti editione paucissimis locis discrepat. Cf. de Friedl. editione iudicia: Berl. philol. Woch. 1886 n. 49. Revue critique 1886 n. 50. Deutsche Litt. Ztg. 1887 n. 5. Lit. Centralbl. 1887 n. 14. Woch. f. kl. Phil. 1887 n. 26. 27. Philol. Anz. l. c. Bl. f. d. bayr. G.-W. l. c.

[2]) cf. Woelfflinus in Arch. f. lat. Lex. 1887 pg. 148 sq.

[3]) Quoniam iniuria temporum permulta veterum scripta interierunt, huiusmodi quaestionibus non quid verum, sed quid veri simile sit requiritur; conf. etiam C. Zangemeister de Horatii vocibus singularibus pg. 2 sq.

[4]) Eorum, quae praeter Martialem unus alterve ex aequalibus (Silius, Statius; Quintilianus) exhibet, quis inter hos auctor sit, in medio relinquo. Quae Statio cum Martiale communia sunt, neuter fortasse ab altero mutuatus est propter mutuum ac tacitum odium (cf. edit. Frdl. pg. 8. 9). Violantilla quidem, Stellae uxor, alteri ‚Asteris' est, alteri ‚Ianthis': noluit videlicet posterior prioris inventum adoptare. — Ferdinandus Buchwald (quaestt. Silianae, 1886) docet anno 92 p. Ch. n. Silii Punicorum libros I—X editos esse videri, ceteros XI—XVII annis 92—100 confectos.

[5]) Quae de eiusmodi synonymis attuli, inclusa sunt uncis rotundis ( ). Cetera perspicuitatis causa allata saepsi angularibus uncis ⟨ ⟩.

Deinde quoniam poetas constat posteriores priorum exempla etiam in copia verborum plerumque sequi, refert cognoscere, quatenus Martialis a superioribus poetis ita discesserit, ut vocabula nondum antea a quoquam poeta posita — nos quidem quod sciamus — primus in versibus[1]) usurparet. Hoc genus vocabulorum (dicamus autem „genus b"), quae in prosa oratione iam ante exstabant, insignivimus litteris *inclinatis;* ea autem, quae omnino nova videntur („genus a"), *diductis.*

2. Posteriorum vero scriptorum loci, quibus illi vocabula a Martiale quae videntur novata exhibent, accurate colligendi sunt; nam ex parte eorum aperte cognosci potest imitatio, atque certe ex omnibus apparet, quae verbis eis quasi sors postea quaeve perennitas fuerit. In quo lectores ad lexica delegare nefas est, quia loci saepe per compluria lexica dispersi, saepe, ubi opus fuerat, conexu verborum non addito indicati, nondum vero plerumque, id quod caput est, temporum ordine digesti sunt. Itaque dedimus operam, ut ex locorum serie uniuscuiusque verbi quasi fata comparerent. Ἅπαξ λεγόμενα autem, i. e. quae praeter Martialem nusquam leguntur, cruce † notavimus. Contra in vocabulis generis b plurimis satis habuimus prosarium testem ceteris vetustiorem intra uncos rotundos adicere, poeticos tantummodo locos omnes enumerare.

3. Dividimus vocabula in Graeca et Latina; Latina in I substantiva simplicia, II adiectiva simplicia, III substt. et adii. composita, IV substt. et adii. deminutiva, V verba simplicia, VI verba composita, VII adverbia. Derivata secundum suffixa, quibus formata sunt, collegimus, ut intellegeretur, quaenam vocabulorum genera quaeque suffixa scriptor plurimum amavisset.

4. Sed ne illud quidem neglegendum est, quatenus formationes novae metricis legibus explicentur; atque cum Martialis epigrammata metra compluria prae se ferant, numerandum diligenter est, qua numerorum ratione in metris singulis novata cuiusque generis reperiantur. Itaque, quoniam id adhuc a nullo factum est, dinumeravimus metra Martialis atque computavimus, omnium verborum quotam partem quodque metrum contineret.[2])

[1]) Vocabula in lemmatis tantum (lib. XIII et XIV) aut in praefationibus soluta oratione scriptis posita stellula * designavimus.

[2]) Significamus per totam hanc commentationem metra hisce notis:

Continet autem

	h	p	φ	s	sen.	dim.	sot.
liber spect. .	109	110					
liber I .	290	248	211	65	21	27	
„ II .	188	187	136	36			
„ III .	194	194	64	170	2	2	2
„ IV .	209	209	205	40			
„ V .	180	180	187	86			
„ VI .	231	198	160	28	2		
„ VII .	262	261	172	42			
„ VIII .	252	252	130	30			
„ IX .	350	350	101	48	3	3	
„ X .	270	270	243	115			
„ XI .	297	297	157	51	5	2	
„ XII .	189	189	266	77			
„ XIII .	135	135	2	2			
„ XIV .	220	220	18				
omnes libri	3376	3300	2052	790	33	34	2

Atque quoniam hi versus sunt diversi ambitus, etiam syllabae computentur:

h	continet	(13—17, i. e.)	15 syllabas;	3376 h =	50640 syll.
p	„	(12—14, i. e.)	13 „	3300 p =	42900 „
φ	„		11 „	2052 φ =	22572 „
s	„		fere 12 „	790 s =	9480 „
sen.	„		„ 12 „	33 sen. =	396 „
dim.	„		„ 8 „	34 dim. =	272 „

Itaque dactylici versus (h + p = 93540 syll.) comparati cum φ (= 22572 syll.) quater tanto maiorem molem verborum efficiunt; cum iambicis (s + sen. + dim. = 10148 syll.) comparati noviens maiorem.

---

h = hexameter dactylicus
p = pentameter dactylicus
φ = Phalaecius versus hendecasyllabus
s = trimeter iambicus scazon sive choliambus
(rariss.) sen. = senarius iambicus
(rariss.) dim. = dimeter iambicus acatalectus
(rariss.) sot. = Sotadeus.

Errasse videtur Th. Birt, qui (in edit. Friedl. pg. 38 m.) hexametrorum numerum reddit 3358; nam etiam si a Martialis versibus detrahimus I 93, 5 h (et 6 p) ut alienum, III 3, 1. 3 h (et 2. 4 p) ut fortasse spurios, XI 20, 3. 5. 7 h (et 4. 6. 8 p) ut Caesaris Augusti versus, relinquuntur non 3358, sed 3370 h (et 3294 p).

Postremo ratio reddatur eorum vocabulorum, quae, si lexicis[1]) fides habetur, non vetustiora Mart. epigrammatis existimantur ac tamen sunt; omitto ea, quae in commentatione ipsa commemorandi occasio erit.

Ganymedēus: laus Pisonis[2]) 153 h.

macellus ⟨pro ‚macellum'⟩: Pompon. Bonon. 38 Ribb.[2]

* *monobiblos*: cf. Friedl. ad locum (XIV 189 L).

paedico, onis: Priap. 68,8p: pēdicōnum.

Sybariticus: Ovid. trist. 2, 417 Riese: Sybaritica, n. pl., carmen Hemitheonis (Merkel: ‚Sybaritida', f. sing. acc.).

Sequantur ea verba, quae apud Martialem primum in versu occurrere falso e lexicorum silentio concludi potest:

cognatio: Afran. 56 ex sententia Ribbeckii, Hermanni, Buecheleri.

coliculi: cauliculi Bibaculus[3]) fr. 1, 6 φ Mueller = 3, 6 Baehrens; coliculi Petron. 132 sot. 2.

censorius: censorio (codd. censori[a]e) Pacuv. praetext. 2 Ribb.[2]

expingere: Phaedr. append. 15, 2 sen.

fructuosus: Priap. 61, 2 φ.

indecens: Priap. 12, 13 φ.

inquilinus: Priap. 70, 1 φ.

luscus: Pers. 1, 128. (adde: Sidon. carm. 23, 139 φ).

mango: [Lucil. 29, 88 M.] Horat. epist. 2, 2, 13 h.

municeps: Catull. 17, 8.

paganicus: Calpurn. 4, 125 h.

prurīgo: Priap. 27, 3 h.

Setinus: Titin. 121 Ribb.[2]: agrum Setinum.

sēlibra: Bibaculus fr. 1, 6 φ[4]).

---

[1]) scil. Forcellini-De Vit, Klotz, Georges[7], Quicherati thesaur. poet.[2], Saalfeldi tensaur. italogr. (Vindob. 1884), Pauckeri supplem. lexicorum Lat. (Berolin. 1885), Georges, Lex. d. lat. Wortformen (Lips. 1889, a—confirmo).

[2]) Carmen hoc Calpurnio tribuendum esse denuo diserte ostendere studet Henricus Schenkl in praefatione editionis bucolic. Calp. et Nemesiani (1885).

[3]) Huius enim, non Suetonii (apud quem nobis servati sunt) versus esse lexica non profitentur.

[4]) Locum, qui Martialem non primum hac prosodia (pugnante cum ‚sēmi-' et ‚sēmodius') usum esse docet, adferre debuit Friedlaender ad I 99, 5.

sturnus: Priap. 61, 10 φ. (adde: Anthol.[1]) 762 [= PLM 5 pg. 364], 17 h.)

theca: plur. Propert. 2, 8, 30 Muell.

Caput I.

VOCABULA GRAECA.[2]

Quaestio prima est, quaenam verba, rariora praesertim, Graecis litteris scribenda sint, quoniam codicum in ea re auctoritas vel parva vel nulla est; cf. quod habent I 27, 7: Misomne monasympoten, I 45, 2: tonda pamibomenon, IV 9, 3: echis asotos, V 38, 3: syca merize, etc.[3]) Itaque certi aliquid ibi solum statuere licet, ubi ex toto conexu verborum auxilium peti potest. Assentiendum certe Friedlaendero est, qui IX 94, 4 dederit *χάλκεα — χρύσεα*, siquidem apertum est poetam partim Homeri ipsa verba ⟨*Z* 235 sq.: *τεύχε' ἄμειβεν χρύσεα χαλκείων*⟩ ponere voluisse, quod si noluisset, profecto Latina eiusdem mensurae ‚aerea — aurea' scripsisset. Altero loco ad modum simili VII 57, 2 et Gilbert et Friedl. bene pro Schneidewini ‚Pyxagathos — Hippodamos' secundum versum Homeri *Γ* 237 ⟨*Κάστορα Ϝ' ἱππόδαμον καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα*⟩ scripserunt *πὺξ ἀγαθὸς* et *ἱππόδαμος*. Alia de causa probandum est, quod Friedl. exhibet III 77, 10: *σατροφαγεῖς*, non ‚saprophagis' ut codd., Schneidew., Gilb.; nomina enim ut saepissime a Graecis mutuabantur Latini, ita verba ⟨praeter participia⟩ rarissime; equidem exceptis duobus ⟨clepere, psallere; et vocab. dub. ‚hymnire'⟩ nulla inveni nisi in -are exeuntia ⟨propinare, philosophari, paedagogare, harpagare, gargarissare, evangelizare,

[1]) ‚Anthologia' utique Riesei, PLM Baehrensii ‚poetae lat. minores' dicti sunt; FPR eius ‚fragmenta poett. Rom.' (1886).

[2]) Cf. O. Weise, Griech. Wörter in der lat. Sprache, Lips. 1882.

[3]) Dubitari quidem potest, rectene V 38, 8 editores exhibeant cum parte codicum *‚σολοικισμόν*, Calliodore, facis', at XI 19, 2 iidem ‚soloecismum mentula nostra facit'; vocabulum hoc iam Lucilius ⟨9,2 M.: soloecismōn genera = 9, 244 Baehrens ⟨FPR⟩: soloecismum genera⟩, Cornificius et Seneca rhetor tamquam terminum technicum usurpaverant.

exenterare, chalare, blasphemare etc.⟩. At haud scio an VII 41, 1: *κοσμικὸς* et 2: *κοσμικὰ* scribendum fuerit ⟨in quo cum Klotzio et Saalfeldio consentio⟩; ut enim II 43, 1 et 16: *κοινὰ φίλων*, sic hoc loco graecissantis alicuius ‚magniloca' vox illuditur, minime in usum Romanum recipitur. Cf. quae dixi pg. 22 adnot. 4.

Cetera vocabula ⟨praeter ea quae collecta sunt in edit. Friedl. vol. 2 pg. 532⟩ recte Latinis litteris scribunt; nam et sermo cotidianus illorum temporum multis Graecis verbis inquinatus erat et Martialis saepenumero ab eo sermone prope abest.

Quod quam vere dixerim, tum maxime intellegemus, ubi Martialem cum Statio aequali comparaverimus.

Hic enim in 10839 versibus epicis Achilleidos et Thebaidos Graeca verba, quae apud antiquiores Latinos scriptores frustra quaeras, non habet nisi haec tria: *nebris* A. 1, 609 Th. 2, 664; *gymnas* Th. 4, 106, plur. A. 1, 358; *pale* A. 2, 155 ⟨ubi Kohlmann prave ‚Pale'⟩, Th. 6, 805; in 3892 versibus Silvarum praeter ea quae nominavi *nebris* ⟨1, 2, 226⟩ et *gymnas* ⟨2, 2, 8⟩ non plus sex haec: *trichora*, n. pl. ⟨1, 3, 58⟩, *hypocausta*, n. pl. ⟨1, 5, 59⟩, *caryotis* ⟨1, 6, 20⟩, *molybdus* ⟨3, 2, 30⟩, *gomphus* ⟨4, 3, 48⟩, *synthesis* ⟨4, 9, 44⟩; cetera nova sunt in lemmatis 1, 4: *soteria*, n. pl., 4, 2: *eucharisticon*, 4, 5: *ode*, et in praefationibus prosariis libri 1 ⟨et 1, 2 L⟩: *epithalamion*, lib. 2 ⟨et 5, 3 L, 5, 5 L⟩: *epicedion*, lib. 2 ⟨et 2, 7 L⟩: *genethliacon*, lib. 4 ⟨et 4, 6 L⟩: *epitrapezios*. Ergo in 14731 versibus Statius 9 tantummodo nova habet Graeca; [praeterea extra versus: septem]; id est 1 : 1636.

Martialis autem in 9587 versibus novavit 55; [extra versus: quattuor]; id est 1 : 174. Hic igitur fere deciens tanto plura quam Statius novavit, praesertim cum Statii versus paene omnes ⟨14160⟩ hexametri, Martialis autem maior pars sint breviores versus ⟨p, φ, s⟩.

Accedit alterum genus ⟨„b"⟩ vocabulorum Graecorum, quae in versu primus videtur Martialis usurpavisse, 76 nostra quidem computatione.

Iam quaeritur, utrum in aliquibus metris horum ⟨55 + 76 =⟩ 131 verborum sit frequentior usus quam in ceteris necne. Conferatur igitur haec tabella, in qua quae verba in metris plūribus inveniuntur, horum in unoquoque semel numerantur.

Novata in	h	p	φ	s	dim.	sen.
generis a	28	19	15	8		
generis b	46	26	20	16	2	1
amborum	74	45	35	24	2	1

Ergo pro ratione numerorum plurima novata exstant in scazontibus, minor exspectatione numerus in pentametris; media frequentia in hexametris et hendecasyllabis. Vel si, ut supra pg. 4, dactylicos cum iambicis comparamus: in dactylicis sunt 119 Graeca, in iambicis 27; ergo in iambicis duplo maior numerus quam qui ex dactylicorum numero exspectatur ⟨13⟩. Hendecasyllabi quoque paulo plura exhibent ⟨35⟩ quam exspectantur ⟨30⟩.

In choliambis igitur Martialis propius quam in ceteris metris ad pedestrem sermonem et cotidianum accessit. —

Iam transeamus ad vocabula ipsa; quae secundum rerum genera quam secundum verborum et formarum classes grammaticas disponere maluimus.

Litterae ⟨ex parte pro numeris ordinalibus positae⟩.

alpha[1]) ⟨= primus⟩ II 57, 4 s V 26, 1 s: Cordus alpha paenulatorum. Prud. cath. 9, 11: ⟨Christus⟩ ălpha et Ω cognōminatus, ipse fons et clausula. Paul. Nol. 30, 89 h: alpha itidem mihi Christus et ω.

beta[2]) ⟨= secundus⟩ V 26, 4 s: dicas licebit beta me togatorum.

ĭōta ⟨littera⟩, n. II 93, 4 p. (Cic., al.) Auson. technop. 122 et 138 h: jota, ae, f. Orient. de trinit. 77 h. Coripp.[3]) in laud. Iustini 1, 353 h.

cf. *sigma* pg. 18.

cf. thēta VII 37, 2 p et Friedl. ad locum.

Quae ad libros pertinent.

biblĭŏpōla, ae, m. IV 72, 2 p XIII 3, 4 p XIV 194, 2 p ⟨semper initium alterius hemistichii faciens⟩. [βιβλιοπώλης]. Plin.

[1]) = littera: Varro l. L. 8, 64. Iuven. 14, 209: hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae. — alibi.

[2]) = littera: Iuven. 14, 209.

[3]) omiserunt lexica.

ep. 1, 2, 6 et 9, 11, 2. Porphyr. Hor. sat. 1, 4, 71. epist. 1, 20, 2. bybliopola Sidon. ep. 2, 8, 2[1]). 5, 15, 1. Isidor. orig. 6, 14, 1: librarios ante bibliopolas dictos. Librum enim Graeci βίβλον vocant. Librarii autem iidem antiquarii vocantur, sed librarii sunt, qui nova scribunt et vetera; antiquarii, qui tantummodo vetera, unde et nomen sumpserunt. bybliopola CIL 6, 9218. bĭblĭŏpōla[2]) Anthol. 764, 11 h. (Cum vocabuli Latini ‚librarius' significatio altera ⟨scriba⟩ et vetustior et usitatior[3]) esset, fieri non potuit, quin saepe perspicuitatis causa Graecum vocab. usurparetur. Invenitur tamen illo sensu ‚librarius': ⟨plur.⟩ Catull.[4]) 14, 17 φ. Sen. ben. 7, 6, 1. Gell. 5, 4, 2 et 18, 4, 1. Sulpic. Sev. dial. 1, 23, 4. — libellio ⟨eo sensu⟩ Stat. silv. 4, 9, 21 φ: de capsa miseri libellionis. Gloss. Graeco-Lat. pg. 257, 38: βιβλιοπώλης libellio.)

bibliŏthēca, ae, f. VII 17, 1 et 12 φ XIV 190, 2 p. (Cic., cet.) bybliotheca [bibl. Peiper] Auson. epigr. 40, 1 h Schenkl. bybliotheca Sidon.[5]) ep. 4, 11 v. 4 φ. 9, 16 v. 28 adon. idem carm. 24, 92 φ. bibliotheca Anthol.[6]) 899 [= PLM 5 pg. 407], 4 p. bĭblĭŏthēca Alcuin 65 ⟨p. l. aevi Carol. 1 pg. 283⟩, 3 h. Theodulf 42 ⟨ibid. pg. 540⟩, 1 h.

cōrōnis, ĭdis, f. X 1, 1 h: nimius seraque coronide longus liber. [χορωνίς]. Sueton. pg. 140, 13 Reiff.: coronis tantum in fine libri posita invenitur. Auson. prof. carm. 26 L.

† *eschătŏcollĭon*, ii, n. = extrema pagina, II 6, 3 φ. [ἐσχατο-κόλλιον nusquam exstare videtur].

lemma, ătis, n. ⟨= inscriptio carminis cum carmine ipso⟩ X 59, 1 h: consumpta est uno si lemmate pagina, transis. ⟨plur., = inscriptiones carminum⟩ XI 42, 2 p XIV 2, 1 h et 2 p. [λῆμμα]. Plin. ep. 4, 27, 3: lemma ⟨= argumentum, Stoff, Thema⟩ sibi sumpsit, quod ego interdum versibus ludo. . . . . si mihi ex hoc ipso lemmate secundus versus occurrerit. Victorin.[7])

[1]) omiserunt lexica.

[2]) deest in lexicis.

[3]) etiam Mart. ter hoc sensu.

[4]) A lexicographis partim omissus locus, partim non recte intellectus. Falso etiam Haenny ⟨‚Buchhaendler u. Schriftst. in Rom', [1884], pg. 23.⟩: „Erst der Römer der Kaiserzeit nennt seinen Buchhändler librarius."

[5])[6])[7]) omiserunt lexica.

ad Cic. inv. ⟨rh. l. m. Halm⟩ pg. 193, 39: ⟨firmamentum⟩ . . . lemma dicitur, id est falsum argumentum. Donat. Ter. Andr. 3, 3, 14 et 37 ⟨plur.⟩ = sumptio[1]). Auson. parent. praef. in. ⟨pg. 41 Sch.⟩: lectorem solum lemma sollicitat tituli. idem eglog. 24, 1, 6[2]): mihi praeter lemma nihil placet. idem epist. 16, 2, 90: nutricis inter lemmata ⟨= carmina vel cantus⟩ lallique somniferos modos. Sidon.[3]) ep. 8, 9, 3: videris, quam tibi sit epigrammatis flagitati lemma placiturum. (inscriptio, titulus, epigramma; sumptio.)

tŏmus, i, m. I 66, 3 s: scriptura quanti constet et tomus vilis. ⟨de signif.[4]) cf. Frdl. ad locum⟩. [*τόμος*]. M. Aurel. ap. Front. ad M. Caes. 2, 10 ⟨13⟩ pg. 34, 14 N.: feci . . . excerpta ex libris sexaginta in quinque tomis. Hieron. ep. 22, 38: accipe tibi tomum magnum, novum, et scribe in eo stilo hominis; 82, 7: sex mille Origenis tomos non poterat quisquam legere, quos ille non scripsit. (volumen, liber.)

schĭda, ae, f. ⟨v. l. scheda⟩ IV 89, 4 *φ*. ⟨cf. Frdl.⟩ (Cic. ep., al.)

Artes metrica et musica.

tetrastĭcha quaedam ⟨carmina⟩ VII 85, 1 h. [*τετράστιχος*]. Quint. 6, 3, 96: Ovidius ex tetrastichon Macri carmine librum in malos poetas composuerit. Treb. Poll. Gallien. 18, 5: ⟨porticus⟩ tetrastichae fierent. Sidon.[5]) pg. 250, 9: non distichorum aut tetrastichorum stringit angustiis. Anthol. 2 [= PLM 4, 178], 3 h: tetrasticha, n. pl.; -on ibid. 395 L, 555 [= PLM 4, 137] L: tetrasticha de Vergilio, 567 [= PLM 4, 138] L: tetrasticha de quattuor temporibus. 658 L: dialogon tetrastichon.

gallĭambos, i, m. II 86, 5 *φ*: mollem debilitate galliambon. (Caes. Bass.[6]) ⟨GL 6⟩ pg. 261, 28; 271, 22 etc.; alii.)

[1]) cf. Cic. divin. 2, 108 Muell.: sed demus tibi istas duas sumptiones (ea quae *λήμματα* appellant dialectici, sed nos Latine loqui malumus), adsumptio tamen (quam *πρόσληψιν* iidem vocant) non dabitur.

[2])[3]) omis. lexica.

[4]) ea enim, quam lexica praebent, aperte inepta est.

[5]) omis. lexica.

[6]) huius enim, non Atilii Fort., ut lexica praebent, illud fragmentum esse Westphalius et Keilius docuerunt. cf. sequens vocabulum.

scazon, ontis, m. I 96, 1 s VII 26[1]), 1 et 10 s. (Caes. Bass. pg. 257, 3 etc.; alii.) *σκάζων* Ter. Maur. 2400 s. scazon Rufin. in metr. Ter. ⟨GL 6⟩ pg. 559, 30 h.

ĕpĭgramma: viciens bis ⟨in 18 h, 3 *φ*, 1 s⟩. (Cic., al.) Prud. perist. 11, 8 p. Sidon.[2]) ep. 9, 16 v. 57. Anthol.[3]) 21 [= PLM 4, 211], 269 h. 287 [= PLM 4, 441], 22 *φ*.

mĕtrum IV 6, 4 *φ*. (Vitruv. 103, 10; alii.) Ter. Maur. passim. Iuvenc. 2, 141 h. Auson. epist. 20. 1 h. Sidon. epist. 8, 9, 16 *φ*. Anthol.[4]) 131 [= PLM 4, 319], 5. 671 [= PLM 5 pg. 85], 20.

crūsmăta Baetica, n. pl. VI 71, 1 h. [*κροῦσμα*]. Censorin. fr. spur. 11, 1 Hultsch: crusmata pulsus decori sine carmine vocantur. (pulsus lyrae Ov. fast. 5, 667.)

áscaŭles[5]), ae, m. X 3, 8 s. [*ἀσκ–αύλης* nusquam legi videtur]. Not. Tiron. pg. 173: monaules ascaules calamaules. (Latinum vocab. ‚utricularius' praefert Sueton. Ner. 54: voverat — — proditurum se — etiam hydraulam et choraulam et utricularium ac novissimo die histrionem —.)

chŏraules, ae, m. V 56, 9 *φ* VI 39, 19 s IX 77, 6 dim. XI 75, 3 *φ*. (Petron., al.) Iuven. 6, 77 h. Sidon.[6]) ep. 9, 13, v. 78; carm. 23, 300 *φ*. Mim. anon. 27 Ribb.: choraula. Ven. Fortun.[7]) 3, 6, 47 h.

mŏnaulos, i, m. XIV 64 ⟨= 63 Gilb.⟩, 2 p. (Plin. 7, 204).

Ars medica.

clīnĭcus, i, m. ⟨= medicus⟩ I 30, 2[8]) p IV 9, 1 *φ* IX 96, 1 h. [*κλινικός*]. Cyprian. ep. 69, 13 et Lact. 3, 8, 10: clinicus = homo aeger in lecto iacens. Prud. apoth. 205 h: clinicus deus ⟨Aesculapius⟩. Orell. inscr. 2983 et CIL 6, 2532: medicus clinicus. Gloss. Vatic. ⟨et Thom. thes. pg. 152 a⟩: clinicus, paralyticus.

[De ‚archiclinico', quod III 93, 24 Schneidew. scripserat atque immerito Gilbertus quoque ⟨dubitanter⟩ recepit, adsentior Friedlaendero; cf. eius adnot.]

[1]) hoc loco ‚Scazon' editores, inconstanter. Omisit locum index ed. Frdl.

[2])[3])[4]) omis. lexica.

[5]) cognomen viri in inscr. Pomp. CIL 4, 636: . . . Vesbinus. rog. scrib. Ascaules.

[6])[7]) omis. lexica.

[8]) ubi etiam de libitinario cogitandum est.

ophthalmĭcus, i, m. ⟨scil. medicus⟩ VIII 74, 1 h. [*ὀφθαλμικός*]. adiect. Cassian. coll. 24, 15: in otalgicum, sive in ophthalmicum vertitur morbum. (ocularius medicus Cels. 6, 6, 8; alii. ocularii, subst. Scribon. 37 et 38. Marcell. Emp.[1]) 8 fol. 93, 2 m. ocularius chirurgus Grut. inscr. 400, 7. — ocularis medicus Murat. inscr. 927, 5.)

drōpax, ācis, ⟨f.?⟩ III 74, 1 h X 65, 8 φ: dropace cotidianā ⟨-no Schn. Gilb.⟩ [*δροῶπαξ*]. Auson. epigr. 92 ⟨131⟩, 1 h: dropace calido. Th. Prisc. 2, 11 fol. 304, 1: dropaces. Cael. Aur. chron. 1, 1, 36: dropax adhibendus; 37: dropacem. Schol. Iuv. 9, 14 Buech.: fascia visci. psilothrum significat, dropacem quo solebat se accurare.

psīlōthrum[2]), i, n. III 74, 1 h VI 93, 9 h. (Sen. rh., al.)

ĕpāphaerēsis, is, f. VIII 52, 9 φ: facitque longam detonsis epaphaeresin capillis. [*ἐπ-αφ-αίρεσις*]. epaphaeresis ⟨scil. sanguinis⟩ Vegetius ⟨qui excusat vocabulum apposito ‚quasi' ⟩ mul. 3[3]), 45, 2: postero quoque die quasi epaphaeresis fit et — — sanguis detrahitur. 5, 24, 5: tertia die epaphaeresin quasi facturus denuo fistulam appones. Cass. Felix[4]) 24: flebotomare oportet et secundam detractionem facere quam epafaeresin vocant. item 36 et 73. (detractio sanguinis Cels. 2, 7, alii. detractio ⟨eod. sensu⟩ idem 2, 10. Plin. 16, 244. alibi. — detractio capillorum Cael. Aur. chron. 3, 8, 131.)

hȳdrōcēlae,[5]) arum, f. XII 83, 3 φ. [*ὑδρο-κήλη*]. Th. Prisc. 1, 26 m.: hoc herniarum perseverantiam intus sub ligatura, etiam veterum, percurabit: et hydrocelas et sarcocelas et enterocelas similiter. (hirnea ⟨hernia⟩ Cels. 7, 18. Mart. III 24, 9 h XII 83, 1 φ. alii.)

entĕrōcēlae, arum, f. X 56, 7 h XI 84, 5 h. (*ἐντεροκήλη* Cels., enterocele Plin. 26, 134. al.)

[1]) omis. lexica.

[2]) Apud Novium v. 35 olim legebatur ‚psilothrum', nunc ‚cilotrum'.

[3]) lexica falso ‚2, 45, 2'.

[4]) omis. lexica.

[5]) cf. Cels. 7,18 pg. 276,27 D.: Graeci communi nomine, quidquid est, *ὑδροκήλην* appellant: nostri, ut scilicet nullis discriminibus satis cognitis, haec quoque sub eodem nomine, quo priora habent. — Adiect. ‚hydrocelicus' iam Plin. 30,74.

entĕrōcēlicus unctor XII 70, 3 h. (Plin.)

† *hystĕrĭcam* se diceret XI 7, 11 h; hystericam se dixerat esse XI 71, 1 h. [*ὑστερικός*].

hēmĭtrĭtaeos[1]), i, m. ⟨scil. *πυρετός*⟩ II 40, 1 h XII 90, 2 p. — at IV 80, 3 h = is qui ea febre laborat. [*ἡμι-τριταῖος*]. Cypr. de sing. cler. 9 pg. 184, 3 H.: hemitritaeo insanabili laborare. Seren. Samm. n. 51 L ⟨Baehrens⟩: hemitritaeo depellendo. idem 932[2]) h: mortiferum magis est, quod Graecis hemitritaeon[3]) | vulgatum verbis; hoc nostra dicere lingua | non potuere ulli, puto, nec voluere parentes. Th. Prisc. 4 fol. 314 b. Cael. Aur. acut. 2, 22, 133. [Apul.] de herbis 123.

(hemitritaicus Marc. Emp. 30 fol. 131 a. alibi. hemitritis, f. Theod. Prisc. 4 fol. 311 b.)

lichēnes, um, m. XI 98, 5 s. (Plin. 21, 127).

phrēnēsis, is, f. IV 80, 1 h. (Sen., al.) Iuven. 14, 136. phrĕnēsis Ser. Samm. 87 h et Prud. hamart. 125 h.

phthĭsĭcus cinaedus XI 21, 7 h. (Sen. rh., al.)

Unguenta et similia.

glaucĭna pallida ⟨scil. unguenta⟩ IX 26, 2 p. [*γλαύκινος* de *γλαύκιον* ⟨herba quaedam et eius succus⟩ deductum non videtur inveniri.] Pompon. dig. 34, 2, 21, 1: unguentis — — qualia sunt commagena glaucina crina etc. Plin. Val. 3, 12: olei glaucini quantum sufficit.

cērōma, ătis, n. IV 19, 5 h V 65, 3 h VII 32, 9 h XI 47, 5 h XIV 50, 1 h; plur. IV 4, 10 φ. (Sen., Plin., alii.) Iuven. 6, 246.

narthēcĭa, orum, n. XIV 78, 1 h. (Cic. fin. 2, 22: doloris medicamenta illa tamquam de narthecio proment.)

splēnĭa, orum, n. ⟨= Pflaster⟩ II 29, 9 h 10 p VIII 33, 22 p. (splenium ⟨Pflaster⟩ Plin. 29, 126 et 131; al.)

aphrōnĭtrum, i, n. XIV 58, 2 p. (Plin. 31, 113[4]); alii.) Stat. silv. 4, 9, 37 φ: panes viridantis aphrōnitri.

[1]) cf. Cels. 3, 3 pg. 77, 20 D.: id genus plerique *ἡμιτριταῖον* appellant.

[2]) falso Georges et Saalfeld ‚491' ⟨pro 941 prior. edit.⟩

[3]) ‚*ἡμιτριταῖον*' priores editores, quod rectius puto.

[4]) idem 31 ⟨falso ‚XXI' Frdl. in adnot.⟩, 112: spuma nitri.

dĭăpasma, ătis, n. I 87, 5 h. (Plin. 13, 19 et 21, 125.)

resīna, ae, f. III 74, 4 p XII 32, 21 s. (Cels., al.)

Fruges et arbores.

ăpȳrĭna, orum, n. pl. XIII 42, 1 h 43, 1 h. (Sen. ep., al.)

cărȳōta, ae, f. VIII 33, 11 h XIII 27, 1 h. (careota Varro r. r. 2, 1, 27 Keil. cariota Scrib., alii.)

cărȳōtĭdes, acc. -ĭdas, f. XI 31, 10 φ. [καρυῶτις]. Stat. silv. 1, 6, 20 φ.

conchis, is, f. V 39, 10 φ VII 78, 2 p XIII 7, 1 h. [κογχίς apud Graecos non legitur.] Inv. 3, 293[1]: conche. 14, 131: conchem ⟨cf. schol.: id est fabam coctam⟩. Fronto ad M. Caes. ep. 4, 6 ⟨pg. 69, 17 N.⟩: conchim. Prisc. 1, 35 ⟨GL 1 pg. 26, 25⟩: vetustissimi — — ‚cunchin' pro ‚conchin'. (fāba Plaut., cett.; Mart. deciens.)

cottāna, orum, n. pl. IV 88, 6 p VII 53, 7 h XIII 28, 2 p. (Plin. 13, 51.) Stat. silv. 4, 9, 28 φ. Iuven. 3, 83: cottōna.

bŏtrȳon,[2] ōnis, m. XI 27, 4 p. [βοτρυών non invenitur.] Itala cant. 1, 12: botryo. Pall. Sept. 17 et Nov. 12, 1: botryones. Serv. Verg. Georg. 2, 60 Thilo: sane racemus botryonis est pars, et botryo Graecum est. Cassiod. var. 12, 15 in.: civitas — — in modum botryonis pendet in collibus. Isidor. orig. 17, 5, 14 ⟨cf. Serv. l. c.⟩: racemus est botrionis pars, et botrio graecum est. Ps.-Acro Hor. sat. 2, 4, 71: vennucula: uvae genus est, cuius botryones ollis servari possunt. Gregor. Turonens. de curs. stell. 28 Krusch: has stellas quidam massam vocant, nonnulli Pliadas, plerique vero butrionem. Paulin. Aquilei. 1 in ep. pros. ⟨p. l. aev. Car. 1 pg. 130⟩: flores qui clusas celant botrionum gemmatas suo in tempore producendas uvas. Gloss. Vatican.: botryones, latices[3]. Thomae thes. pg. 80a: botryo, botrus, uva, racemus.

† *pĭtȳōnes*[4]), acc. -ōnas, m. ⟨ex emend. Salmasii⟩ XII 50, 1 h. [πιτυών, pinetum Gloss.] (pinetum Ov. fast. 2, 275. 4, 273. Plin. 27, 66.)

daphnōn, acc. sg. -ōna X 79, 5 h; acc. pl. -ōnas XII 50, 1 h. (Petron. 126).

plătānōn, acc. pl. -ōnas XII 50, 1 h. (Vitruv., al.) Sidon. ep. 8, 9, 13 φ.

Animalia.[1])

būbălus, i, m. sp. 23, 4 p. (Plin., al.) bŭfālus[2]) Ven. Fort. carm. 7, 4, 21 h.

ginnus[3]), i, m. VI 77, 7 h. (hinnus Varr. r. r. 2, 8, 1 et 6; alii. ginnus ⟨codd. innum⟩ Plin. 8, 174 Detl.)

ŏryx, ўcis, m. XIII 95, 2 p. (Colum., al.) Iuven. 11, 140.

ĭchneumon, ōnis, m. VII 87, 5 h. (Cic., al.) Nemes. cyn. 54 h: īchneumona ⟨acc.⟩.

scĭūrus, i, m. V 37, 13 s. (Varro l. L. 8, 68. al.)

† *lăgălōpex*[4]), ēcis, f. VII 87, 1 h: auritā gaudet lagalopĕce Flaccus. [λαγ–αλώπηξ, εκος; quamquam Graecus locus non exstat.]

ōnocrōtălus, i, m. XI 21, 10 p. (Plin. 10, 131. al.)

† *chersos* feminea[5]) XIV 88, 1 h. [χέρσος eo sensu nusquam legi videtur.] (Plin. 8, 38: sunt et terrestres ⟨scil. testudines⟩, quae ob id in operibus chersinae vocantur.)

sălămandra, ae, f. II 66, 7 h. (Petron., al.) Seren. Samm. 104 h. Walahfrid Strabus 61 ⟨p. l. aevi Carol. 2 pg. 404⟩, 7 h.

cŏrăcīnus[6]), i, m. XIII 85, 1 h. (Plin., al.)

cammărus, i, m. II 43, 12 p. (Varro r. r., alii) Iuven. 5, 84.

---

[1]) falso Georges et Saalf.: 2, 273.

[2]) cf. CIL 10, 1501: M. Caninius Botryo et Caninia Paezusa. 6, 668: Butrionis.

[3]) cf. Loewe, Prodrom. pg. 78.

[4]) Deest adhuc in lexicis. ⟨supplevit nuper Georges in Woelfflini Archivi 3 pg. 354.⟩

[1]) cf. O. Keller, Thiere des class. Altertums in culturgeschichtl. Beziehung, Oeniponti 1887.

[2]) falso Georges: būfālus.

[3]) vocabulum in indice ed. Frdl. omissum.

[4]) vocab. adhuc in lexicis deest. Videtur mihi animal sic nominatum aut ex aurium longitudine ⟨‚aurita'⟩ aut quia fortasse ad venandos lepores adhibebatur, ut vertragus ⟨XIV 200, 2: illaesum leporem qui tibi dente feret⟩. Renn ⟨Bl. f. d. bayer. G.-W. 13 [1877] pg. 212—214⟩ emendari vult ‚glagalopex'.

[5]) cf. adnot. Frdl.

[6]) Nomen viri IV 43, 1. 4. 11 φ VI 54, 4 φ.

cordȳla, ae, f. III 2, 4 φ XI 52, 7 h XIII 1, 1 h. (Plin. 9. 47. — cordula Apic.)

cȳbĭum, i, n. V 78, 5 φ XI 27, 3 h XI 31, 14 φ. (Varro l. L. 5, 77. alii.)

spondȳlus, i, m. VII 20, 14 s. (Sen. ep., al.) sphondȳlus Paul. Nol. 3, 7 h ⟨Auson. ed. Peiper pg. 309⟩.

Esculenta

⟨praeter ea quae iam inter fruges et animalia rettulimus⟩.

† *copta* Rhodia, ae, f. XIV 68 ⟨= 69 Gilb.⟩ L. ibid. 2 p. [κοπτή]. (coptoplacenta Petr. 40. Anthol. 199 [= PLM 4, 379], 47 h. — cf. Schuch Apic. pg. 148 b.)

oxȳgărum, i, n. III 50, 4 p. [ὀξύγαρον]. Apic. 1, 35: oxygarum digestibile. Sidon. epist. 9, 13, 4: circa ordinandum oxygarum. Ps.-Apul. herb. 60, 3: herbam consolidam si cum oxygaro edat. ‚Plin. Val.' 2, 23: oxygarum, quod ventrem malaxat ⟨et in sqq. verbis⟩. Dosith. hermen.[1]) pg. 323 Bouch.: ὀξύγαρον, pone oxogarum. (gārum Horat., cett.; Martialis septiens. — allec Plaut., Hor., alii; Mart. bis. — mūrĭa Cato, Hor., alii; Mart. XIII 103 L.)

†* *palathium*[2]) caryotarum XIII 27 L. [παλάθιον]. (palatha, ae, f. Vulg. Iudith 10, 5. reg. 2, 16, 1 et 2.)

ĕpĭdipnis, acc. pl. -īdas, f. XI 31, 7 φ. (Petron. 69, 6.)

mattĕa, ae, f. ⟨ματτύα⟩ X 59, 4 p XIII 92, 2 p. (Varro l. L. 5, 112; al.)

mĕlandrȳa, orum, n. III 77, 7 h. (Varro l. L. 5, 77. Plin. 9, 48.)

tĭsăna ⟨‚ptisana' Schn. et priores⟩[3]), ae, f. XII 72, 5 h. (ptisana Varro sat. Men. 318 Buech., alii.)

Vasa; artificum opera.

† *rhȳtĭum*, i, n. II 35, 2 p: in rhytio poteras, Phoebe, lavare pedes ⟨scil. curvos⟩. [ῥυτίον ⟨demin. vocab. ῥυτόν⟩ Graeco

[1]) deest in lexicis.

[2]) ex emend. Salmasii; ‚Petalion' vel ‚Petalium' [‚Petacium' h, ‚Petavinum' T] plerique codd., ‚Spathalium' a Scriver.

[3]) ‚ptisanarium' iam Hor. sat. 2, 3, 155.

loco non invenitur.] Forma magis Latina Dosith. hermen. pg. 439 Boucherie: ῥυτόν: rutium[1]). Eam Lucilio ⟨3,20 M.⟩ tribuere volunt Stowasser[2]) et Baehrens[3]), qui conicit ibi scribendum: rūtĭo ⟨cavus⟩ caulis habetur ⟨ein hohler Stengel dient dabei als Trinkhorn⟩.

dĭātrēta, orum, n. XII 70,9 h. [διά–τρητος]. Ulp. dig. 9, 2, 27, 29: calix diatretus. — cf. Frdl. ad locum.

phĭăla, ae, f. III 41, 1 s VIII 33, 2 p 23 h: Quid tibi cum phiala? VIII 51, 1 h: Quis labor in phiala? (Plin., al.) Iuven. 5, 39: Virro tenet phiala. Luxorius anthol. 303 [= PLM 4, 457], 4 p.

cōtŭla, ae, f. VIII 71, 8 p. (Cato ag. cult. 114, 1; alii.) cotyle carm. de pond. 73; ⟨acc. pl. -as⟩ ibid. 67 h.

părapsis, ĭdis, f. XI 27, 5 h: parápside rúbra; XI 31, 18 φ. (paropsis Petron. 34 et 50, al.) parópside cénat Iuven. 3, 142 Jahn-Buech.; parábside iúngit Prud. psych. 532 h Dressel.

synthĕsis[4]), is, f. IV 56, 14 φ: crasso figuli polita caelo septenaria synthesis Sagunti. [σύν–θεσις]. Stat. silv. 4, 9, 44 φ: synthesis alborum calicum atque caccaborum.

crystallĭna, orum, n. I 53, 6 h III 82, 25 s IX 59, 13 h XIV 111, 1 h. (Sen. ep., alii.) Iuven. 6, 155.

chrȳsendēta, orum, n. II 43, 11 h II 53, 5 h VI 94, 1 h XI 29, 7 h; lances chrysendetae XIV 97 L. [χρυσ–έν–δετος]. Isidor. orig. 20, 4, 8: chrysendeta, vasa deaurata. — cf. Frdl. ad II 43, 11.

ănăglypta, orum, n. IV 39, 8 φ. (Plin. 33, 139 Detl. et inscrr.)

encaustus Phaëthon IV 47, 1 h. (encausto pingendi duo fuere antiquitus genera Plin. 35, 149 Detl., al.) hinc per iocum dicitur

† *dĭpȳrus* Phaëthon = bis ustus IV 47, 2 p. [δί–πυρος].

Lecti, lecticae.

† *hexaclīnon* testudineum, n. IX 59, 9 h. [ἑξά–κλινος].

[1]) non est in lexicis.

[2]) in Woelfflini Archivi 1 a. 1884 pg. 117.

[3]) ibid. 2 a. 1885 pg. 476 et FPR pg. 154 num. 109.

[4]) De alio usu verbi ‚synthesis' vd. pg. 19 sq. — praeterea = medicamentorum compositio vel mixtura ap. Ser. Samm. 573 et 1064.

sigma[1]), ătis, n. X 48, 6 p: septem sigma capit; XIV 87, 1 h: lunata scriptum testudine sigma. octo capit. [*σίγμα* metaphora formae alias res ⟨lunam, orchestram, porticum⟩ apud Graecos significat.] Spart. Hadr. 17, 4 Peter[2]: cum pluribus simmatibus pasceret. Lampr. Heliog. 25, 3: invenit simma in terra sternere, non in lectulis. ibid. 29, 3: octo longos et octo pingues, cum capi non possent uno sigmate. Sidon. epist. 2, 2, 5: quot solet sigma[2]) personas ⟨recipere⟩. idem carm. 17, 6 p: Assyrius murex nec tibi sigma dabit. 22, 212[3]) h: dominis hibernum sigma locare. Alc. Avitus[4]) append. 24, 2 p ⟨pg. 195 Peiper⟩: Assyrius murex nec tibi simma dedit. (cf. hemicyclium Cic. Lael. 2.)

* *stibadia*, orum, n. XIV 87 L[5]). [*στιβάδιον*]. Plin. ep. 5, 6, 36: in capite stibadium candido marmore vite protegitur. Serv. Verg. Aen. 1, 698: antiqui stibadia non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur. Sidon. epist. 1, 11, 14: stibadii circulus. 2, 2, 11: stibadium et abacus. Orell. inscr. 2358. CIL 5, 3929.

hexăphŏron, i, n. II 81, 1 h IV 51, 2 p VI 77, 10 p. (hexaphori = sex homines, qui portant aliquid Vitruv. pg. 254, 22 R.: maxima pondera cum feruntur a phalangariis, hexaphoris et tetraphoris).

octăphŏron[6]), i, n. VI 84, 1 h. (octophoron Cic.) Anthol. 865 [= PLM 5 pg. 405], 1 h: octŏphŏro fertur.

Reliqua supellex.

dactylĭothēca, ae, f. XI 59, 4 dim. (Plin. 37, 11 et inscrr.)

† *myxae*[7]), arum, f. = rostra lucernae XIV 41, 2 p. [*μύξα*].

†* *polymyxos*[8]) lucerna XIV 41 L. [*πολύ–μυξος* e Graecorum scriptis non adfertur].

---

[1]) Littera ⟨non lectus, ut Saalfeldio videtur⟩ ap. Lucil. 9, 34 Muell.: s nostrorum, etiam Graece quod dicimu' sigma ⟨= 330 b Lachm.: s nostrum et semigraece quod dicimu' sigma⟩.

[2]) Hoc loco Grupe et lexica recte interpretantur: ‚solium, Badewanne'.

[3])[4])[5]) Loci non sunt in lexicis.

[6]) Georges et alii falso: octŏphoron.

[7]) cf. Groeber, Vulgärlat. Substr., in Woelffl. Arch. 4 a. 1887 pg. 127.

[8]) Exemplum omisit Neue, Formenl. 2[3] pg. 20 ex.

stătera, ae, f. X 55, 7 *φ* in clausula. (Cic., alii.) Stat. silv. 4, 3, 35 *φ* et 4, 9, 46 *φ* item in clausula.

clepsydra, ae, f. VI 35, 1 h et 6 p VIII 7, 3 h. (Cic., al.)

antlĭă curva, f. IX 18, 4 p: curva laboratas antlia tollit aquas. [*ἀντλία*]. Suet. Tib. 51: uno ex iis, equestris ordinis viro, et in antliam condemnato. Isidor. gloss. 111: antlia, rota exhauritoria. Anthol.[1]) 284 [= PLM 4, 438] L: de ancla [antlia Baehrens]: Fundit [Pandit B.] et haurit aquas, pendentes evomit undas, Et fluvium vomitura bibit. mirabile factum! Portat aquas, portatur aquis. sic unda per undas Volvitur et veteres haurit nova machina lymphas. Thom. thes.[2]) pg. 277: haustrum[3]), rota hauritoria, quae et girgillus dicitur, et haec anclia.

⟨cf. Georges et Frdl. ad locum; ubi de rota cogitare vetamur et epitheto ‚laboratas' et quia ‚Marciam vicinam' sibi aquam non praebere ‚sicca domus queritur' ⟨v. 5⟩. Etiam apud Suet. l. c. conexu verborum cogimur machinam ab hominibus agitatam intellegere.⟩

Vestimenta; colores.

endrōmis, acc. -ĭda ⟨-ĭdam Schn.[2], Gilb.⟩, f. IV 19, 4 p XIV 126 L et 2 p. [*ἐν–δρομίς* apud Graecos utique calceamentorum genus esse videtur, non vestimentum athletarum ut his locis.] Iuv. 3, 103 Buech.: endromidem; 6, 246: endromidas. Tertull.[4]) de pallio 4: sicut vestigia cestuum viriis occupavit, ita et endromidis solocem aliqua multicia synthesi extrusit. — — cf. Sidon. ep. 2, 2, 2: endromidatus.

synthēsis[5]), is, f. IV 66, 4 p V 79, 2 p 6 p X 29, 4 p XIV 141 L; plur. II 46, 4 p XIV 1, 1 h. [*σύν–θεσις*]. Act. fr. Arval. anni 91 p. Chr. n. = CIL 6, 2068, 8: ⟨in triclinio discumbentes⟩ cum sintes⟨ibus⟩ epulati sunt. Tert.[6]) pall. 4 ⟨vd. supra⟩.

---

[1])[2]) non sunt in lexicis. — cf. Loewe, Prodrom. pg. 372 sq.

[3]) Cf. Lucretius 5, 515 Bernays: ut fluvios versare rotas atque austra videmus.

Praeterea conf. Vitruv. 10, 9 et quae de vocab. ‚austrum' disputavit Wolff, De Lucretii vocabulis singularibus, Halis 1878 pg. 14—16.

[4]) Omiserunt lexica.

[5]) cf. ‚synthesis' pg. 17.

[6]) Omiserunt lexica.

Scaev. dig. 34, 2, 38, 1: quaero an ex universa veste, id est an ex synthesi tunicas singulas et palliola Sempronia eligere possit etc. (synthesina Titin. com. 168 Ribb.[2]: tunicis sordidis, synthesinis[1]). Suet. Ner. 51: synthesinam indutus.)

bombȳcĭna, orum, n. VIII 68, 7 h XI 50, 5 h XIV 24, 1 h. (Plin. 24, 108; al.) Iuven. 6, 260: panniculus bombycinus. Ven. Fort. vit. S. Mart. 2, 86 h: bombycina, n. pl.

gausāpĭnae ⟨scil. paenulae⟩, f. VI 59, 2 p et 8 p. (Petron. 21.[2])

sindon, ŏnis, f. IV 19, 12 p: sindŏne Tyria.[3]) [*σινδών, όνος.*] Auson. eph. in parecb. v. 2 pg. 4 Sch.: et linteam da sindonem. Vulg. iudic. 14, 12 et 13: sindones. prov. 31, 24. Isaia 3, 23. Marc. 14, 51. 52 et 16, 46. Matth. 27, 59. Luc. 23, 53. Nonius pg. 537, 19: plagae, grande linteum tegmen quod nunc torale vel lectuariam syndonem dicimus. (cf. carbasus Lucr. 6, 109, al. — lina xylina Plin. 19, 14.)

Tȳrĭanthĭna[4]) urbica, n. pl. I 53, 5 h. [*Τυρ-ι-άνθινος* non videtur Graeco loco exstare.] Vopisc. Carin. 20, 5: pallium tyrianthinum.

ĭanthĭna, orum, n. II 39, 1 h. (ianthina vestis Plin. 21, 27. al.)

coccĭna, orum, n. II 16, 2 p II 39, 1 h II 43, 8 p XIV 131, 1 h; coccinae ⟨scil. lacernae⟩, f. pl. IV 28, 2 *φ*. — coccina aluta II 29, 8 p. (coccina gausapa Petr. 28, 4.) Iuven. 3, 283: coccina laena. Ven. Fort. carm. 8, 7, 12 p.

ămĕthystĭnae vestes I 96, 7 s; lanae amethystinae XIV 154 L. — — amethystini trientes X 49, 1 *φ*. [*ἀμεθύστινος.*] Iuv. 7, 136: amethystina, orum. Suet. Ner. 32: interdixisset usum amethystini ac Tyrii coloris. Prud. psych. 860 h: sardonychen pingunt amethystina. Ven. Fort.[5]) carm. 8, 3, 265 h et vit. S. Mart. 3, 470 h: amethystina vitta. Walahfr. Strab. 54 ⟨p. l. aevi Carol. 2 pg. 401⟩, 23 h: nec sic augustum decorant ametistina collum.

[1]) ‚sint et dicis' codd., ‚syntheticis' Ribb.[1] sec. Palmerium.

[2]) Cum ibi ‚gausapia' traditum sit, vulgo ‚gausapina' legitur; minus veri similiter Buech. ed. 3: gausapa.

[3]) XI 1, 2 h: ‚sindone' Scriv., ‚sidone' Schn., ‚Sidone' Gilb., Friedl.

[4]) omis. index ed. Frdl.; cf. vol. 2 pg. 366.

[5]) omis. lexica.

callāĭnae lacernae XIV 139, 2 p. (callaini tali Plin. 8, 111; al.)

prāsĭna synthesis[1]) X 29, 4 p. — prasinum flabellum III 82, 11 s. — prasinus ⟨de factione circensi hoc colore vestita⟩ X 48, 23 h XI 33, 1 h 4 p XIII 78, 2 p XIV 131, 1 h. (Petron., alii.) Sidon. ep. 2, 10, 15 *φ*. Luxorius Anthol.[2]) 328 [= PLM 4, 482], 1 h. Venant. Fort. 8, 7, 13 h. Anthol. 191 [= PLM 4, 371], 5 h. Incerti Genesis ⟨ed. Oehler post Tertull.⟩ 59 h: prāsĭnus.

Balneum. Palaestra. Theatrum.

thermae, arum, f. viciens quinquiens ⟨10 h, 3 p, 8 *φ*, 4 s⟩. (Sen., Plin., alii.) Iuv. 7, 233. 8, 168. Paul. Nol. 10, 242. Sidon.[3]) carm. 22, 128. 180. 184 h; 23, 42. 498 *φ*. Anthol. 124 [= PLM 4, 313], 3 h; 210 [= 389], 11 h; 211 [= 390], 1 h; 212 [= 391], 11 h; 213 [= 392], 7 h.

† *harpastum*, i, n. VII 67, 4 *φ*; plur. IV 19, 6 p VII 32, 10 p XIV 48 L. [*ἁρπαστόν.*] (cf. pila raptim ludere Nov. com. 23. — pila paganica XIV 45 L; paganica VII 32, 7 h XIV 45, 1 h. — follis: sexiens. — trigon Lucil. fragm.[4]) ⟨cf. Gundermann mus. Rhen. 41 a. 1886 pg. 632⟩, Hor. sat. 1, 6, 126. Martialis ter.)

halter, ēris, m. XIV 49, 1 h; plur. VII 67, 6 *φ* XIV 49 L. [*ἁλτῆρες.*] Schol. Iuv. 6, 421 ⟨‚cum lassata gravi ceciderunt bracchia massa'⟩: halteras dicit, quibus utuntur athletae cum exercent. (cf. Sen. ep. 15, 4: cum aliquo pondere manus motae. idem 56, 1: manus plumbo graves. Iuven. l. c. — manipuli Cael. Aur. chron. 5, 2, 38: manipulos tenendos, quos palaestritae *ἁλτῆρας* appellant.)

hāphe, es, f. VII 67, 5 *φ*. (Sen. ep. 57, 1.)

amphĭthēatrum, i, n. spect. 1, 7 h 2, 5 h 28, 9 h IX 68, 7 h. (Plin., al.) Rutil. 1, 239 h. — cf. ‚amphitheatralis' in cap. alt.

cōmoedi, orum, m. VI 6, 1 h VII 82, 2 p XIV 215, 1 h.

[1]) non ‚prasina toga', quae verba in ind. ed. Frdl. falso coniuncta sunt; toga Romanorum erat alba.

[2]) omis. lexica.

[3]) non est in lexicis.

[4]) addendum editionibus lexicisque.

(Cic. al.) Iuven. 6, 396; comoedus 3, 94; natio comoeda 3, 100. Sidon. carm. 23, 129 φ: comoedus.

sŏphōs, adverbium instar substantivi positum = acclamatio secunda I 3, 7 h I 49, 37 sen. I 66, 4 s I 76, 10 p III 46, 8 p VI 48, 1 h. (Petron. 40.) Sidon. epist. 9, 13 alt. carm. 108 ⟨dim. troch.⟩ et carm. 1, 4 p 5, 8 h 8, 10 p 23, 234 φ. sōfōs Anthol. 3 [= PLM 5 pg. 110], 9 h.

Varia.

schōla, ae, f. I 35, 2 φ II 64, 7 h III 20, 8 s IV 61, 3 s. (Cic., al.) Ter. Maur. 302. Auson. 13 ⟨edyll. 4⟩, 6 h 31, 15 h. Coripp. in Iust. 3, 158 h 4, 188 h.

barbārismus, i, m. VI 17, 2 φ. (Cornific., al.) cf. ‚soloecismus' pg. 6 adn. 3.

cŏlossus, i, m. spect. 2, 1 h I 70, 7 h VIII 60, 1 h; acc. colosson II 77, 3 h VIII 44, 7 s. (Sen. ep., alii.) Stat. silv. 1, 3, 51 h. Auson. 26, 2 ⟨edyll. 11⟩, 70 h. CIL 8, 212, 82 h.

† *lygdos*[1]), acc. -on, f. VI 13, 3 h VI 42, 21 φ. [λύγδος.] (cf. Plin. 36, 62: lygdinos in Paro repertos. Iul. Val. 1, 4 ed. Car.[2]) Mueller: at vero horoscopus lygdinus erat. Isidor. orig. 16, 5 ⟨de marmoribus⟩, 8: Parius candoris eximii, Ligdinos cognomento.)

cosmĭcos[3]), i, m. VII 41, 1 h; cosmica, orum, n. ibid. 2 p. [κοσμικός.] Firmic. math. 2, 32 ⟨pg. 43, 5⟩: cosmica sidera. (mundanus Cic. Tusc. 5, 108: Socrates quidem

[1]) Mirabili errore Klotzius et Saalfeld s. v. addunt: „Adiectivisch: Mart. 6, 13, 3 und 6, 42, 6 ⟨sic⟩ marmor lygdon." Georges falso ‚lydos'. — — Cognomen virile ⟨temp. Tib. imp.⟩ Tac. ann. 4, 8. 10. 11: Lygdus spado. Mart. XI 41, 7; ⟨puer exoletus⟩ VI 39, 13; 45, 3 XI 73, 1 XII 71. ⟨in mortario Pompeiano⟩ CIL 10, 8048, 15: Lygdi. 5, 3155: P. Aelio P. L. Lygdo mensori .... Lygdamo nepoti ...

[2]) Falso Teuffel RLG[4] 399, 1: „L. Müller".

[3]) cf. tamen quae de vocabulo hoc Graece scribendo dixi pg. 7 in. — Friedlaenderi interpretatio, qui dubitanter verbum a Cosmo unguentario deducit, reicienda maxime ob hanc rem videtur, quia isto modo interpretantibus distichi pentameter multo deteriorem sensum praebet, quam si dicere poetam statueris: ⟨mundanum esse lausne an potius opprobrium sit incertum est, nam⟩ in mundo et mala et bona sunt.

cum rogaretur, cuiatem se esse diceret, ‚mundanum', inquit, totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. — — mundana = mundus Chalcid. Tim. 251.)

ănālecta, ae, m. VII 20, 17 s XIV 82, 2 p. (Sen. ep. 27, 6.)

draucus[1]), i, m. IX 27, 10 s XI 72, 1 φ XIV 48, 1 h; plur. I 96, 12 s VII 67, 5 φ. [δραῦκος Saalfeld: „von δρᾶν ⟨Ggstz. pathicus von παθεῖν⟩"; ex Graecis scriptoribus non adfertur.] (cf. tribas [τριβάς], f. Phaedr. 4, 16, 1. Martialis ter.)

zēlŏtўpus, a, um I 92, 13 h. (Petron., al.) Iuv. 5, 45. 6, 278. Auson. epigr. 9, 1 h. ⟨eodem semper versus loco.⟩

pragmătĭcus, i, m. XII 72, 6 p. (Cic., al.) Iuv. 7, 123.

proxēnēta ⟨ae, m.⟩ Vatiniorum fractorum X 3, 4 s. (Sen. ep. 119, 1. Dig.)

cătaplūs Niliacus XII 74, 1 h. (Cic. p. Rab. Post. 14, 40: cataplus[2]) ille Puteolanus. Sidon. ep. 6, 8, 1 et 7, 7, 1.) Auson. 19 ⟨ordo urb. nob.⟩, 127 h. Anthol. 910, 67 h: Lagaea cataplus. ⟨utroque loco in clausula ut apud Mart.⟩

cĕleŭma, atis, n. III 67, 4 φ: lentos tingitis ad celeuma remos; IV 64, 21 φ: nauticum celeuma. [κέλευμα rarius quam κέλευσμα.] Vulg. Ierem. 25, 30: celeuma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terrae. ibid. 48, 33: nequaquam calcator uvae solitum celeuma cantabit. ibid. 51, 14: super te celeuma cantabitur. Rutil. Nam. 1, 369: his mecum pigri solabar taedia venti, dum resonat variis vile celeuma modis. Sidon. ep. 2, 10, 27 φ: amnicum celeuma; ep. 8, 12, 5[3]): hic tuas laudes modificato celeumate simul inter transtra remiges, gubernatores inter aplustria canent. Ps.-Asconius ad Cic. div. in Caecil. 55 m.: cani remigibus celeuma solebat et per assam vocem, id est, ore prolatam, et, ut in Argo

[1]) Cognomen muliebre Drauca in ‚vico del lupanare' Pompeis CIL 4, 2193. — Orell. 5002. — CIL 14, 158/9 ⟨Ostiae⟩: Corneliam Draucen. — — CIL 7, 1336, 436 ⟨Londinii⟩: DRAVCVSF.

[2]) Sic Kayser et C. F. W. Mueller secundum Lambinum; ‚artata plus', ‚arcata plus' codd. — — cf. CIL 6, 12615: L. Atilius Cataplus. 10, 8068, 3 et 4: Cataplus l⟨ibertus⟩ et Limēn f⟨ilius⟩. 14, 2675: M. Anius Cataplus.

[3]) omis. lexica.

navi, per citharam. Ven. Fort. carm. 8, 19, 6 p: quando ⟨nauta⟩ celeuma canit. idem vit. S. Mart. 4, 423 h: atque petens portum vada complet nauta celeumă. Vita S. Galli ⟨p. l. aevi Carol. 2 pg. 406⟩ 682 h: non cessat sanctum Gallus cantare celeuma. Gesta Apollonii ⟨ibid. 2 pg. 490⟩ 207 h: ac nautae laeti fuerant celeuma secuti. Thom. thes. pg. 138 a: celeuma, clamor nauticus.

(Lucan. 2, 688: ne litora clamor | nauticus exagitet. — cf. modi Sen. ep. 56, 5: pausarius ⟨= κελευστής⟩ voce acerbissima remigibus modos dans.)

† *trōpis*, acc. -in, f. XII 82, 11 h: feret ipse tropin de faece lagonae.[1]) [τρόπις carina; metaph. = fundamentum.] (cf. usus metaphoricus vocab. ‚sentina'.)

condȳlus[2]), i, m. V 78, 30 φ: parvi tibia condyli. [κόνδυλος.] ⟨metaphorice hoc loco pro harundinis geniculo dictum; sensu autem proprio⟩ Mart. Cap. 1, 88: complicatisque in condylos digitis. Paul. ex Festo 38, 14: condulus anulus. Thomae thes. pg. 143 a: condylus, nodus.

(†) *trăgus*[3]), i, m. = foetor caprinus alarum XI 22, 7 h. [τράγος.] (caper Catull. 69, 6 p: ⟨tibi fertur⟩ valle sub alarum trux habitare caper. Ovid. a. am. 3, 193 h: ne trux caper iret in alas. — hircus Horat. epod. 12, 5 h: gravis hirsutis cubet hircus in alis. — apud Mart. nec ‚hircus' nec ‚caper' eo sensu, at ‚hircosus'.)

gĕlăsīnus, i, m. VII 25, 6 p: nec grata est facies, cui gelasinus abest. [γελασῖνος.] ‚gelasinos[4]) tuos' legendum esse censeo in inscr. Capuana CIL 10, 4483 ⟨„in CEIASINOS quid lateat, nescio" Mommsen⟩.

[1]) Friedl.: ‚Worin hier die Dienstleistung besteht, ist nicht klar.' Equidem sic intellego, Menogenem ipsum ei, quem adulatur, etiam faecem ⟨cf. Hor. a. p. 277. Ov. a. am. 3, 211⟩ imam ⟨i. e. eximiam⟩ apportare ad illinendam faciem. Scilicet in thermis balneisque omnis praesto erat talis apparatus.

[2]) Condylus, nomen propr. IX 98, 2 p.

[3]) Omittere vocabulum noluimus, quamquam iam Ovidius habet halieut. 112; translatum autem apud hunc nomen quadrupedis in piscem est, sicut ⟨apud Plin.⟩ alopex, hippos, asellus, lepus, lupus ⟨Ovid., Mart. XIII 89⟩.

[4]) = sulculos qui sunt in natibus, vd. lexica Graeca; cf. ibidem DICITI pro ‚digiti' scriptum. — — Cognomen Gelasinus CIL 2, 1742. 9, 6083, 4. 10, 3063; 2852. 14, 936. Gelasina 14, 1911.

orthŏpȳgĭum anatis macrae III 93, 12 s. [ὀρθο–πύγιον, saepius ὀρρο–πύγιον.] spurio loco Apul. met. pg. 930 Hild.

rhonchi[1]), orum, m. III 82, 30 s; metonymice = superbia I 3, 5 h IV 86, 7 φ. [ῥόγχος rarius quam ῥέγχος.] Apul. met. 1, 9 m.: cauponem — — deformavit in ranam, et nunc senex ille — — adventores pristinos — — officiosis ronchis ⟨= Quaken⟩ raucus appellat. — cf. rhonchisonus Sid. carm. 3, 8 p. rhonchare[2]) id. epist. 1, 6, 3.

poppysmăta ⟨n. pl.⟩ fatui cunni VII 18, 11 h. [πόππυσμα.] Iuven. 6, 584: frontemque manumque | praebebit vati crebrum poppysma roganti. (poppysmi [ποππυσμός] Plin. 28, 25: fulgetras poppysmis adorare consensus gentium est.)

stigma, ătis, n. XII 61, 11 φ; plur. VI 64, 26 h X 56, 6 p XI 84, 13 h. (Vitruv., Sen., al.) Iuven. 10, 183. Auson.[3]) 20, 13 h: priorum stigmata vatum. Damas. carm. 7, 22 h. Alc. Avitus 3, 9 h. Ven. Fort. vit. S. Mart. 2, 232 h. Anthol. 772, 7 h.

symplegma, atis, n. XII 43, 8 φ. (Plin., al.)

aenigma Thebanum I 90, 9 h. (Cic., alii.) Iuv. 8, 50 h. Auson. 26, 2, 38 h et epist. 4, 72 dim. Prud. apoth. 331 h: ēnigmata[4]). perist. 2, 118 et cath. 10, 136: aenigmata. Ven. Fort.[5]) vit. S. Mart. 2, 394 h.

sōtērĭa, orum, n. = dona revalescenti data XII 56, 3 h. [σωτήριος.] Stat. silv. 1, 4 L: soteria Rutilii Gallici. —[6])

xĕnĭa, orum, n. XIII 3, 1 h. (Vitruv., alii.) Alcuin 1 ⟨p. l. aevi Car. 1 pg. 171⟩, 56 h: ast indigna vident tantis exenia[7]) votis. Walahfr. Strab. 11 ⟨ibid. 2 pg. 359⟩, 7 h: xenia sed mundas tantum pascentia mentes.

[1]) Singularis ‚r(h)onchus' e lexicis Latinis removendus est.

[2]) cf. Groeber, Vulgärlat. Substr., in Woelffl. Arch. 5 a. 1888 pg. 239: rōncare.

[3]) non est in lexicis.

[4]) cf. L. Mueller d. r. m. pg. 358 m.

[5]) omiserunt lexica.

[6]) Cognomen Soteria, ae CIL 3, 2268. 5, 88; 131. 9, 91; 319. 12, 797; 4197; 5070.

[7]) haec forma, quam Paucker ex Augustino et P. Diac. vit. Gregor. lexicis Latinis addidit, invenitur etiam in Thom. thes. pg. 628 et in codicibus Martialis TN in inscriptione libri XIII.

† *trŏpă* ⟨ex emend. Brodaei⟩ ludit IV 14, 9 *φ*. [τρόπα, cf. adnot. Friedl.]

trĭēteris, idis, f. = triennium VI 38, 1 h VII 96, 3 h IX 84, 9 h X 53, 3 h: trieteride ⟨semper in quinta sede⟩. (Trieterides ⟨scil. ἑορταί⟩ Cic. n. d. 2, 58 Muell.) trieteris ⟨ἑορτή⟩ Stat. Theb. 4, 722 h 7, 93 h; = triennium silv. 2, 6, 72 h. Auson. Caes. 2, 7 h. Sidon. ep. 2, 8, 13 *φ*. Anthol. 671 [= PLM 5 pg. 89], 125 h.

* *parazonium*, i, n. XIV 32 L. [Gloss. Graeco-Latinae pg. 394, 38: παραζώνιος μάχαιρα, haec sica.] Gloss. Amplon. pg. 361, 163: parezonium, cinculum⟨lege: parazonium, cingulum⟩. — — Hoc tamen loco ‚parazonium' non plane idem esse atque pugionem et ex epigrammate ipso apparet ⟨cf. Frdl.⟩ et ea re quod proximum ⟨33⟩ munus, quo minus pretium repraesentatur, est pugio.

Ad haec appellativa Graeca adiciantur

adiectiva

a nominibus propriis derivata Graecanica,

quorum prorsus alia est condicio. Ut enim illa, quo elatior sermo erat, tanto magis repudiata esse supra vidimus, ita adiectiva haec Graecanica potissimum terebantur ab epicis, tragicis, lyricis poetis, quippe qui cum argumentis ipsis et nominibus deorum, heroum, hominum, locorum etiam adiectiva eorum nominum a Graecis auctoribus recepissent, accommodatis aliquatenus ad os Latinum vocalibus. — Consentaneum argumentis carminum est Valerium Flaccum et Statium epicos (in eo genere) formis a superiore poesi receptis multo plura addidisse quam Martialem aequalem epigrammatarium; id quod iam singillatim persequemur.

Fiebant illo modo e suffixis Graecis his: 1) *αῖος* 2) *ήιος* 3) *ικός* 4) *εος* 5) *ιος* 6) *ειος* 7) *ιακός* 8) *ος* 9) *ηνός* 10) *ῖνος* 11) *ίς ίδος* 12) *ιάς ιάδος* apud Latinos haec:

1) **-aeus.** Eius modi Flaccus quidem tria nova posuit: Cȳtaeus, Drancaeus, Nēphēlaeus; Statius haec quinque: Alal-

cōmēnaeus, Ātālantaeus, Ēriphȳlaeus, Ītōnaei, Pyrrhaeus. Martialis ⟨receptis viginti⟩ nullum addidit, nec plus novavit suffixo

2) **-ēius,**[1]) quo formata adiectiva a prioribus poetis recepit duo. Flaccus quattuor haec nova: Boebēius, Crēthēius, Dōlōpēius, Pāgāsēius; Statius sex habet: Cāpānēius, Chārōpēius, Mēgārēius, Mȳcālēius, Pelēius ⟨cum Silio⟩, Sīpȳlēius; idem a Latino nomine ⟨Tībērius⟩ ad Graecorum nominum exemplum metri necessitate unus finxit: Tībērēiă aula.

3) **-icus,** quod suffixum Graecis cum Latinis commune est, cf. cap. alt. Graeca duo novavit Statius: Tēgēātĭcus, Centaurĭcus; Martialis pro Ovidii ‚Mithridatēus' posuit hendecasyllabo idoneum *Mĭthrĭdātĭcum* bellum VI 19, 5 *φ*. (Cic., al.) Sidon.[2]) carm. 9, 257 *φ*: Mithridaticus triumphus; 22, 164 h: Mithridaticus miles.

4) **-ĕus.**

De his adiectivis ob causas plures uberius disserendum est, quamquam nec Flaccus nec Statius nec Martialis novum praebet.

Primum secernamus[3]) ab eis diligenter nomina in *εύς*[4]) cadentia substantiva, ut Pentheus, Orpheus, Thēseus, Pānōpeus, Cāphēreus, Tȳphōeus, itemque epitheta masculina ⟨substantiva⟩ a locis suffixo *εύς* derivata, ut apud Horatium Pātārĕus Apollo,

---

[1]) Suffixi Graeci -ēius semper trisyllabi eos tantum casus ponere dactylicis licebat, qui brevem faciebant syllabam finalem. Contra in Latinis nominibus ⟨substt. et adiectivis, ut Nannēius, Pompēius, Saufēius, Tarpēius etc.⟩ suffixum semper disyllabum est. Ad horum exemplum Valerius Flaccus Colchi alicuius nomen usurpavit 5, 582: Carmēiŭs āit.

[2]) Omiserunt lexica.

[3]) Confuderunt terminationes *-εύς* et -ĕus, ĕa, ĕum editores Val. Flacci C. Schenkl ⟨1871⟩ et Aem. Baehrens ⟨1875⟩, qui ex versu 7, 301 ⟨saevus Echīoniā ceu Penthēā Bacchus in aulā⟩ in indicibus praebent: Penthea aula.

[4]) Th. Birt, Über die Vocalverbindung eu im Lateinischen, in mus. Rhen. 34 a. 1879 pg. 1 sqq., imprimis pg. 13 sqq., docuit Latinis diphthongum *ευ* aversantibus etiam poetas dactylicos saepissime, ubi ictus diphthongum non feriret, diaeresis facultatem dedisse, eo quod dedita opera vocabulum a vocali incipiens sequeretur. Itaque verbi causa pronuntiabant ⟨Ov. met. 13, 683 sq.⟩: Alcon | Hylĕŭs ĕt longo . . .; quin etiam alicubi metro diaeresis postulabatur, ut Culicis 117 h in fine: . . . Orphĕŭs Hĕbrum, et Phaedr. 5, 1, 1 sen.: Demētrius qui dictus est Phalērĕŭs ⟨pro Φαληρεύς⟩. Tanto magis cavendum est, ne epitheta in -eus ⟨*εύς*⟩ ut Hylĕus, Sinōpeus, Phalērĕus habeantur pro adiectivis in -ĕus, ĕa, ĕum ⟨= *εος, έη, εον*⟩.

candide Bāssărēū, apud Ovidium Nȳseūs[1]), Sinōpeus ⟨in clausula, trisyll.⟩, Alcon Hȳleus; quorum genetivos ⟨ut Orphēī[2]), Īlīōnēī⟩ et dativos ablativosque ⟨Orphēō⟩ et in clausula accusativos ⟨Typhōēă, Orphēă⟩ dactylici quidem poetae usurpare nequibant nisi per synizesin.

Quam difficultatem dactylici feliciter effugerunt in adiectivis exeuntibus in -ēus, ēa, ēum. Mutuati enim quae Graecis poetis erant[3]) ⟨in εος, έη, εον⟩ posuerunt: Cȳānēus, Hectŏrēus, Hȳperbŏrēus, Nestŏrēus, Tantălēus, finxeruntque ad horum normam, quia plurimis casibus ad metrum dactylicum bene quadrabant, non solum haec: Aesărēus, Aeschȳlēus, Agēnŏrēus, Ămmōnēus[4]), Antēnŏrēus, Bosphŏrēus, Caucăsēus, Cerbĕrēus, Eugānēus, Gorgŏnēus, Mentŏrēus, Mimallōnēus, Pēgāsēus, Pergămēus, Phāsīdēus[5]), Taenărēus[6]), Tartărēus, ⟨Tyndărēus⟩, sed etiam a Latinis nominibus: Apollĭnēus, Caesărēus, Cupīdĭnēus, Herculēus, Poenĭcēus vel Pūnĭcēus, Rōmŭlēus.

Ergo quoniam metri dactylici causa in his adiectivis omnibus[7]) trochaeus terminationem -ēus antece-

[1]) Errore metrico ‚Nyseus' Klotzius.

[2]) Graecus in -ēos genetivus dactylis habilior nondum a Vergilio positus est, at in Culicis v. 269 ⟨Orphēos⟩, apud Ovidium, alios; Martialis in re metrica severus hunc solum sumpsit ⟨Terēos, Pelēos⟩; prorsus enim synizesin in eo genere vitavit, cf. pro dativo nominis ‚Eurystheus' IX 65, 5 h: Argolico tyranno; contra Vergilii Aen. 8, 292 ⟨ablativus⟩: rege sub Eurystheo.

[3]) Onomastico quidem Papei ⟨ed. 3 Benseler⟩ si credimus, apud Graecos ex eisdem adiectivis quinque tantum illa servata sunt.

[4]) Sic Ausonius, at Vergilius alia totius vocabuli mensura Ămīnēus vel Ăminnēus.

[5]) Non est in lexicis; legit sic Riese in Ovid. rem. am. 261.

[6]) Sic Propertius ⟨ed. Baehrens⟩; etiam apud Valerium Flaccum haec forma e codicibus revocari potest.

[7]) Collegi illa ex nominibus Catulli, Vergilii, Horatii, Tibulli, Propertii, Ovidii, Persii, Lucani, Petronii poët., Calpurnii, Valerii Flacci, Statii, Martialis ⟨qui a prioribus recepit quindecim⟩, Iuvenalis, Ausonii, Sidonii, denique Anthologiae Riesei. Duo adiectiva, quae sola ei legi obstare videntur, legem adeo non infringunt, ut potius confirment; sunt enim etiam aliunde suspecta: 1) Typhōēa tela Verg. Aen. 1, 665 Ribb. et codd.; at ‚Typhōïa' Haupt ⟨1873⟩ suo iure, nam iam Servius testis est hanc lectionem aeque vetustam esse. — 2) Caphārēa saxa Prop. 4, 6, 39 Muell. = 3, 7, 39 Baehrens; at quod in cod. V manus altera ‚capharia' correxit, subtilius est, quam quod nullo codice

dit[1]), falsum est, quod novissimi editores dederunt X 42, 3 h XIII 24 L et 1 h: *Cȳdōnēa* ⟨mala⟩, pro Schneidewini ‚Cydŏnĭa'[2]).

5) -ĭus.

Suffixo hoc omnium frequentissimo novata apud Valerium Flaccum occurrunt haec: Aeētĭus, Aesepĭus, Ātrăcĭus, Dŏlĭōnĭus[3]), Electrĭus, Hȳpĕrĭōnĭus; apud Statium undecim: Abantĭus, Aepȳtĭus, Anthēdōnĭus, Asōpĭus[4]) Th. 7, 723, Ithācēsĭus ⟨cum Silio⟩, Labdăcĭus, Līcymnĭus, Mēlēagrĭus, Palaemōnĭus, Phāēthontĭus ⟨cum Silio⟩, Sangărĭus, Teumēsĭus. Martialis nova tantummodo trĭa habet:

Arsăcĭa aula IX 35, 3 h. [Arsăces, Ἀρσάκιος adiect.] Claudian. carm. 8, 216 h: Arsacium os. Sidon. carm. 2, 450 h: Arsaciae domus.

† *Hĕlĭcaōnĭa* regio XIV 152, 2 p. [Helicaon X 93, 1.]

† *Lampsăcēnus* versus XI 16, 3 h; Lampsaciae puellae XI 51, 2 φ. [Lampsacus.] (Lampsācēni [Λαμψακηνός] Cic. Verr. 1, 63. Lampsacena urbs Val. Max. 7, 3, ext. 4.)

adhibito correctum videatur, ac re vera quibusdam locis ea manus altera genuinum sola exhibet; cf. C. Weber, De auctoritate codd. Propert. ⟨progr. Hagen. 1887⟩ pg. 12 sq.

[1]) Prorsus alia erat causa adiectivorum in -ĭus = ιος, quae innumerabilia a Graecis iam formata non erat cur Latini poetae dactylici repudiarent idoneis formis casibusque, ut Ăchēlōĭă cornua, Phāēthontĭă fabula; Sangărĭusque puer, Palaemōnĭŏ Lechaeo⟩. In -ēus = εος adiectiva ea dactylis accommodabantur, quae aut longam syllabam aut duas breves ante suffixum exhibent ⟨Phāēthontēus, Pēlŏpēus⟩. Ergo in nomine eodem et -ēus et -ĭus, in altero et -ĭus et -ēus comparere possunt, non possunt et -ēus et -ēus in eodem apud dactylicos. De qua re falso Georges aliique iudicant s. v. Aeschylēus, Caphārēus.

[2]) XIII 24 codd. fere omnes: Cydonea, at X 42 omnes praeter TX: Cydonia. Atque ex eis quas exposui legibus postulatur forma aut Cydōnēus ⟨sic Ov., Sil., Stat.⟩ aut Cydōnĭus ⟨sic Verg., Hor., Prop., Calp., Anthol.⟩. Plinii ‚Cydoneus' a Gilberto ⟨in edit. Frdl. vol. 1 pg. 115⟩ allatum neque quomodo dimetiendum ⟨-ēus an -ēus⟩ sit scitur neque cum poeticis exemplis coniungendum est.

[3]) Falso Georges: Dŏlĭŏnĭus.

[4]) Non est in lexicis.

6) -ēus.

Terminatio haec, quae apud dactylicos nominibus eiusdem mensurae applicatur atque -aeus, -ēĭus, ⟨-ēnus⟩, apparet in adiectivis a Flacco novatis duobus: Lāgēus, Thȳnēus, a Statio novem: Adrastēus, Cāpānēus, Cenchrēus, Cīnўrēus, Clўmēnēus, Dĭcarchēus ⟨Sil.⟩, Eurysthēus, Mēnoecēus, Phōrōnēus. A Latinis nominibus poeta unus quantum vidi Statius non dubitavit ad Graecam normam derivare Mārōnēus[1]) et Nērōnēus ⟨cf. supra eiusdem ‚Tībērēĭus'⟩.

Martialis receptis a prioribus poetis viginti adiectivis unum de ‚Ianthis' ⟨Ianthĭdōs VII 15, 1, Ianthĭda VI 21, 1⟩, quod nomen ipse excogitaverat pro Violantilla, ⟨non ut debuit ‚Ianthideus[2])', sed metri causa quasi esset nominativus ‚Ianthe'.⟩ derivasse putatur ab editoribus:

† *Ĭantheae*[3]) Stella sititor aquae XII 3, 12 p.

7) -ĭăcus.

Longae adnexum syllabae a doctis poetis Romanis ad dactylos efficiendos libenter usurpatur. Itaque Flaccus novavit ‚Thespiacus', Statius ⟨recepto hoc et decem praeterea⟩: Amphrўsiacus, Byzantiacus, Caspiacus, Isthmiacus ⟨cum Silio⟩, Lemniacus ⟨cum Martiale⟩, Sestiacus, Telphūsiacus; Martialis ⟨receptis sex⟩ nova haec addidit:

Lemnĭăcae catenae V 7, 7 h. [Lemnos]. Stat. Theb. 3, 274 h: Lemniacae catenae; silv. 3, 1, 132 h: antra Lemniaca. Sidon.[4]) carm. 11, 33 h et 23, 290 φ: Lemniacae catenae. (Lemnius [Λήμνιος] Plaut., cett.; Lemnia vincula Stat. silv. 1, 2, 60 et alibi sexiens. — Lemnias [Λημνιάς], ădis Ovid., Stat., plur. Anthol.[5]) 65 [= PLM 4, 253], 1 h 2 p. — Lemniensis Plaut.)

[1]) Quod apud Tibull. ⟨et Plin. maiorem⟩ legitur Mārōnēus, a Thracica urbe *Μαρώνεια* derivatum est. — Statio videlicet auctore Vomanius in Anthol. 514, 2 p: Mārōnēum ingenium. ⟨omiserunt lexica⟩.

[2]) siquidem suffixa stirpi in casibus obliquis integrae adnectuntur, cf. Atlas Atlantēus, Athamantēus, Phāsis Phāsīdēus pg. 28, Thētis Thētīdēĭus etc.

[3]) ex emendatione Scriverii; ‚Yantheae' P ‚Yanteae' B; ‚Hyanteae' ceteri codd. et vulgata ante Schneidewinum lectio, quam etiam nunc lexica praebent. Itaque ⟨vd. adn. praeced.⟩ ipse quoque a codicibus recedere vereor.

[4]) [5]) Omiserunt lexica.

† *Maurūsĭăcus* citrus XII 66, 6 p. [Maurusia]. (Maurusius Verg., alii. — Maurus Horat., alii, Martialis quater. — Maurīcus[1]) Coripp. Iohann. 2, 137.)

8) -us.

Hoc modo interdum finguntur adiectiva nominum ipsorum quoque in -us ⟨-ος⟩ vel in -a ⟨-α, -η⟩ exeuntium. Ita a Flacco: Ăcĕsīna agmina [Acesinus, flumen Sarmatiae], a Statio: Inăcha pubes [Inachus]; a Martiale, si recte emendatum est:

† *Mĭnўus* XI 99, 6 p: et Minyas[2]) intrant Cyaneasque nates. ⟨cf. adn. Frdl.⟩ [Minyae = Argonautae Ov., Lucan., Val. Flaccus.] (Mīnўēĭus Ov. met. 4, 389. cf. apud eundem Mīnўēĭas, ădis ⟨= filia Minyae⟩ et Mīnўēĭdes, um; Minyas, acc. -ada ⟨herba⟩ Plin. 24, 157.)

† *Mўrīnus* IX 42, 1 φ: campis dives Apollo sic Myrinis[3]) — fruare. [Myrina; cf. adn. Frdl.]

9) -ēnus et 10) -īnus.

Suffixis his non frequentibus novavit Flaccus: Tībīsēna ostia; ⟨Statius ab Ovidio recepit: Abўdēnus⟩; Martialis in choliambis:

Dămascēnus V 18, 3 s: senibus cum Damăscēnis ⟨scil. prunis⟩. (Plin., al.)

† *Phălántĭnus*[4]) Galaesus V 37, 2 s. [Phalantus conditor Tarenti.] (Phalantēum Tarentum Sil. 11, 16 h.)

10) -is ⟨ĭdis vel ĭdos⟩ et 11) -ĭas ⟨ĭădis vel ĭădos⟩.

Terminatione utraque ⟨a virorum aut locorum nominibus⟩ derivata substantiva feminina huc non pertinerent, nisi a poetis rebus inanimis adiectivorum instar saepe attributa essent. Nova eiusmodi apud Flaccum sunt: Aeētis, Messēĭdes undae; apud

[1]) At ‚⟨L. Iunius⟩ Maurīcus' ⟨in lexicis [praeter Quich.] non notatum⟩ Mart. V 28, 5 s; Maurīcius Ven. Fort. carm. 2, 14, 5 h.

[2]) Sic vetere emendatione pro codicum ‚nimias'; ‚minias' Q, Koestlin.

[3]) Sic Gilb., Frdl.; ‚marinis' Scalig., Schneidewin; ‚semurinis', ‚sic murinus' etc. codd.; ‚Myrines' Buecheler. — — Myrinus, cogn. CIL 10, 1403 g 1, 30. Myrina 3, 5389.

[4]) cf. Ērўcīnus, Euēnīnus etc.

Statium: Bacchēis Ephyre, Eubōis tellus, ora, Hōmolōides ingentes ⟨portae⟩, Mārathōnis quercus, silva, Scȳrēides, Tithōnis; apud eundem: Ērȳmanthiādes nymphae, Sestīas; apud Martialem:

Castālis ⟨unda⟩ IX 18, 8[1]) p; Castālīdes sorores IV 14, 1 *q*. [*Κασταλίδες*.] Sidon.[2]) carm. 1, 9 h: Castalidum chorus; 2, 314 h: Castalides. (Castalia umbra Lygd. 1, 16 p. arbor Prop. 4, 2, 13 h. aqua Ov. am. 1, 15, 36 p et Mart. VII 22, 4 p; domus VIII 66, 5 *q*. Castaliae guttae Col. 10, 267 h.)

Delphis[3]) tua IX 42, 4 *q*. [*Δελφίς*.] Lact. 1, 6, 7: Delphidis; ibid. 1, 6, 9 et inst. epit. 5, 1: Delphida. (Delphica, ae XII 66, 7 et apud posteros ⟨cf. Marquardt, Privatleben 310⟩ mensae genus significat, quod ‚mensae Delphicae' dicit Cic. Verr. 2, 4, 59.)

† *Permessis* I 76, 11 h: Permesside nuda; VIII 70, 3 h: sacram Permessida. [*Περμησσίς*.] (Permessius fons Claud. laud. Seren. 8.)

[1]) Locus omissus in indice edit. Frdl.

[2]) Omiserunt lexica.

[3]) Delphis, cogn. CIL 2, 2289. 5, 7044. 9, 706; 3330; 4694. 10, 6770. Delpis 9, 3325.

Caput II.

VOCABULA LATINA.

I. Substantiva simplicia.[1])

A. Substantiva derivata.

exeuntia 1) in **-tor** ⟨**-sor**⟩ et **-trix.**

His terminationibus substantiva cum omnibus Latinae linguae temporibus et in poetica et in prosa oratione nova sunt formata, tum a recentioribus et recentissimis scriptoribus omnium plurima; cf. Paucker in ‚Materialien zur latein. Wörterbildungsgeschichte' Berolini 1884 pg. 28 sq.[2]) Valerius quidem Flaccus novavit fortasse haec sex: frenator, mugitor, pulsator, gestatrix, memoratrix, sociatrix; Statius haec octo: nutritor ⟨cum Martiale⟩, reparator, rotator, temerator, populatrix ⟨cum Martiale⟩, praedatrix, simulatrix, turbatrix. Ex Silio Paucker l. c. ⟨pg. 2 huius libelli⟩ nova non indicavit, ex Iuvenale: secutor.

Etiam Martialis non pauca huius generis videtur novavisse; sunt enim apud eum 15 nomina, quorum antea neque masculina neque feminina forma exstabat; accedunt sex, quorum ad priorem formam in -tor aut -trix alteram in -trix aut -tor adiecit; de-

[1]) Inter simplicia nomina et verba nimirum ea quoque rettulimus, quae a compositis vocabulis derivata, non ipsa compositione orta sunt; itemque inter Latina, quae a Graecis nominibus ducta sunt suffixis Latinis.

[2]) Omnia in -tor et -trix exeuntia habes collecta ab eodem in ‚Meletemat. lexistor. alt.' parte I ⟨Dorpati 1875⟩ pg. 52—65. — Praeterea cf. Henricus Ploen, De copiae verborum differentiis inter varia poesis Rom. antiquioris genera intercedentibus ⟨Dissertt. Argent. vol. 7 a. 1882⟩ pg. 42, de quo libello et doctissime et sollertissime scripto non recte indicavit Guilelmus Deecke in Bursiani ‚Jahresbericht' 32 a. 1884 pg. 334 sq.

nique 12, quae inter poetas videtur primus posuisse. Haec 33 vocabula ita singulis metris continentur:

insunt in	h	p	φ	s	sen.
generis a	6	7	2	6	1
generis b	6	5	4	4	
amborum	12	12	6	10	1

Ergo in iambicis versibus numerus circiter quattuor partibus maior est, quam qui ex dactylicorum comparatione exspectatur; hendecasyllabi autem numero novorum vocabulorum cum dactylicis congruunt.

bāsĭator XI 98, 13. 16. 19 s; plur. ibid. 1 s. [‚basiare, basiatio' Catullus novaverat.] Glossae nominum pg. 569, 33: basiator, amator, osculator. Gloss. Graeco-Lat. pg. 471, 31: φιλητής, basiator, amator.

calcŭlator X 62, 4 s. [calculare Chalcid., Prud., al.] Edict. Diocl. 7, 67 ⟨= CIL 3 pg. 801⟩. Rufin. Origen. in num. hom. 27, 12. Ulpian. dig. 38, 1, 7, 5. Modestin. dig. 27, 1, 15, 5: καλκουλάτορας, οὓς διαψηφιστὰς λέγομεν. Isidor. orig. 10, 43. Ps.-Acro Hor. sat. 1, 6, 72. CIL 5, 3384. 14, 472. Gloss. nominum pg. 572, 8: calculator, computator. Thomae thes. pg. 149b: calculator, numerator. — — calculatrix Beda de mundo const. tom. 1 pg. 403. (calcŭlo, onis Fest. breviar. 1 Wagener. Augustin. ord. 2, 12, 35. Anthol. 96 [= PLM 4, 284], 1 h. — ratiocinator Cic. ad Att., al.)

† *cēlēbrator* VIII 78, 3 h: Hyperborei celebrator Stella triumphi.

conturbator[1]) aper VII 27, 10 p; conturbator macellus X 96, 9 h. — subst.: Ps.-Quintil. declam. tribun. Marian. 6 ex. Hegesippus 4, 4, 1. Facund. defens. trium capitulorum 4, 1 et 12, 5 ⟨Mignei patrol. Lat. tom. 67⟩: Ecclesiae conturbatores.

grātŭlator[2]) X 74, 1 s. Augustin. in Ioannis ep. ad Parthos tract. 8, 9.

invītator IX 91, 2 p. Tertull. ad Marc. 4, 25 ex. Chal-

[1]) Exempla huiusmodi ⟨adiectivi⟩ usus plurima collegit Neue, Formenl. 2[3] pg. 35 sqq.

[2]) Spurio loco Cic. de fin. 2, 108 Mueller.

cid. Tim. 17 A. Hieron. in Matth. 1, 9, 13. Augustin. ad Donat. 20. Salvian. gub. dei 1, 36. Sidon. ep. 9, 13, 4. Cod. Iust. 12, 59 (60), 10, 5. CIL 6, 8857—8862. Gloss. Graeco-Lat. pg. 350, 51: κλήτωρ, invitator. — — invitatrix Symmach. ep. 1, 59 in.: hortatio invitatrix religionis. Cassiod. var. 11, 38: invitatrix pulchritudo chartarum. (vŏcator Sen. de ira 3, 37, alii; Mart. VII 86, 11 φ.)

mallĕator palucis Hispanae XII 57, 9 s. [malleatus[1]), a, um Col., alii.] Vulg. genes. 4, 22; Iob 41, 15. Hieron. Orig. in Ierem. hom. 3, 1: quotiescunque in tentationem incideris, scito malleum diabolum esse, et malleatorem eum, per quem te zabulus insequitur. Orell. inscr. 3229: malliatores. Gloss. Graeco-Lat. pg. 449, 52: σφυροκόπος, malleator. Thomae thes. pg. 366b: malleator, cum malleo percutiens.

† *masturbator* XIV 203, 2 p. [masturbare, vd. infra.] (? mascarpio[2]) Petron. 134.)

plōrator vernula XIV 54, 1 h. Vulg. sap. 18, 10: flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium. (lamentator CIL 8, 9519, 14 h. al.)

† *ructatrix* mentha[3]) X 48, 10 p.

sciscĭtator urinae III 82, 16 s. Auson.[4]) 8, 5, 21: quid me oneras sciscitator? Amm. Marcell. 22, 16, 16: Herodianus artium minutissimus sciscitator. Prud. cath. 7, 193 sen.: explorat arte sciscitator callida. Gloss. Graeco-Lat. pg. 471, 48: φιλοπεύστης, sciscitator. (inquisitor Cic., alii. — investigator Cic., alii. — scrutator Lucan. 4, 298, alii.)

mōtor cunarum fueras mearum XI 39, 1 h. Gromat. vet. pg. 351, 4: motores ⟨scil. terminorum⟩. (commotor Augustin. civ. dei 7, 3.)

† *dormītor* Endymion X 4, 4 p. (cf. dormitator Plaut. trin. 862 et 984.)

[1]) malleare: Groeber, Vulgärlat. Substr., in Woelffl. Arch. 3 a. 1886 pg. 524.

[2]) Cf. Stowasser in Woelffl. Arch. 1 a. 1884 pg. 287 et Thielmann ibid. 3 a. 1886 pg. 541. Praeterea cf. cognomina Mascarpio CIL 12, 5876, Mascarpus ibid. 5686, 555.

[3]) Cf. cetera metonymiae exempla collecta a Friedl. ad I 15, 7 ⟨catenatique labores⟩, ubi typothetarum errore legitur ‚mentha circulatrix'.

[4]) Omiserunt lexica.

† *ēsŭrītor* Tuccius III 14, 1 sen. [‚esuritio' Catullus novaverat.] (ēsŭrĭo, onis Plaut. Pers. 103. — fāmēlĭcus Plaut., ceteri.)

sĭtītor Stella aquae Iantheae XII 3, 12 p. Apul. met. 1, 2: sititor alioquin novitatis. Mart. Cap. 1, 82: iuvenis sititor sanguinis.

Altera utra forma ⟨aut feminina aut masculina⟩ iam exstabat horum nominum:

gestator ⟨passive⟩ IV 64, 19 φ. ⟨active⟩ Plin. epist. 9, 33, 8: delphinus gestator conlusorque puerorum. Rufin. Orig. in Levit. hom. 5, 8: gestator aquae. Prud. apoth. 932 h: innocui gestator corporis. Anthol. 617 [= PLM 4, 142], 6 h: iuvenis gestator aquae ⟨caeli signum⟩. — — gestatrix Val. Flacc. 4, 605: Gorgonei gestatrix monstri. (vector ⟨passive⟩ Cic., Vergil., Ovid., Lucan., alii. ⟨active⟩ Lucil., Ovid., Sen., Mart. II 14, 17 h, alii.)

pŏpŭlatrix Hymetti apis XIII 104, 1 h. Stat. silv. 3, 2, 86 h: Siculi populatrix virgo profundi. Auson.[1]) 18, 2, 241 h: scrutatur toto populatrix turba profundo. Claudian. rapt. Proserp. 3, 167 h: populatrices catervae. — — Troiae populator Ovid. met. 13, 655; alii. Val. Flacc. 1, 685: Calabri populator Sirius arvi. Mart. VII 27, 1 h: Tuscae glandis aper populator.

sălūtatrix pica VII 87, 6 p; charta salutatrix IX 99, 2 p. Iuven. 5, 21: salutatrix turba. — — salutator, vd. infra.

† *sūdatrix* toga[2]) XII 18, 5 φ. — — sudator Plin. 23, 43: sudatoribus e longa tussi.

trăctātrix III 82, 13 s. Charis. GL 1 pg. 44, 7: tractator tractatrix. — — tractator Sen. ep. 66, 53. Charis l. c. Claud. Mam.[3]) septiens. Sidon. ep. 2, 9, 5 et 4, 11 v. 9 φ. tractatores Alc. Avit.[4]) poëm. 6, 406.

nutrītor VIII 28, 5 h: Tartesiacus stabuli nutritor Hiberi | Baetis. Stat. Theb. 10, 228 h: volucrum nutritor equorum. Suet. gramm. 7: M. Antonius Gnipho . . . . a nutritore suo ma-

[1]) Omiserunt lexica.
[2]) Cf. pg. 35 adnot. 3.
[3])[4]) Locos omiserunt lexica.

numissus. Lampr. Al. Sev. 13, 4: nutritor Philippus. Firm. Mat.[1]) 5, 8: equorum nutritores. Charis. GL 1 pg. 44, 8: nutritor nutritrix, quamquam in usu nutrix dicatur. Claudian. in Eutrop. 1, 104 h: dotalem genero nutritoremque puellae | tradidit. Pelagon. art. vet. 17 ⟨pg. 70 Sarchiani⟩: nutritor equorum. Ruricius[2]) 2, 40, 4: nutritor dominus. Dracont. de deo 1, 685 h; 2, 2 h; Orest. 353 h. Ven. Fort. carm. 9, 16, 9 h: te tutorem alii nutritoremque fatentur. CIL 5, 4241; 4400; 7188. 6, 8425. 10, 189; 295; 482; ⟨648⟩. 14, 2540; 2828. Gloss. Graeco-Lat. pg. 460, 14: τροφεύς, nutritor, educator, altor, nutric⟨i⟩us. Gloss. nominum pg. 577, 50 et 586, 10. (nutricius, adiect. Varro r. r. 2, 1, 9, al.; subst. Caes. b. c. 108, 1, al. — altor et educator Cic. n. d. 2, 86.)

Vocabula generis b:

ambŭlator I 41, 3 φ II 11, 2 s. (Cato ag. cult.)

cantator cygnus XIII 77, 2 p. (Varro l. L., al.)

dispensator V 42, 5 h VI 73, 2 p VII 71, 3 h XI 39, 6 p. (Cic., al.) Iuven. 1, 91.

fellator XI 30, 2 p XI 66, 3 φ XII 59, 10 φ XIV 74, 1 h; plur. XI 95, 1 h. [‚fellare' ut Catull. 59, 1 s.] (Inscr. Pompeian. CIL 4, 1708; 1825 a; 2169; 2400; felator ibid. 1666; 1784; 2170.) Auson.[3]) epigr. 66 L et 3 h. — — felatrix CIL 4, 1389 etc.

hăbĭtator nemoris amoeni IX 51, 5 h. (Cic., al.) Iuven. 14, 312. Prud.[4]) psych. 745 h. Anthol.[5]) 286 [= PLM 4, 440], 104 h; 838 [= PLM 5 pg. 398], 1 h.

nĕgōtĭator X 87, 9 φ XI 66, 2 φ. [negotiari, vd. infra.] (Cic., al.)

nōmencŭlator X 30, 23 s. (nomenclator Cic., al.; nomenculator Sen., al.)

sălūtator I 70, 18 p III 58, 33 s VIII 44, 4 s X 10, 2 p X 74, 2 s XIV 74, 1 h. (Q. Cic., al.) Stat. silv. 2, 4, 29 h.

spŏlĭatrix amica IV 29, 5 h. (Cic.) — — spoliator (Cic., Liv.) Iuven. 1, 46.

consessores I 26, 3 h. (Cic., al.)

dēlator spect. 4, 4 p 5 h XI 66, 1 φ. (Liv. 45, 31, al.) Iuven. 4, 48.

[1])[2])[3])[4])[5]) Locos omiserunt lexica.

fūtūtrix manus XI 22, 4 p; fututrix lingua XI 61, 10 s. [‚futuere, fututio' apud Catullum primum legitur.] (Inscr. Pomp. CIL 4, 2204: *MOΛA ΦOYTOYTPIC.*) — — fututor Priap.[1]) 57, 6 φ 58, 4 s 63, 16 s. Inscr. Pomp. 1503, al. Martialis octiens. Anthol.[2]) 148 [= PLM 4, 335], 8 p.

structor X 48, 15 h. (Cic., al.) Iuven. 5, 120. 11, 136. Ven. Fort. carm. 1, 11, 1 h.

2) in **-tio** et **-sio.**

Quae Martialis vocabula in has terminationes exeunt, omnia multo vetustiora sunt ⟨ac ne apud Martialis aequales quidem poetas novicia exstant⟩; tamen dimidia pars ⟨10⟩ nondum antea in versibus occurrit. Eius rei causa in metricis legibus et prosodiacis posita est. Nam cum post florem tragoediae et comoediae tota fere poesis Romana dactylicis potissimum versibus uteretur, propter longitudinem litterae o finalis ea tantum substantiva, quae in anapaestum exibant ⟨ut ambītiō⟩, metro accommodabantur. Atqui mutata[3]) paulatim illa mensura litterae o

[1])[2]) Locos lexica omiserunt.

[3]) De universa quantitate litterae o finalis disseruit Lucianus Mueller d. r. m. pg. 336—340; quamquam, quod ad Martialem et eius aequales attinet, non recte haec scripsit: „licentiam intendere Seneca Martialis Iuvenalis Statius ceteri classicorum, qui et verborum ac nominum formas promiscue nec raro corripuere adverbia velut ideo illico intro porro sero subito ac numeralia puta ambo octo". Enimvero apud Martialem ⟨et Statium et Iuvenalem et alios⟩ non licentia, sed potius lex quaedam apparet, scilicet ut littera o extrema praeter dativos et ablativos semper brevis sit, si ictu non feriatur; si feriatur, semper longa. Epigrammata quam religiosissime perscrutans laesam eam legem deprehendi tantummodo his 5 locis ⟨1 h, 4 φ⟩: II 18, 1 h: Captō tuam, pudet heu, sed cáptō, Máxime, cenam. IV 43, 7 et 8 φ: Iúrō pĕr Syrios tibi tumores, Iūrō pĕr Berecyntios furores. V 6, 19 φ: Ūltrō pūrpureum petet libellum. VI 55, 5 φ: Málō quăm bene olere nil olere. XI 75, 7 φ: Érgō nĕ videaris invidere. Atqui proprie repugnare legi unum illud ‚cāptō' ⟨h⟩ dici potest, quoniam cetera vocabula in prima sede hendecasyllabi leguntur, hoc autem loco apud Catullum, quem Martialis multis aliis rebus imitatur, etiam trochaeus saepe occurrit. Qua licentia quamquam Martialis prorsus abstinuit ⟨cf. O. Guttmann, Observ. in M. Val. Mart. pg. 51; Friedl. in praef. pg. 28⟩, tamen coniunctis his duabus causis, scil. antiquiore hendecasyllabi forma et antiquiore litterae o quantitate, suo iure se excusatum putavit; cum praesertim idem usus compareret in hendecasyllabis carminum Priapeorum: in quorum initio ⟨semper spondeo praeter unum iambum

Martiali et aequalibus sequentibusque poetis nulla iam difficultas erat in his vocibus usurpandis, quin etiam libenter eisdem nominativis quintum dactylum hexametri efficiebant. — Inveniuntur igitur apud Martialem in h 8, p 2, φ 2, s 1:

cēnatio II 59, 1 h. (Sen. ep., al.) Iuven. 7, 183. Sidon. carm. 22, 207 h.

cōmissatio XII 48, 11 h. (Cic., al.)

gestatio ⟨passive⟩ V 20, 8 φ. (Cels., al.)

missio spect. 29, 3 h XII 29, 7 h. (Cic., al.)

oscĭtationes[1]) II 6, 4 φ. (Cels., al.) Stat. silv. 4, 9, 20 φ.

pensio III 30, 3 h III 38, 6 p VII 92, 5 h XII 32, 3 s. (Cic., al.) Iuven. 9, 63.

portio spect. 15, 2 p. (Cato, al.) Iuven. 3, 61. 9, 128. Auson. parent. 15, 11 h. Rutil. Nam. 1, 426 p. Sidon. ep. 7, 17 v. 4 p; carm. 7, 157 h; 21, 4 p. Alc. Avit. 2, 420 h.

praefatio III 18, 1 h. (Cic., al.)

vēnatio XIII 100, 1 h. (Cic., al.)

vexatio X 82, 1 h. (Cic., al.)

Adicere ad haec liceat duo in **-io,** ad quae eaedem leges metricae et prosodiacae pertinent:

pūgio, onis, m. XIV 33, 1 h. (Cic., al.) Prud. cath. 12, 116 dim.

tālio XII 63, 10 φ: sine talione. (duodecim tabulae, al.)

3) in **-tus** quartae declinationis.

Suffixum -tus ⟨-sus⟩ elatioris generis poetae praeferebant terminationi alteri -tio ⟨-sio⟩ in prosa oratione et cotidiana multis partibus frequentiori, dactylici vero antiquiores etiam metri necessitate ⟨vd. supra et cf. Ploen l. c. pg. 43⟩. Etiam Statius octo habet novicia; ex his in Silvis: certatus, distinctus, natatus, precatus, spumatus; in Achilleide: rotatus; in Thebaide: applausus, proflatus. Valerius Flaccus novavit

4, 2⟩ habes: ĕrgō 2, 9. 14, 9. 77, 8. pŏrrō 26, 1. nĕmō 32, 8. quaĕsō 77, 16, quamquam ceteris locis o finalis nisi ictu non producitur.

[1]) Cf. apud Catullum item in fine hendecasyllabi collocata: oscŭlationis, aestĭmatione, allŏcūtione et -is, ambūlatione, apprōbationem, irrūmatione, ⟨et quae eo auctore Martialis quoque sic posuit:⟩ bāsiationes, cōgĭtationes ⟨+e M.⟩, ēsŭrītione et -um ⟨-em M. bis⟩, fŭtūtiones ⟨-is M.⟩. In scazontis initio uterque habet: ōratione⟨m⟩.

hoc: ovatus; Silius hoc: extentus. At Martialis, qui versuum plus tertiam partem non dactylico metro incluserit et suffixo -tĭŏ in casu recto libenter ad dactylos fingendos usus sit, unum non ab ipso inventum introduxit in poeticam linguam

rĕātus[1]), us, m. II 24, 1 h in clausula, ut plerumque sequentes poetae. (Messala ap. Quint. 8, 3, 34; alii.) Auson.[2]) 4, 3, 79 h. Prud. c. Symm. 2, 473 h; cathem. 7, 175 sen.; 11, 104 dim.; hamartig. 929 h. Prosper ingrat. 1, 20 h. Sidon. carm. 9, 270 φ. Sedul. carm. pasch. 4, 237 h. Alc. Avit. 2, 51; 180; 346; 397. 3, 91. 4, 414. 5, 223; 708. 6, 167 h. Ven. Fort. 5, 6 v. 30 h; vit. S. Mart. 1, 218. 3, 525. 4, 203; 557; 595 h. Anthol.[3]) 794 [= PLM 5 pg. 389], 15 h.

4) in **-mentum**[4]).

Substantiva in -men desinentia sublimioris dicendi generis ⟨h. e. epicorum tragicorumque⟩, contra pleniorem terminationem -mentum tenuioris et familiaris poesis fuisse recte notavit numerisque comprobavit Ploen l. c. pg. 42 sq. Quocirca Valerius Flaccus finxit: adspiramen, lustramen; Silius: decoramen, meditamen, nutamen; Statius in Thebaide: litamen. Martialis autem cum raro sermone elatiore uteretur, in -men nullum novavit, sed solus in versu posuit[5]) haec in -mentum desinentia:

lōmentum III 42, 1 h. (Cael. ap. Cic. ep. 8, 14, 4, alii.)
tōmentum XIV 160, 1 h. (Varro l. L., alii.)

5) in **-ētum**[6]),

quibuscum comparentur Graeca vocabula tria vel quattuor in *-ών* novata pg. 14 sq. Novum Statius habet ‚nūcētum' ⟨in φ⟩; Martialis haec:

[1]) Non a verbo, ut cetera quae nominavi, sed a nomine ‚reus' ductum; cf. vocabula: consulatus, flaminatus, magistratus, tribunatus.

[2])[3]) Non sunt in lexicis.

[4]) De terminationibus -men et -mentum disputavit Corssen, Krit. Nachträge pg. 124 sqq. — Paucker, Laterculi nominum in -men et -mentum exeuntium, in ‚Meletemat. lexistor. alter.' pg. 23—31.

[5]) In initio dactylici versus Catullus quoque novaverat, ōmentum' 90, 6 p.

[6]) Cf. G. Bordellè, De linguae lat. adiectivis suffixo -to a nominibus derivatis, Duesseldorfiae 1873 pg. 54—57. Paucker, Materialien pg. 43 adnot.

bŭxētum III 58, 3 s; plur. II 14, 5 h. Gloss. Graeco-Lat. pg. 426, 15: *πυξεών*, buxetum.

īlĭcētum IV 55, 23 φ XII 18, 20 φ, utroque loco in clausula. Fest. pg. 366, 8: Tifata iliceta. Sidon.[1]) carm. 9, 183 φ item in clausula. Idiom. cod. Harleiani pg. 500, 33: ilicetum, *πρινών*. Gloss. nominum pg. 582, 16: ilicetum, genus arboris spinosi. (cf. querquetum Varro; quercetum Horat., alii.)

fĭcētum XII 33, 2 p. (Varro r. r., al.)

6) in **-tas**[2]).

Nomina in -tas cadentia in elatiore poesi magis quam in sermone vulgari in usu fuisse Ploenius probat l. c. pg. 39; multa autem, partim prosa oratione trita, dactylicis omnibus poetis metri causa repudianda erant. Itaque Martialis ⟨receptis 26 a priore poesi⟩ ex prosa oratione ascivit quattuor in φ et s, quamquam unum ⟨dēbīlītas⟩ ne dactylicum quidem metrum reformidat.

dēbĭlĭtas II 86, 5 φ: mollem debilitate galliambon. (Cic., al.) Iuven. 14, 156: morbis et debilitate carebis.

hōspĭtālĭtas IV 64, 28 φ: tam comi patet hospitalitate. (Cic., al.) Sidon. carm. 23, 3; 434 φ 24, 83 φ: sancta suscipit hospitalitate.

prŏcācĭtas I 41, 19 φ II 41, 17 φ. (Cic., al.)

vĭrĭlĭtas IX 6, 5 s. (auct. bell. Alex., al.)

7) in **-o** et **-io** masculina,

derivata cum vi augendi a vetustioribus formis in -us exeuntibus[3]).

cāpŏnes, um III 58, 38 s XIII 63 L. [capus.] Treb. Poll. Gallien. 12, 5: caponem. Apic. 4, 173: testiculos caponum. Pallad. Nov. 1, 3: sanguine caponis. Charis. GL 1 pg. 103, 26: capo dicitur nunc; sed Varro de sermone Latino ‚iterum' ait ‚ex gallo gallinaceo castrato fit capus'. Anthol.[4]) 132 [= PLM 4, 320] L: de capone phasianario [phasanacio Baehrens]. CIL 8, 8247[5]): capone⟨m H⟩erculi. (capi Varro r. r. 2, 7, 15 et 3, 9, 3. Colum. 8, 2, 3.) cf. ‚pāvus' Ennius, Varro, alii, et ‚pāvo'

[1]) Omiserunt lexica.

[2]) Cf. Paucker, Die substantiva abstracta auf -tas, in Z. f. vgl. Sprachf. 23 a. 1877 pg. 138—169.

[3]) Cf. Guilelmus Meyer, Das lateinische Suffix ō, ōnis, in Woelffl. Arch. 5 a. 1888 pg. 223—234.

[4])[5]) Omiserunt lexica.

Lucr. 2, 806 h. Cic. fin. 3, 18. alii. Martialis V 37, 12 s; plur. III 68, 13 s: pávônes; XIII 70 L.

petaso XIII 55 L; pĕtāsōne III 77, 6 p XIII 54, 2 p 55, 2 p, eodem semper pentametri loco. [pĕtāsus[1]).] Edict. Diocl. 4, 8: pernae optimae sive petasonis Menapicae vel Cerritanae. Thomae thes. pg. 471 a: petasones vel petasunculi, bacones, pernae avium. (Alteram terminationem, -io, eadem vox habet apud Varronem r. r. 2, 4, 10 Keil: pernae comatinae et cavarae et petasiones. — — perna Cato ag. cult. 158, 1, alii; Mart. X 48, 17 h XIII 54 L.)

mōrio[2]), onis, m. VI 39, 17 s VIII 13, 1 h XII 93, 3 et 7 ℊ XIV 210 L; plur. III 82, 24 s. [mōrus.] Plin. ep. 9, 17, 1: scurrae cinaedi moriones mensis inerrabant; ibid. 2: si quid.... stultum a morione profertur. Verus in epist. ap. Vulc. Avid. Cass. 1, 8: me luxuriosum morionem vocat. Lamprid. Al. Sev. 34, 2: nanos et nanas et moriones. Augustin. ep. 166, 17: quidam vero tantae sunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant, quos moriones vulgo vocant. Schol. Iuven. 1, 35: Massa morio fuisse dicitur, et Carus nanus. Isidor. orig. 10, 183: morio a morte vocatus, eo quod non vigeat intellectu. Not. Tir. pg. 102: fatuus murio gurridus.

cf. infra ‚pumilus, pumilio'. — Malchus ⟨auct. bell. Alex., CIL 5, 1619⟩, Malchio ⟨CIL 1, 1087, alii; Mart. III 82, 32 s [ubi Friedl.: malchio] typice ut Petronii Trimalchio⟩.

8) in -ar et -al.

cf. adiectiva in -aris et -alis cadentia.

* *boletaria*, n. pl. XIV 101 L. [bōlētus.] Schol. Iuven. 11, 137. — Discerni non potest, nominativus singularis huius verbi sic ut lexica volunt, boletar ⟨cf. coclear⟩, an boletare ⟨cf. cocleare⟩, an boletarium ⟨cf. coclearium⟩ sit, cum praesertim hae

[1]) Hinc enim rectius originem eius vocabuli repetere mihi videor, quam lexicographi a *πετασών*, quoniam nec ante Athenaeum id quidem occurrit, et aliae quoque partes animalium ⟨esculentae⟩ nominibus rerum forma similium nominantur, velut ‚imbrex' porci II 37, 2, ‚glandulae' apri III 82, 20 VII 20, 4.

[2]) Huic tamen nomini et aliis in -io masculinis Meyer l. c. pg. 230 recte videtur significationem tribuere deminutivam vel *ὑποχοριστικήν*.

tres formae exstent: boletari ⟨abl.⟩ Apic. 2, 41 et 5, 190, boletare ⟨acc.⟩ ibid. 191. — boletar Treb. Claud. 17, 5. bōlētar ⟨falsa mensura⟩ Anthol. 153 [= PLM 4, 340], 3 h. — voletarium Itala Marc. 14, 20.

sublĭgar, n. III 87, 4 p. (plur. Plin.) Iuven. 6, 70.

mĭnūtal varium XI 31, 11 ℊ ⟨cibus fere, qui nunc dicitur ‚ragout'⟩. Fortasse omnino primus testis est Martialis; vix enim ad hanc formam pertinet pluralis apud Petron. 47: ‚aqua, lasani et cetera minutalia' ⟨= Kleinigkeiten⟩, sed potius ad adiectivum ‚minutalis' ⟨Tertull., Hieron.⟩. — Iuven. 14, 129: hesternum minutal. Apic. 4, 173: minutal apicianum; 177: minutal ex iocineribus et pulmonibus leporis; 8, 399: ex sanguine et iocinere et pulmonibus leporinis minutal. Thomae thes. pg. 364: minutal, frustum panis, quod et quadra dicitur.

cervīcal XIV 146, 1 h. (Cels., al.) Iuven. 6, 353 ⟨eodem versus loco⟩.

†* *quinquepedal*, vide substantiva composita.

B. Cetera substantiva terminationes novas exhibentia.

† *acipensis* XIII 91 L; ăcĭpensem ibid. 1 h. (ăcŭpenser, ĕris Lucil.[1]), Cic.; ăcĭpenser Hor., Ovid., Plinius ⟨qui ‚accipenser' quoque semel habet⟩; aquipenser Paul. ex Festo, *ἀκιπῆνσερ* Lydus.) Similes metaplasmos · collegit L. Mueller d. r. m. pg. 380.

Masculinum ⟨in -us⟩ reperitur in his vocabulis, quorum femininо ⟨in -a⟩ utuntur vetustiores:

fringillus IX 54, 7 h: fringillorum[3]). Dosith. herm.[4]) pg. 422 Bouch.: fringuillus. Gloss. Graeco-Lat. pg. 435, 48: *σπίνος*, *ὁ στρουθός*, francillus, fritigillus. (fringuilla Varro l. L. 7, 104. Avien.[5]) phaen. 1761 h. fringilla Paul. ex Festo 90, 14.

[1]) Accuratius locos indicat Georges, Lex. der lat. Wortformen, s. v.

[2]) Omiserunt lexica.

[3]) Sic TXACGahlpw; ‚terigilonum' s; ‚frigido fringuillarum' b; ‚fringillarum' reliqui.

[4])[5]) Non sunt in lexicis.

Thomae thes. pg. 244 a: frigilla, avis quaedam, quae frigore cantat.)

vertrāgus[1]) acer XIV 200, 1 h; canis vertragus ibid. L ⟨vox Celtica⟩. Firm. math. 5, 8: similiter et canum, molossorum, vertagorum ⟨sic⟩ et qui sunt ad venationes accommodati. (vertrāha, ae, f. Gratius cyneg. 203 h: et pictam macula vertraham[2]) delige falsa. — Not. Tir. pg. 176: veltagra.)

Feminina idem Martialis habet nova:

condiscĭpŭla X 35, 15 φ: hac ⟨Sulpicia⟩ condiscipula vel hac magistra Esses doctior et pudica, Sappho. Apul. met. 9, 17: Areten meam condiscipulam memoras. (condiscipulus Pompon. com. 76, Cic., alii.)

lūdia[3]) V 24, 10 φ: Hermes ⟨gladiator⟩ cura laborque ludiarum. Iuven. 6, 104: ⟨Eppia⟩ quid vidit, propter quod ludia dici Sustinuit? ibid. 266: quae ludia sumpserit umquam Hos habitus. Thomae thes. pg. 324 a: ludia, ioculatrix, quae et lena dicitur. (ludius ⟨= mimus⟩ Plaut., Cic., cet.; ⟨= gladiator⟩ Iuven. 6, 82. 11, 20. — confer Liv. 7, 2, 4: ludiones ex Etruria acciti; ibid. 6: vernaculis artificibus, quia ister Tusco verbo ludius vocabatur, nomen histrionibus inditum.)

C. Cetera substantiva non composita.

1) Substantiva barbarae originis.

Celtica haec sunt vocabula:

bascauda, f. XIV 99 L et 1 h: barbara de pictis veni bascauda Britannis. Iuven. 12, 46: adde et bascaudas et mille escaria. Schol. ⟨ed. Buecheler⟩: mascaudas. vasa, ubi calices

[1]) Sic T ⟨idem cod. in L: vertricacus⟩; ‚vertagus' FO Scriv.; ‚artagus' P; ‚vetragus' rel. codd. — Arrian. cyneg. 3, 6 ⟨ed.[2] Hercher 1885⟩: *αἱ δὲ ποδώκεις κύνες αἱ Κελτικαὶ καλοῦνται μὲν οὐέρτραγοι φωνῇ τῶν Κελτῶν, οὐκ ἀπὸ ἔθνους οὐδενὸς, ἀλλ' ..... ἀπὸ τῆς ὠκύτητος.* — — Omisit vocabulum index ed. Frdl.

[2]) Sic editores recentiores ⟨Haupt 1838, Baehrens 1879⟩; parum accurate Forcell. et in adnot. Friedlaender exhibent ‚vertagram'.

[3]) Gilbert in N. Jahrbb. f. Philol. 1887 pg. 145 vix recte interpretatur: „Spottname der für Aufführungen und Auftretende passionierten Damen".

lavantur. et caccabos. Gloss. Vatic.: baschaudas, conchas aereas. Gloss. Isidori ⟨et Thom. thes. pg. 77 a⟩: barcanda, concha aerea. — cf. Loewe, Prodrom. pg. 62 sq.

†* *panaca*[1]) XIV 100 L.

carrūca, ae, f. III 47, 13 s III 62, 5 h XII 24, 2 φ. (Plin., al.)

vĕrĕdus, i, m. XII 14, 1 h: parcius utaris, moneo, rapiente veredo; XIV, 86, 1[2]) h: stragula succincti venator sume veredi. [Pro composito vocabulo Latino[3]) habitum a Festo pg. 372, 25: veredis ⟨lege: veredos⟩ antiqui dixerunt, quod veherent rhedas, id est ducerent.] Festus l. c. Auson. epist. 8, 7 h: vel celerem mannum vel ruptum terga veraedum Conscendas; epist. 14, 3 h: sed cisium aut pigrum cautus conscende veraedum, Non tibi sit raedae, non amor acris equi. Sidon. epist. 8, 11 v. 30 φ: post veredos ⟨v. l. veraedos⟩. Priscian. GL 2 pg. 27, 15: veredus veredarius. Cod. Iust. 12, 50 ⟨51⟩, 4: usurpato uno vel duobus veredis; ibid. 7: in omnibus provinciis veredorum pars quarta reparetur. Ven. Fort.[4]) vit. S. Mart. 3, 300 h: bove nempe veraedo ⟨-edo codd.⟩. Inscr. Orell. 2968: proc⟨urator⟩ a veredis. CIL 12, 1122 = Anthol. 903, 1: Borysthenes Alānus Caesareus verĕdus Per aĕquor et palúdes Ĕt tumulós Etrúscos Volāre qui solébat etc. Gloss. Lat.-Gr. pg. 206, 30: veredus, *πῶλος*. Gloss. Gr.-Lat. pg. 257, 17: *βέρεδος*, veredus. — CIL 7, 1336, 1158: VEREDV · M ⟨fortasse cognomen viri⟩.

vertrāgus, vd. pg. 44 in.

Hispanicum hoc:

pālux[5]) XII 57, 9 s: pălūcis[6]) malleator Hispanae. (Plin. 33, 77 Detl.: aurum — — quod minutum est balucem vocant. Iustin. 44, 1, 7: in palucibus ⟨Ruehl; ‚balucibus' Salmasius, ‚paludibus' codd.⟩)

[1]) O. Weise l. c. et Saalfeid dubitant an ex Graeca lingua ductum sit.

[2]) Locum omisit index edit. Frdl.

[3]) At enim in vocabulis Latinis ex nomine et verbo compositis verbalis pars secundum locum tenere solet. Perperam lexicographi Festo videntur assentiri.

[4]) Omiserunt lexica.

[5]) ‚bālux' Georges et Klotzius propter formam ‚balluca'.

[6]) Sic Friedl. ⟨cf. eius adnot.⟩; ‚paludis ⟨-es⟩' codd., Scriv., Schn.[1]; ‚balucis' Turneb., Salmas., Schn.[2], Gilb.

Punicum hoc:

lālīsio, onis XIII 97, 1 h. (Plin. 8, 174: pullis eorum ⟨onagrorum⟩ — Africa gloriatur, quos lalisiones appellat.)

2) E vulgari sermone sumpta quae videntur.

ăpĭnae ⟨= nugae⟩ I 113, 2 s: apinasque nostras ⟨scil. carmina ea quae ipse fecit ‚iuvenis et puer quondam'⟩; XIV 1, 7 h: sunt apinae tricaeque et si quid vilius istis. Gloss. Lat.-Gr. pg. 19, 31: apinae, *ἀμαλογίαι*; ibid. 40: apinae, *φάννας*.

[Ficta videlicet explicatio apud Plin. 3, 104: Diomedes ibi ⟨in Apulia⟩ delevit..... urbes duas, quae in proverbi ludicrum vertere, Apinam et Tricam. — — cf. praeterea Goetz, ‚afannae', in Woelfflini Archivi 2 a. 1885 pg. 341 et 597. — O. Ribbeck in Leipziger Studien 9 a. 1887 pg. 337 sq. probabiliter conicit ‚apinae tricaeque' ex Italia inferiore i. e. Magna Graecia originem ducere ⟨cf. Plin. l. c.⟩; illud ‚apinae, afannae' ⟨cf. *εἰς Ἀφάνας* = ‚in Utopiam', vd. Steph. Byz. pg. 149 M.⟩ ex *ἀφανής* = ‚unsichtbar, unwirklich, nichtig' ortum esse: ut *μηχανή* machīna, *τρυτάνη* trutīna, sic *ἀφάν(ν)αι*, apīnae; ‚trica' ex accusativo vocis *θρίξ* natum esse.]

† *pĭpinna* ⟨= parva mentula⟩ XI 72, 1 *φ*: drauci Natta sui vocat pipinnam [1]), collatus cuï Gallus est Priapus. [Stowasser[2]) Graecum esse putat, simile formis *Ἠριννα*, *Κύριννα*; derivatum a *πίπος* idem significare quod Latine ‚pipio, pipiunculus'. — Aviculae[3]) nimirum nomen statuentibus annominatio comparet ad vocem ‚Gallus'.]

sandăpĭla, ae, f. II 81, 2 p VIII 75, 14 p IX 2, 12 p. Iuven. 8, 175: inter carnifices et fabros sandapilarum. Suet. Dom. 17 ex.: cadaver eius populari sandapila per vespillones exportatum. Sidon. carm. 16, 45 h: ut mortua membra | lecto, sandapila, tumulo consurgere possint. Fulg.[4]) expos. serm. ant. pg.

[1]) Sic ΦQF; ‚bipinnam' EXAC; ‚bipennam' BV.

[2]) in Woelffl. Arch. 5 a. 1888 pg. 191.

[3]) De avium nominibus obscene translatis conf. Buecheler ibid. 2 a. 1885 pg. 116 sq. et 508. — — Haud scio an ‚Pipinna' restituendum sit cognomen mutilum CIL 5, 5325: C. Avianus Pipin . .; cf. cognomen Alauda apud Mart. XII 58, 2 et 60, 8, praeterea Anser, Corvus, Merula etc.

[4]) Cf. pg. 47 adnot. 2.

558: sandapilam antiqui dici voluerunt feretrum mortuorum, id est loculum, non in quo nobilium corpora, sed in quo plebeiorum atque damnatorum cadavera portabantur, sicut Stesimbrotus Stasius ⟨Thasius⟩ de morte Policratis regis Samiorum descripsit, dicens: posteaquam de cruce depositus, sandapila etiam deportatus est. Thomae thes. pg. 557 a: sandapila, feretrum mortuorum. Gloss. Lat.-Gr. pg. 178, 22: sandapila, *νεκροφόριον*. (feretrum ⟨eodem sensu⟩ Varro l. L. 5, 166, Verg., Ovid., alii. — cf. orcīnĭāna sponda X 5, 9 s.)

vispillo[1]), onis, m. I 30, 1 h I 47, 1 h 2 p; plur. II 61, 3 h. Suet. Dom. 17 ex.: cadaver eius populari sandapila per vespillones exportatum. Fest. pg. 369: vespae et vespillones dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt, non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt. Hi etiam vespulae vocantur. Apul. floril. 19 ex.: vispillonum manibus extortum ⟨aegrum⟩ — domum rettulit. Firm. math. 2, 10: famosos homines, maleficos, fures, vespillones, pollinctoresque. Serv. Verg. Aen. 11, 143: inde etiam qui funeri praeerant a vespera primum vesperiones, deinde vespillones dicti videntur. Sidon. ep. 1, 11, 9: per cathedrarios servos vispillonibus tetriores; 2, 8, 2: vispillonum sandapilariorumque ministeria. Fulg.[2]) expos. serm. ant. pg. 558 ex.: vispillones dicti sunt baiuli; quamvis Antidamas Heracleopolites vispillones dixerit cadaverum nudatores; sicut in historia Alexandri Macedonis scripsit, dicens: plus quam trecentos cadaverum vispillones reperiens crucibus fixit. Tamen Mnaseas scripsit in Europae libro, Apollinem, postquam a Iove victus atque interfectus est, a vispillonibus ad sepulturam delatum esse. — Gloss. Lat.-Gr. pg. 30, 25: bispello, *νεκροφόρος*. — Aliter ⟨abusive?⟩ gloss. Isid. pg. 698 ⟨et gloss. Vatic.⟩: vespillo, sepulcrorum violator. Thom. thes. pg. 624 a: vispillo raptor, qui aliis violentiam ingerit.

Alio significatu ⟨= carnifex⟩[3]) Anthol. 138 [= PLM 4, 304], 3 h: nam te ⟨‚bicipitem'⟩ si addictum mittat sententia campo,

[1]) ‚vespillo' Schn.[1], sicut omnium fere temporum libri ambigunt.

[2]) Scriptores vel scripta, quae Fulgentius laudat, ficticia essę manifestum est ⟨cf. Teuffel RLG[4] 480, 7⟩.

[3]) Non est in lexicis.

vispillo ignorat, quod secet ense caput. ⟨at Mart. II 61, 3 sq.: vispillonum — et carnificis.⟩

Exstat praeterea forma ‚vispellio' Ulp. dig. 21, 2, 31: si ita quis stipulanti spondeat, sanum esse, furem non esse, vispellionem non esse etc. Marcell. dig. 46, 3, 72, 5: vispellionem aut alias turpem — hominem. Gloss. Isid.: vespeliones, fossarii qui mortuos sepeliunt. Gloss. Lat.-Gr. pg. 30, 24: bispelliones, *νεκροθάπται*, *κοπιάται*. Gloss. Gr.-Lat. pg. 375, 32: *νεκροθάπτης*, vispillio, libitinarius.

Iam Gracchorum temporibus illud vocabulum in usu fuisse cognoscitur ex Aurel. Vict. 64, 8: ‚cuius ⟨Ti. Gracchi⟩ corpus Lucretii aedilis manu in Tiberim missum; unde ille Vespillo dictus'. Atque a Cicerone commemoratur ⟨Brut. 178⟩ Q. Lucretius Vispillo, a Caesare ⟨b. c. 3, 7, 1⟩ Lucretius Vespillo; cf. Teuffel in Paulyi ‚Realencyklopaedie' 4 pg. 1198.

3) Cetera substantiva Latina
α) primae declinationis.

cattae[1]), arum XIII 69[2]) L; Pannonicas cattas ibid. 1 h. Vulg. Baruch 6, 21: supra corpus eorum, et supra caput eorum volant noctuae, et hirundines, et aves etiam, similiter et cattae ⟨Septuaginta: *αἴλουροι*⟩. Placit. de medic. 18 L: de catta seu fele; ibid. 1. 2. 3. 4: cattae stercus. Rufin. recognit. 5, 21: alii eorum bovem, qui Apis dicitur, colendum tradidere, alii hircum, alii cattas, nonnulli ibim, quidam serpentem. Not. Tir. pg. 176: gliris talpa catta nitella. Gloss. nominum pg. 571, 2: cata, bestiolae genus, quod dicitur merth. Gloss. Graeco-Lat. pg. 220, 32: *αἴλουρος* ⟨pg. 295, 16: *ἐλίουρος*⟩, felix, haec catta. Gloss. Servii pg. 518, 8: cata, eluros. Idiom. nominativa pg. 540, 18 ⟨et idiom. cod. Parisini pg. 552, 43⟩: catta, *ἰχνεύμων*.

---

[1]) Weise l. c. Graecum putat. — Cognomen mulieris Catta in Pomp. inscr. CIL 4, 1887; 2941 ⟨cf. ibidem 2199 et 2200: Felicla⟩. — 3, 3586; 4263. 5, 5709.

[2]) Argumentum Forcellinii, qui cum Friedlaendero hoc ⟨uno⟩ loco aves dictas esse censet, scilicet quod antecedentia et sequentia epigrammata aves describant, vix sufficere videtur; confer librum XIV turbato ordine traditum.

Masculina forma ‚catus ⟨cattus⟩' Pallad. 4, 9, 4: contra talpas prodest catos ⟨cattos⟩ frequenter habere in mediis carduetis. Luxorius Anthol. 375 [= PLM 4, 529], 1 h: immensi soricis cattus dum membra vorasset. Isidor. orig. 12, 2, 38: musio appellatus, quod muribus infestus sit. hunc vulgus catum ⟨cattum⟩ a captura vocant. alii dicunt, quod catat id est videt etc. Gloss. Isidori: murilegus, catus. Mythogr. tertius 6, 22 Mai: est enim odium aliud naturale, ut hominum et serpentium, canis et cati[1]), ... aliud causale etc. Anthol. 181 [= PLM 4, 361], 3 h: cattus in obscuro cepit pro sorice picam. —[2])

cisterna, ae, f. III 56, 1 h. (Varro r. r., al.)

coxa, ae, f. VII 20, 5 s. (Cels., al.)

cucuma, ae, f. X 79, 4 p. (Petron., al.) cocuma Ven. Fort.[3]) carm. 6, 8, 14 p.

gabatae, arum, f. VII 48, 3 φ: transcurrunt gabatae volantque lances; XI 31, 18 φ: gabatas parapsidesque. Ennod. 130 ⟨carm. 2, 22⟩ L Vogel: epigramma de compostile habente septem gavatas. Anthim. 34 Rose²: gavata ⟨ter⟩. Ven. Fort. carm. 11, 10, 3 h Leo: carnea dona tumens argentea gāvăta[4]) perfert; carm. 7, 24 L: versus in gavatis. Isidor. orig. 20, 4, 11: lancis gavata, quasi cavata, g pro c littera posita. Gloss. Vatic.: parapsis, gabata vel patinum; pisi, gavata vel patina. — — Forma ‚gāvessa'[5]) utitur Alcimus Avitus carm. 24, 3 h ⟨pg. 195 Peiper⟩: Nec per multiplices abaco splendente gavessas Ponentur nitidae codicis arte dapes.

lanista[6]), ae, m. VI 82, 2 φ XI 66, 3 φ. (Cic., al.) Iuven. 3, 158; 11, 8; plur. 6, 216.

simila, ae, f. XIII 10, 1 h. (Cels., al.)

---

[1]) In editione, quam Bode a. 1834 curavit, omissa sunt verba ‚canis et cati', quamquam in indice verborum cum loci eiusdem pagina et versu legitur ‚catta'.

[2]) Cf. Groeber, Vulgärlat. Substr., in Woelffl. Arch. 1 a. 1884 pg. 543 et ibid. 2 a. 1885 pg. 434: gattus. — Cattus, cogn. CIL 9, 6083, 82.

[3]) Omiserunt lexica.

[4]) Falso Georges: găvăta.

[5]) Non est in lexicis.

[6]) Vocem ‚lanista' hibridam esse puto addendamque eis, quas eadem de causa vulgari sermoni tribuit O. Weise in Philologi vol. 47 a. 1888 pg. 51: tablista, computista.

stilla, ae, f. XII 70, 3 h. (Cic., al.)
sūbŭla, ae, f. III 16, 2 p. (Sen., al.)

β) alterius declinationis.

ăcus, acc. plur. -os[1]) ⟨piscium genus⟩ X 37, 6 p. (Plin. 9, 166: acus sive belone; cf. 32, 145: belonae — quos aculeatos vocamus —.)
cŭcullus, i, m. III 2, 5 φ V 14, 6 s X 76, 8 φ; plur. XI 98, 10 s. (Col., al.)
tŭbi, orum, m. XI 61, 6 s. (Sen., al.)
pūlĕium, i, n. XII 32, 19 s. (Cic., al.) Seren. Sammon. 15 et 592 h Baehrens.
tōmācla, orum, n. I 41, 9 φ. (Petron.) Iuven. 10, 355: tomacŭla.

γ) tertiae declinationis.

gerres, plur. III 77, 7 h XII 32, 15 s. (Plin., al.)
lōdīces, um XIV 152, 1 h. (Pollio ap. Quint. 1, 6, 42: hos lodices; al.) Iuven. 6, 195: sub lodice; 7, 66: de lodice paranda.
* *udones* Cilicii XIV 140 L. Ulp. dig. 34, 2, 25, 4: alia causa est udonum, qui usum calciamentorum praestant. Edict. Diocl. 7, 47: pro udonibus ¾ quattuor. Th. Prisc. 4 fol. 311 b: desuper udones induendos. Excerpt. ex Charis. GL 1 pg. 552, 33: hic udo, udonis, *τὸ ἐμπίλιον*, *τὸ οὐδωνάριον*. Idiom. nominativa pg. 543, 19: udo, *ἐμπίλιον*.

II. Adiectiva simplicia.

A. Adiectiva denominativa.

1) exeuntia in **-ārius** ⟨substantiva et adiectiva⟩[2]).

Nomina haec in usu cotidiano frequentissima, a sublimiore poesi fere omni repudiata[3]), Lucilio autem satirico, qui decem novavit, et Catullo, qui in carminibus tenuiore sermone conditis

[1]) Similem nominis ‚ficus' in mutata significatione heteroclisin docet ipse Martialis I 65. Neglecto videlicet eo discrimine codd. PQWF: acus.
[2]) Cf. Paucker, Die nomina derivata auf -alis ⟨aris⟩ und -arius, in Z. f. vgl. Sprachf. 27 a. 1885 pg. 113—156; collegit nomina in -alis et -aris cadentia 1220, in -arius 1335.
[3]) Cf. Ploen l. c. pg. 55.

⟨φ, s⟩ quattuor et unum in carm. 61, 138 ⟨pherecr.⟩ nova habet, satis grata videntur fuisse. Itaque apud Martialem Catulli imitatorem minime desunt hoc suffixo novata; sunt enim

nova in	h	p	φ	s
generis a	2	—	3	2
generis b	1	—	4	5

ergo in φ et s ut apud Catullum plurima, quibus metris habiliora sunt quam dactylico. ⟨Statii quoque novicium ‚vēlaria' n. pl. in φ legitur silv. 1, 6, 10.⟩

clancŭlarius poeta X 3, 5 s. [clanculum, adv.[1])] Tertull. pall. 4: clancularia Lydia ⟨„= Omphale cum qua Hercules clam consuescebat" Oehler⟩. (clandestinus, arcanus, obscurus; abditus, occultus, secretus.)

† *glabraria*, f. sbst. = quae glabros amat IV 28, 7 φ.

grăphiarium, sbst. XIV 21 L; plur. ibid. 1 h. [graphium.] Suet. Claud. 35: calamariae aut graphiariae thecae. Gloss. Gr.-Lat. pg. 265, 12: *γραφιοθήκη*, grafiarium. Idiom. cod. Harleiani pg. 503, 63. Gloss. nom. pg. 581, 41: grafarium, vagina graphi. — — Prorsus aliter ⟨= recepta⟩ posuit ‚grafarium' ⟨gerafadium cod.⟩ Soran. Lat. append. 3 et 4 Rose. Alexander Lat. 1, 49: scribam tibi ipsa grapharia.

helciarii, sbst. IV 64, 22 φ: clamor helciariorum. [helcium[2]).] Sidon. epist. 2, 10 v. 25 φ: chorus helciariorum.

infantaria non est ⟨Bassa⟩ IV 87, 3 h. Marc. apud Tert. ad nat. 1, 2: infantariae ⟨„= quae infantes amant" Oehler⟩. (puerarius[3]) Tert. anim. 55. Gloss. Lat.-Gr. pg. 164, 24 et Gr.-Lat. pg. 471, 47. — puellarius Petr. 43 ⟨cod. et Buech.[1]; pullarius Burm. et Buech.[3]⟩. — puerosus Gloss. Gr.-Lat. pg. 392, 18.)

† *pinguiarius* XI 100, 5 s: sed idem amicam nolo mille librarum: carnarius sum, pinguiarius non sum.

sabbătariae, sbst. = Iudaeae ⟨sabbata agentes⟩ IV 4, 7 φ. Augustin. epist. 36, 21: sabbatarius temptator. Sidon. epist. 1, 2, 6: luxus sabbatarius.

[1]) Cf. necesse necessarius, temere temerarius.
[2]) Apuleius met. 9, 12 et 22.
[3]) Vocabulum non est in lexicis; supplevit L. Havet in Woelfflin's Arch. 1 a. 1884 pg. 194.

bustuariae moechae III 93, 15 s. (Cic., al.)
congiarium, sbst. III 7, 2 s. (Cic., al.)
fūmaria, n. pl., sbst. X 36, 1 h. (Col., al.)
lōcarii, sbst. V 24, 9 φ. (locarium Varro l. L. 5, 15.)
nŏtarius velox X 62, 4 s; notariorum — chorus levis V 51, 2 s. (Sen. apocol. 9, Quintil., al.)
nummŭlarius, sbst. XII 57, 8 s. (Petron., al.)
plăgiarius, sbst. I 52, 9 φ. (Cic., al.)
sălarii, sbst. I 41, 8 φ IV 86, 9 φ; salarium, sbst. III 7, 6 s; Salaria ⟨scil. via⟩ IV 64, 18 φ. (Cic., al.) Salaria Prud. c. Symm. 1, 405 h.
septēnaria synthesis IV 46, 15 φ. (Cic., al.)
**dulciarius* pistor XIV 222 L. [dulcium[1]).] Apul. met. 10, 13: pistor dulciarius. Firm. math. 8, 11: pistores dulciarii. Valer. apud Treb. Poll. Claud. 14, 11: dulciarius, sbst. Lampr. Heliog. 27, 3 et Veget. epit. rei mil. 1, 7 in.: dulciarii. CIL 6, 9374[2]): locus Leopardi dulciari. Orell. inscr. 114 = Wilm. 2956: vascul⟨a⟩ dulciar⟨iorum⟩. Gloss. Gr.-Lat. pg. 263, 31: γλυκεοπράτης, dulciarius; ibid. pg. 408, 34: πλακουντάριος, placuntarius, dulciarius. — ibid. pg. 263, 34: γλυκυπράτιον, dulciarium.
†* *nivarium* colum XIV 103 L; saccus nivarius 104 L; lagona nivaria 116 L. (cf. nivalis ⟨VII 95, 2 φ XIV 118, 1 h⟩, niveus ⟨undeviciens⟩; nivatus, nivosus, nivifer.)

2) in **-āris** et **-ālis**[3]) ⟨substantiva et adiectiva⟩.

Huius terminationis et eius de qua modo egimus, -arius, originem esse eandem et significationem similem ostendit Paucker l. c. pg. 140 sqq. Consentaneum igitur est etiam hoc suffixo epicos poetas Martialis aequales novata exhibere nulla[4]), Martialem autem, cum praesertim Catullus quinque in -alis addidisset, aliquot aut omnino aut inter poetas primum usurpasse; et quidem pro ratione metrorum plura in φ et s ⟨4⟩ quam in dactylicis versibus ⟨5⟩; cetera in lemmatis leguntur ⟨3⟩.

[1]) Apicius, Lampridius, alii.
[2]) Omiserunt lexica.
[3]) Cf. pag. 50 adnot. 2.
[4]) Nisi quod ‚plantaris' legitur apud Valerium Flaccum et Statium alia prorsus significatione atque apud priores. In praefatione prosaria libri 4 Silvarum novavit Statius: ‚pilaris' lusio.

căpillāre, n. sbst. ⟨scil. unguentum⟩ III 82, 28 s. — adiectivum Paul. ex Festo 57, 17: capillaris vel capillata arbor. Ps.-Apul. herb. 48: herba capillaris.
† *ŏllāres* uvae VII 20, 9 s. (ollarius Plin. 34, 98: quae ⟨temperatura aeris⟩ vocatur ollaria, vase hoc nomen dante. alibi.)
† *trĭnoctiale* domicenium XII 77, 5 φ. ⟨Similiter clauserat Catullus novo vocabulo versum 46, 2 φ: aequĭnoctialis.⟩
bessalis scutula VIII 71, 17 h. (Vitruv., al.)
cŏclēare ⟨v. l. cochleare⟩, n. sbst. VIII 33, 24 p VIII 71, 10 p XIV 121, 2 p ⟨eodem semper pentametri loco⟩. (Cels. 3, 22 pg. 113, 2 D., Apicius, Gloss.) Ven. Fort.[1]) carm 3, 13[a], 4 p ⟨eodem versus loco atque Martialis⟩.
extempŏralis factus est meus rhetor V 54, 1 s. (Sen. rhet., al.)
mūnĭcĭpalis vita IV 66, 1 h. [municeps[2]).] (Cic., al.) Iuven. 3, 34; 8, 238. Auson. parent. 26, 8 p. Sidon. carm. 9, 309 φ.
spĕcŭlaria, n. pl. VIII 14, 3 h. (Sen., al.) Iuven. 4, 21. Seren. Samm. 372 h. Ven. Fort. vit. S. Mart. 3, 156 h et 4, 505 h: speculare.
thĕātralis locus V 23, 2 p. (Cic., al.) Prud. hamart. 310 h.
amphĭthĕātrales magistri XI 69, 1 h; amphitheatralis usus XIV 137, 1 h. (Plin., al.) Prud. c. Symm. 1, 385 h. Claud. cons. Manl. Theod. 293 h. Dracont. de deo 3, 187 h. Luxorius[3]) Anthol. 346 [= PLM 4, 500], 1 h; 354 [= 4, 508], 11 h; 373 [= 4, 527], 1 h.
* *epistolares* chartae XIV 11 L. Ulp. dig. 33, 9, 3, 10: chartae epistulares. Hieron. epist. 53, 6: epistolaris angustia. Augustin. epist. 138, 1: epistolare colloquium. Mart. Cap. 9, 896: epistularis, f. sbst. = internuntia ⟨avis⟩. Sidon.[4]) epist. 1, 2, 1: epistularis pagina; 7, 2, 9: epistularis formula; 9, 1, 1: opus epistulare; 9, 15 v. 41 sen.: epistularis stilus. Ruricius[5]) 1, 7, 3: obsequium epistulare; 2, 4, 1: epistulare officium. Alc. Avit.[6]) epist. 22 ⟨pg. 54, 19 Peiper⟩: rescriptum epistulare; ep. 35 ⟨pg. 65, 20⟩ et 96 ⟨pg. 102, 27⟩: epistularia officia. Ennod.[7]) 77 ⟨= epist. 3, 10⟩, 2: commercium epistulare ⟨et omnino qua-

[1]) Omiserunt lexica.
[2]) ‚municipium' falso Forcellini et Georges; cf. princeps principalis, principium principialis; particeps participalis, participium participialis.
[3])[4])[5])[6])[7]) Non sunt in lexicis.

dragies: cf. index ed. Vogel⟩. Cod. Iust. 7, 62, 32, 2: epistulares = scribae. (epistularius Ennod. 29 ⟨epist. 1, 22⟩, 3: scriptio epistularia. Salvian. gub. dei 5, 7, 30 Halm: epistularii = tabellarii. — epistulicus [ἐπιστολικός] Gell. 6 ⟨7⟩, 10, 2: verba Catonis sunt ex primo epistulicarum quaestionum; idem 14, 7, 3: Varro — — in libro epistulicarum quaestionum quarto; et 14, 8, 2. Hieronym. epist. 32, 1: epistolica confabulatio.)

* *mamillare*, n. sbst. ⟨scil. amiculum⟩ XIV 66 L. Auct. dynamid. 2, 96: mamillares tumores. Gloss. Gr.-Lat. pg. 373, 16: *μονοχερία*, mamillares. (strophium Catull., alii. — fascia pectoralis Mart. XIV 134 L; cinctus pectoralis Apul. met. — amictorium XIV 149 L.)

†* *trigonalis* pila XIV 46 L. [trigonum ⟨Dreieck⟩; cf. Friedl. ad IV 19, 5.] (trigonaria pila Isid. orig. 18, 69, 2. — trigonus, adiect. Manil. 2, 276, al. — trigonius Gromat. vet. 288, 8 et 341, 12, alii. — trigonicus [*τριγωνικός*] Firm. math. 2, 32; 5, 3, 1. — triangulus ⟨-um, sbst. Cic.⟩ Cels., alii. — triquetrus Lucr., alii.)

3) in -ōsus [1]).

Adiectiva in -osus multo magis tenuioribus poesis generibus placuisse quam sublimioribus [2]) docet Ploen l. c. pg. 55. Catullus quidem praeter 17 formas antiquiores in ‚nugis' ⟨praecipue *φ*⟩ novem primus exhibet; Priapea quoque carmina, in quibus omnino non minus 27 adiectiva in -osus exeunt, nova habent quinque: membrosior ⟨h⟩, ficosissimus ⟨*φ*; Mart.: ficosus⟩, seminosus, ? pruriosus, fascinosior ⟨s⟩.

Itaque etiam Martiali huius generis adiectiva gratissima erant; recepit enim ex Catullo, Horatio, Ovidio, Priapeis, aliis poetis non minus 56 adiectiva atque nova addidit — pauciora sane exspectatione — 3 generis a, 4 generis b:

[1]) Cf. Paucker, Die Adiectiva auf -osus ⟨und -entus⟩, in ‚Materialien' pg. 72—92; Schoenwerth et Weyman, Über die lat. Adiectiva auf ōsus, in Woelffl. Arch. 5 a. 1888 pg. 192—222; F. Stolz ibidem pg. 368.

[2]) Cuius tamen rei causam ex parte metricam esse monet Schoenwerth l. c. pg. 201.

pĕdĭcŭlosum [1]) mentum XII 59, 8 *φ*. [pēdis, pediculus; vd. adnot.] Placit. de medic. [2]) 24, 12 L: ad pediculosos, quem affectum Graeci phthiriasin nominant; ibid. 16, 22 L: ad phthiriacos, id est pediculosos. Cass. Felix [3]) 3: in cachecticis corporibus id est mala habitudine affectis pediculosa passio generatur quam Graeci phthiriasin vocant. Gloss. Graeco-Lat. pg. 470, 56: *φθειράριος*, peduculosus. (pēdicosus Titin. com. 177 Ribb.)

pōlўposus XII 27, 2 *φ*: nasutum volo, nolo polyposum. [„polypus longa prima ut semper [4]) apud Romanos; ita Polydamas. sic Dorenses, quorum fuere coloniae in magna Graecia et Sicilia, *πωλύπος Πωλυδάμας*" L. Mueller ad Lucil. 29, 85.] Ulp. dig. 21, 1, 12 pr. (ozinosus [ozina, *ὄζαινα*] Pelag. vet. 16 pg. 68.)

† *pertrīcosa* res III 63, 14 p. — vd. adiectiva composita.

contŭmēliosi bubulci barbara rota X 7, 4 *φ*. (Cic., al.) Sidon. carm. 9, 338 *φ*: contumeliosi lectoris turgida ora.

exĭtiosus VI 21, 4 p. (Cic., al.)

gūlosus, a, um VII 20, 22 s VIII 23, 1 h IX 10, 4 *φ* X 59, 5 h XI 61, 13 s XII 41, 1 *φ* XII 64, 2 p XIII 71, 1 h; gulosius III 22, 5 s VII 20, 1 s. (Sen., al.) Iuven. 11, 19.

pĕcūniosae artes V 56, 8 *φ*. (Cic., al.)

4) in **-ūl-entus.**

Ad voces tres iam prius a compluribus poetis positas, quarum tamen in versu collocatione Ovidii [5]) potissimum et Priapeorum [6]) auctoritas apparet, adiecit Martialis

[1]) Emendavit Gryphius, codd. ‚periculosi'. Exempla priscae comoediae et Lucilii, quibus primam syllabam vocis ‚pedis' ⟨die Laus⟩ longam fuisse demonstratur, collegit Fleckeisen in annal. philol. a. 1861 pg. 574. Tamen nihil hoc loco offendit, quod vocabuli e plebeio sermone tot annis post scriptores vetustos petiti mensura mutata comparet; cum praesertim similitudo verborum ⟨Catulli⟩ cūnīculosus, fēbrīculosus, ⟨Horatii et Priap.⟩ sītīculosus multum valere potuerit. Cf. praeterea ‚somnīculosus' Laber., al., Mart. III 58, 36 s.

[2])[3]) Non sunt in lexicis.

[4]) Fugit eum ‚pōlypus' Anthol. 205 [= PLM 4, 384], 7 h; quod etiam lexica omiserunt.

[5]) Cf. Ovid. am. 3, 6, 95 h: Aut lŭtŭlentus agis . . . .; Mart. IX 22, 13 h: Ut lŭtŭlenta linat . . . .; ⟨aliter sane VII 67, 7 *φ*.⟩ — Ovid. ibid. 96 p in initio alterius hemistichii ‚pulvĕrŭlentus' ⟨‚pulvere lentus' auctore L. Muellero Riese⟩, quod collocatione eadem Martialis quater: III 5, 8 p IV 19 6 p VII 32, 10 p XII 2, 2 p.

[6]) Priap. 39, 6 *φ* eodemque versus loco Mart. II 86, 4 *φ*: lūcŭlentus.

cscŭlenta praeda VII 20, 18 s. (Cic., al.) Sidon. carm. 9, 110 φ: esculentam dapem.

6) in **-ānus**[1]).

Suffixum hoc maxime Romanorum nominibus et cognominibus adnexum ut in prosa oratione usitatissimum est, ita rarum apud poetas, quos quidem inspexi; velut Statius duo tantum novavit: Mărōnianus ⟨in φ⟩, Mantŭanus ⟨in hendecasyllabo Sapphico⟩. Graeca enim nomina propria, quae ex mythologia plerumque sumpta epicis et lyricis in deliciis sunt, alias terminationes amant ⟨vd. pg. 26 sqq.⟩. Atqui a Martiale maior numerus Romanorum nominum commemoratur quam ab alio quoquam; unde fit, ut adiectiva quoque illo modo formata permulta apud eum primum occurrant. Accedit, quod magnam partem adiectivorum illorum dactylicum metrum respuit; Martiali autem etiam talia novandi occasio erat in iambis et trochaeis[2]). Continentur novata singulis metris sic:

insunt in	h	p	φ	s
generis a	5	4	6	3
generis b	2	2	5	5

Secernamus autem, aeque atque Schnorr v. Carolsfeld ⟨l. c.⟩ fecit, *α)* suffixo simplici -anus, *β)* suffixo aucto -īanus, *γ)* suffixo duplici -īt-anus ⟨= ιτης + anus⟩ formata.

α)

Parthĕniana[3]) ⟨toga⟩ IX 49, 3 h 10 p. [Parthenius.]

Petīliana[4]) regna XII 57, 19 s. [Petilius.]

Septĭcianum[5]) argentum IV 88, 3 h VIII 71, 6 p. [Septicius.]

[1]) Cf. H. Schnorr v. Carolsfeld, Das lat. Suffix ānus, in Woelffl. Arch. 1 a. 1884 pg. 177—194.

[2]) Ut Catullus ‚Formianus, Gallĭcanus, Thyōnianus, Vatīnianus' in φ, ‚mĕmbrāna ⟨= M. I 66, 11⟩, subŭrbānus ⟨M. bis⟩, úrbānus ⟨ter; M. bis⟩, Sestianus, transpădanus' in s, unum ‚Firmanus' in h exhibet. Vocabulum ‚Subŭranus' Martialis bis eodem hexametri loco posuit, quo legitur in carm. Priap. 40, 1 h.

[3]) Parthenianus, cognomen CIL 5, 2156. — De cognominibus et nominibus gentiliciis in -anus disputavit Aem. Huebner, Quaestt. onomatol. Lat., in Ephem. epigraph. 2 a. 1875 pg. 25—92.

[4]) Petillianus, cognomen CIL 5, 58. Petiliana 9, 1378.

[5]) Septicianus, cognomen XI 107, 2 p. CIL 5, 5278,

Vĭtelliani[1]), sbst. ⟨scil. codicilli⟩ II 6, 6 φ XIV 8 L et 2 φ. [Vitellius.] Tac. hist. 1, 84: Vitellianae partes; ibid. 85: Vitelliani milites; 2, 14 ⟨— 4, 1 fere viciens⟩: Vitelliani, sbst. ⟨scil. homines vel milites⟩. M. Regulus apud Plin. ep. 1, 5, 2: Vitelliana cicatrix. Suet. Vesp. 8: Vitelliani, sbst.; id. Domit. 1: bellum Vitellianum. Capitol. Ver. 4: Vitelliani, sbst. Apic. 5, 197 et 201: pisa Vitelliana; 8, 377: porcellum Vitellianum.

Grātiana ⟨scil. vasa⟩ IV 39, 6 φ. [Gratius.] (Plin.)

Ŏpīmianum nectar III 82, 24 s; Opimianum ⟨scil. vinum⟩ IX 87, 1 φ X 42, 2 φ. [Opimius.] (Vell., al.)

Rhēnana[2]) manus IX 35, 4 p. [Rhenus.] Sidon. ep. 4, 17, 2: Rhenanae terrae.

Castrana rura IV 60, 1 h. [Castrum Inui.] Lib. colon. 1 pg. 226, 13: ager Castranus; ibid. 2 pg. 254, 20. [Castrum in Piceno situm.] (cf. castrum castrensis ⟨Cic., cet.⟩; Castrensis CIL 2, 4994, al; Castrensianus 8, 8527, al.)

† *Summoenianae* uxores III 82, 2 s XII 32, 22 s; Summoenianae buccae XI 61, 2 s. [Summoenium, vd. substt. composita.

Argīlētanae tabernae I 3, 1 h. [Argiletum.] (Cic.)

Lāvīcana humus I 88, 2 p. [Lavicum vel Lavici.] (Cic., al.)

Caerētanus ager VI 73, 3 h; Caeretana ⟨scil. vina⟩ XIII 124, 1 h. [Caeres, ētis.] (Val. Max.)

phāsiana ⟨scil. avis⟩ III 58, 16 s. [Phasis.] (Plin.)

mĕrīdiana hora III 67, 7 φ. [meridies.] (Cic., al.) Avien. ora marit. 641 sen.

β)

Căpelliana, n. pl. ⟨genus cibi⟩ XI 31, 17 φ. [Capella[3]).]

† *Blaesianum* facis ipse ⟨quod donas⟩ VIII 38, 14 φ. [Blaesus[4]).]

[1]) Vitellianus, cogn. CIL 3, 746; 791. 8, 5356. 9, 334; 5534. Vitelliana 8, 9327; 10945. 10, 3029.

[2]) ‚Rhenigena' Schn.[2] non recte.

[3]) Utrum cognomen Capella cum lexicis et Gilberto ponendum sit an nomen Capellius ⟨ut Frdl. velle videtur⟩, certo diiudicari nequit; illi explicationi favent similia nomina haec: Dolabella Dolabellianus, Agrippa Agrippianus, Galba Galbianus, alia. — — Capellianus, cogn. CIL 2, 4249. 3, 3282. ⟨7, 109.⟩ 12, 3453; 5686, 173. Capelianus 8, 2170.

[4]) Non ‚Blaesius', ut auctore Scriverio Georges ⟨et ab eo deceptus Schnorr v. Carolsf. l. c. pg. 180⟩ exhibet. Quamquam etiam nomen ‚Blaesius' in inscrr. occurrit.

Cătulliana[1]) basia XI 6, 14 φ. [Catullus.] Auson. 26, 1, 4: illud Catullianum. Atil. Fort. ⟨GL 6⟩ pg. 298, 21: ex Catulliano hendecasyllabo.

Marcellianum[2]), i, n. ⟨scil. theatrum⟩ II 29, 5 h. [Marcellus.] Suet. Vesp. 19: scaena Marcelliani theatri.

Cosmianae[3]) ampullae III 82, 26 s; Cosmianum ⟨scil. unguentum⟩ XI 15, 6 φ XII 55, 7 φ. [Cosmus.]

† *Pătroclianae* sellae XII 77, 9 φ. [Patroclus.]

Nīcĕrōtiana fragras plumbea VI 55, 3 φ; Nicerotiani nimbi X 38, 8 φ. [Niceros, ōtis.] Sidon. carm. 9, 323 φ: Nicerotianis quae fragrant — sucis.

Caesăriana Pallas VIII 1, 4 p; Caesariana platanus IX 61, 6 p. (Nepos, al.)

Cātōniana lingua IX 27, 14 s. (Cic., al.)

Nērōnianae thermae II 48, 8 φ III 25, 4 s VII 34, 5 φ XII 83, 5 φ; Neronianae ⟨scil. thermae⟩ VII 34, 9 φ; Neroniana massa XII 57, 8 s. (Cic., al.) Sidon. carm. 23, 495 φ: balnea non Neroniana. Ablabius ap. Sidon. ep. 5, 8 v. 2 φ: sunt haec ⟨saecla⟩ gemmea, sed Neroniana.

† *orcīniana* sponda X 5, 9 s. [orcinus.] (orcinus Suet. Aug.: ⟨senatores⟩ quidam indignissimi et post necem Caesaris per gratiam et praemium adlecti, quos orcinos vulgus vocabat. Labeo dig. 33, 8, 22 pr. Iulian. dig. 28, 5, 8, 1: orcinus heres. Ulpian. dig. 26, 4, 3, 3 et instit. 2, 24, 2: orcinus libertus. Gloss. Isidori: orcinus, morte manumissus. Thom. thes. pg. 401 b: orcinus, morte ad Orcum missus.)

γ)

† *Abdēritana* plebs X 25, 4 p. [Abdera, Abderites.]

[1]) Catullianus, cogn. CIL 8, 9918.

[2]) Concedendum L. Muellero ⟨d. r. m. pg. 256⟩ est synizesin ‚Marcelljano' admodum duram esse; exemplum, quod prorsus quadret, nusquam exstare videtur. Quae praeterea e Martialis carminibus ab editoribus adferuntur synizeses paucissimae et partim dubiae sunt. Itaque quid hoc loco statuendum sit incertus sum. — — Marcellianus, cogn. CIL 3, 3996. 5, 3992; 5418. 6, 2457. 12, 1395. — Nonius Marcellanus 8, 6154.

[3]) Suo enim iure Buecheler Petronio fragmentum 18 videtur abiudicare. — — Cosmianus, cogn. CIL 10, 4861. 14, 256, 39.

Antĭpŏlītanus thynnus IV 88, 5 h XIII 103, 1 h. [Antipolis; πολίτης.] CIL 12, 178: incola Antipolitanus; ibid. 189: colleg⟨io Antipo⟩litanorum.

6) in **-inus.**

Ut suffixum -anus maxime hominum Romanorum nominibus adnecti solet, sic hoc suffixum regionum urbiumque Italicarum et animalium nominibus. Horum adiectivorum quod aliquot apud nullum poetam Martiale[1]) vetustiorem occurrunt, partim casu factum est, partim eo quod brevioribus formis poetae ceteri utebantur, ut Laurens, Laurentius pro Laurentinus, Picēnus pro Picentinus.

Ātestina[2]) Sabina X 93, 3 h. (Plin., al.)

Laurentinum litus X 37, 5 h. (Val. Max.)

Māmertina amphora XIII 177, 1 h. (Cic., al.)

Nursinae pilae XIII 20, 2 p. (Liv., al.)

Pīcentina[3]) Ceres XIII 47, 1 h. (Plin.)

Spōlētina lagona VI 89, 3 h; plur. XIII 120, 1 h; Spoletina ⟨vina⟩ XIV 116, 1 h. (Cic., al.)

Trĭfōlina[4]) vitis XIII 114, 1 h. (Plin., al.) Iuven. 9, 56: Trifolinus ager.

haedina pellis XII 45, 1 φ. (Cic., Varro, al.)

vultūrinum collum IX 27, 2 s. (Plin.)

* *vervecinum* caput XIV 211 L. [vervex, ecis.] Tertull. adv. Marc. 4, 40: vervecina ⟨scil. caro⟩. Edict. Diocl. 4, 3: carnis caprinae sibe ⟨sic⟩ verbecinae. Arnob. 5, 3 Reiff.: caput vervicinum. Lampr. Comm. 1, 9: vervecina pellis. Augustin. c. Faustum 16, 30: vervecina ⟨caro⟩. Pelagon. vet. 30 pg. 102: medullae de pedibus berbecinis. Auct. de diaeta 6. Not. Tir. pg. 175: verbicina. Gloss. Gr.-Lat. pg. 416, 23: προβάτειον κρέας, haec verbecina. Idiom. cod. Harleiani pg. 498, 19: verbecina, προβάτιον.

[1]) Apud Silium et Statium novicium est adiectivum Vesuvii montis eruptione ignis paulo ante nobilitati ‚Ves⟨u⟩vinus'.

[2]) Atestinus, cognomen III 38, 5 h.

[3]) Picentinus, cognomen IX 78, 2 p.

[4]) Non ‚trifolina', ut editores praebent; geographicum enim nomen est.

7) in -ĕus.

Suffixo Latino -ĕus a nominibus appellativis derivantur adiectiva ea quae dicuntur materialia[1]). Talia Statius novavit: īlĭcĕus, taxĕus; atque omnino ita poetis grata sunt, ut ex 49, quae Martialis epigrammata continent, duo tantum non in antiquioribus versibus[2]) legi videantur:

buxĕi dentes II 41, 7 *φ*. [buxus.] (Col., al.) Anthol.[3]) 115 [= PLM 4, 303], 6 p: buxea tela.

sīlīgĭnĕi cunni IX 2, 3 h. [silīgo, ĭnis.] (Cato, al.)

* *membranei* pugillares XIV 7 L ⟨et XIV 184 L Friedl.: in pugillaribus membraneis; Schn., Gilb.: in pug. membranis⟩. [membrana, ae, f.] Ulp. dig. 32, 52 in.: quod si in codicibus sint membraneis vel chartaceis vel etiam eboreis vel alterius materiae vel in ceratis codicillis, an debeantur, videamus. cf. Gloss. Lat.-Gr. pg. 128, 41: membraneorum, *τυμπανιστῶν*. (membranaceus Plin. 16, 126 et alibi; CIL 10, 6: pugillares membranacei. — membranus interpr. Orig. in Matth. 11.)

8) in -ĭnus.

Sunt haec ipsa quoque materialia; cf. adnotatio 1. Plurima Graecae originis ⟨respondet enim plane suffixum *ῖνος*⟩ habes in capite priore, imprimis pg. 20 sq.

galbĭni mores I 96, 9 s; galbina ales XIII 68, 1 h. [galbus.] (Petron., al.) Iuven. 2, 97: galbina, n. pl. ⟨scil. vestimenta⟩.

sūcĭna, orum ⟨Bernstein⟩ III 65, 5 h V 37, 11 s XI 8, 6 p; adiect.: sucina gutta IV 59, 2 p VI 15, 2 p. [sucus[4]).] (Plin., al.) Iuven. 6, 573: pinguia sucina. Prud. perist. 3, 21: spernere sucina ⟨coepit⟩.

---

[1]) Cf. Pauckeri ‚Verzeichnis von Adiectivformen auf ⟨einfaches⟩ -ĕus, welche . . . bedeuten: aus — bestehend, oder auch: wie aus — bestehend, -ähnlich, -farbig, -förmig, -artig, ⟨dazu synonyme auf -īnus, -nus⟩ oder eine mehr oder weniger analoge Bedeutung haben', in ‚Materialien' pg. 105—110.

[2]) Catulli nimirum ⟨praeter ‚consanguineus' et ‚saxeus'⟩ et Priapeorum omnia apud Martialem quoque occurunt.

[3]) Non est in lexicis.

[4]) Negat a Latino vocabulo ‚sucus' derivatum esse O. Weise in mus. Rhen. 38 a. 1883 pg. 544 adn., siquidem quo tempore *ἤλεκτρον* primum importaretur origo huius resinae nondum cognita fuerit.

9) in -ĭcus.

Suffixum -ĭcus Latinum ⟨cf. Graecum pg. 27⟩ ad nomina propria geographica adhibebatur, sed inde etiam ad appellativa locorum nomina transibat. In quo est Statii ‚caelicus' ⟨‚Coelicus' Baehrens et index Kohlmanni⟩; Martialis appellativi ‚urbicus', quod iam Claudii imp. temporibus exstabat cognomen ⟨Pompeius Urbicus⟩, primus testis est. Scilicet adiectivum ‚urbanus' iam diu cultus humanitatisque gradum saepius quam locum designare coeperat. Novicia apud Martialem sunt haec:

† *Chattica*[1]) spuma XIV 26, 1 h. [Chatti[2]).] (cf. Cattha mulier Suet. Vit. 14.)

† *Leucŏnicae* lanae XI 56, 9 h; Leuconica saga XIV 159, 2 p; tomentum Leuconicum XIV 159 L; Leuconicum, sbst. ⟨scil. tomentum⟩ XI 21, 8 p XIV 160, 2 p. [Leucones[3]).]

† *Sēquănica* textrix IV 19, 1 h. [Sequani.] (cf. Sequana gens Lucan. 1, 425.[4]))

Vardăicus[5]), sbst. ⟨scil. calceus⟩ IV 4, 5 *φ*. [Vardaei.] Bardaicus calceus Iuven. 16, 13. cuculli Bardaici Capit. Pert. 8, 3.

Lingŏnicus bardocucullus I 53, 5 h. [Lingones vel ⟨ut primus Mart. VIII 75, 2: Lingonus⟩ Lingoni.] Claudian.[6]) cons. Stilich. 24, 94 h: Lingonicus vomer.

Baeticus[7]) grex V 37, 7 s; Baetica crusmata VI 71, 1 h; Baeticae lanae XII 65, 5 s. [Baetis.] (Col., al.) Baetica ⟨provincia⟩ Stat. silv. 2, 7, 29 *φ*. Baeticus aer Iuven. 12, 42.

Lūcănica, ae, f. sbst., ⟨farciminis genus⟩ IV 46, 8 *φ* XIII 35, 1 h. [Lucani.] (Cic. ep., alii.) Stat. silv. 4, 9, 35 *φ*.

Marsica ⟨vina⟩ XIII 121, 1 h. [Marsi.] (Cic., al.) Sil. 8, 496 h.

Pannŏnicum bellum VIII 15, 1 h; Pannonicae cattae XIII 69, 1 h. [Pannonii.] (Plin., al.) Nemes. cyn. 227 h.

---

[1]) Vocabulum non est in lexicis, quoniam Schn. priorcsque dederant ‚caustica' ⟨cf. adn. Frdl.⟩.

[2]) Tac. Germ. 29. 30. 31 etc.; alibi saepe ‚Catthi' scribitur et ‚Catti'.

[3]) Nusquam commemorati videntur esse.

[4]) Apud Plin. ⟨14, 18⟩, quem lexica adferunt, pro ‚Sequanoque' Detlefsen ‚Sotanoque'.

[5]) Editores: vardaicus.

[6]) Omiserunt lexica.

[7]) Baeticus, cognomen III 77, 1 h 10 p III 81, 1 h 4 p.

urbicus[1]) poeta I 41, 11 φ; urbica Tyrianthina I 53, 5 h; urbicae occupationes XII praef. 3. [urbs.] Suet. Caes. 49: urbici negotiatores; id. Aug. 18: annona urbica; 46: magistratus urbici; id. Ner. 23: urbicae res. Gell. 15, 1, 3: venum hercle dedissem res rusticas et urbicas emissem. Apul. met. 7, 6: urbica luxuria; 11, 28: erogationes urbicae. Ulp. dig. 4, 4, 11, 2: urbica procuratio. Lampr. Heliog. 20, 2: praefectus urbicus. Pallad. Ian. 18: sextarii urbici. Prud. perist. 2, 570 dim. Dressel: alumpni urbici. Schol. Iuven. 9, 11: facetiae urbicae. Inscr. Henzen. 6527: ratio urbica.

(urbanus, a, um Plaut., al.; Martialis deciens. — urbanicianus Spart., dig., inscrr. — urbicarius codd. Iust. et Theod. — Antiochus Urbianus CIL 3, 6035.)

10) in **-ensis** et 11) in **-as, ātis.**

Nominibus in -ensis et -as, ātis cadentibus ab initio incolae urbium significabantur; sed etiam ab aliis locorum notionibus formata iam Cicero verbi causa habet: castrensis, forensis, Martialis: Velabrensis; atque etiam inanimis rebus utrumque genus attribuebatur. — Rara apud poetas plerosque sunt ⟨cf. supra suffixum -anus⟩; Catullus quidem in s et p: ‚Bononiensis, Veronensis', Statius unum ‚Cannensis' ⟨Propert.⟩ habet; Martialis item in s et p: Pārmēnsis ⟨Horat.⟩,

Pātrenses fundi V 35, 1 s. [Patrae.] (Cic., al.)

† *Vēlābrensis* focus XI 52, 10 p; Velabrensis ⟨focus et fumus⟩ XIII 32, 2 p. [Velabrum.]

Rāvennātes ranae III 93, 8 s; Ravennatis guttur onocrotali XI 21, 10 p. [Ravenna.] (Cic., al.) Ven. Fort. vit. S. Martini 4, 680 h: Ravennatem urbem.

Tōlōsātis casei quadra XII 32, 18 s. [Tolosa.] (Tolosates Caes.) Sidon. ep. 9, 16 v. 66: qui Tolosatem tenuit cathedram.

---

[1]) Urbicus, cognomen Tac. ann. 11, 35: Pompeius Urbicus ⟨imperatore Claudio ad supplicium traditus⟩. Mart. VII 51; 96, 1; XI 55, 1. Iuven. 6, 71 Buech. Lampr. Ant. Diad. 9, 2. Augustin. ep. 36, 3 ⟨cf. adn. Mignei⟩. Aggenus Urbicus ⟨cf. Teuffel RLG[4] 447, 1⟩. Praeterea frequens in CIL voll. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 12 ⟨cf. indices cognominum⟩.

12) in **-ātus** a nominibus derivata [1]).

Hoc suffixum, cui significatio subest ‚versehen mit etwas', admirabile est quantopere Martiali in deliciis fuerit. Apud aequales quidem epicos nihil ita novatum deprehendimus, quippe qui adiectivis in -fer et -ger exeuntibus uti maluerint ⟨vd. infra⟩, quae omnino elatiori poesi idonea visa esse Ploenius docet ⟨l. c. pg. 63⟩, ita tamen ut interdum etiam epici utramque formam habeant, velut ‚peltifer' Stat., ‚peltatus' Ovid., Val. Flacc., etc. — Vocabula ‚guttatus' et ‚palliolatus' quod non ante scripta reperiuntur, casui tribuendum est, quoniam adverbia ‚guttatim' et ‚palliolatim' iam apud priscos scriptores occurrunt ⟨cf. adnott.⟩. Ex Priapeorum inventis ‚mentulatior' et ‚mutuniatus' Martialis hoc alterum in suum usum convertit, ex ceteris prioribus poetis [2]) 21 huius modi nomina.

Notabile autem videtur ex 17 formis a Martiale introductis non minus octo non a substantivis sed ab adiectivis declinatas esse; sed quamquam septem de his formis subest significatio ‚mit — bekleidet', unum ‚entheatus' similitudinem talium ⟨verborum in -are⟩ sequitur, qualia sunt firmatus = firmus factus, liberatus = liber factus. Scatent eiusmodi vocabulis maxime scazontes; omnium enim in singulis metris novatorum conspectus hic est:

novata in	h	p	φ	s
generis a	4	2	3	9
generis b	2	4	1	2
amborum	6	6	4	11

cērussata[3]) Lycoris I 72, 6 φ; cerussata Sabella II 41, 12 φ; cerussata cutis VII 25, 2 p. [cerussa.] Cod. Theod. 11, 27, 1: tabulae cerussatae.

---

[1]) Cf. G. Bordellē, De linguae Latinae adiectivis suffixo -to a nominibus derivatis. Duesseldorfiae 1873.

[2]) Cf. capillātis Catull. 37, 17 s. capillāti Mart. III 58, 31 s X 62, 2 s; capillātus II 57, 5 s. Praeterea communia Martialis habet cum Catullo: comatus, dentatus, pilleatus, praetextatus; cum Ovidio: ceratus, cothurnatus, cristatus, peltatus, torquatus, vittatus; cum Persio: barbatus, cirratus, cretatus, tunicatus; etc.

[3]) Cic. in Pis. 11, 25: ‚pulsataeque buccae' cod., ‚purpurissataeq.' Halm coniecit ⟨et Georges⟩, ‚pallidaeq.' Jeep, ‚cerussataeq.' Iuntina editio et al.

fasciatus truncus XII 57, 12 s. [fascia.] — Verbum ‚fasciare' aliquanto post demum legitur apud Capit. vit. Ant. Pii 13, 1: tiliacis tabulis in pectore positis fasciabatur, ut rectus incederet. Vulg. Ezech. 30, 21: ⟨ut bracchium⟩ fasciaretur linteolis. Cass. Felix[1]) saepe. — Sidon.[2]) ep. 2, 2, 2: endromidatus exterius, intrinsecus fasciatus.

gŭttātae[3]) Numidicae ⟨scil. gallinae⟩ III 58, 15 s. [gutta.] Pallad. 4, 13, 4: colores hi praecipui: — — albus, guttatus, candidissimus — —. Isidor. orig. 12, 1, 48: color hic praecipue spectandus: — — albus, guttatus, niger; ibidem 12, 1, 50: guttatus, nigris intervenientibus punctis. Cf. gloss. Lat.-Gr. pg. 36, 46: guttat, στάξει. (cf. maculosus Verg. Aen. 1, 323, al.; Mart. X 80, 1 h: maculosa murra. — maculata tigris Val. Flaccus 6, 704.)

† *pertĭcata* frons[4]) V 12, 1 φ. [pertica.]

pustŭlatum Hispanum ⟨scil. argentum⟩ VII 86, 7 φ. [pustula.] Suet. Ner. 44: argentum pustulatum. — ‚pustulare' et quidem intransitivo sensu demum apud Tert. cult. fem. 1, 6. pustulari Cael. Aur. chron. 5, 1, 16 sq. (argentum pusulatum Alfen. dig. 19, 2, 31 m. [pusula.] — pustula ⟨eodem sensu⟩ Mart. VIII 51, 6 p.)

paenŭlati II 57, 4 s V 26, 1 s: alpha paenulátorum. (Cic., al.)

palmata toga VII 2, 8 p. (Liv., al.) Paul. Nol. 10, 253 h. Sidon. carm. 5, 5 h 15, 151 h. Dracont. 1, 275 h. Ennod. 140 ⟨carm. 2, 32⟩, 3 h.

rēsīnata vina III 77, 8 p. (Cels., al.) Iuven. 8, 114: resinata iuventus.

rūtati lacerti X 48, 11 h. (Plin.)

stŏlatus pudor I 35, 8 h. (Vitruv., al.)

palliŏlata[5]), f. IX 32, 1 h. [palliolum.] Suet. Claud. 2: palliolatus novo more praesedit. Vopisc. Bonos. 15, 8: tunicae palliolatae. (cf. cucullata vestis Isid. orig. 19, 24, 17.)

---

[1])[2]) Omiserunt lexica.

[3]) guttatim Plaut. ⟨merc. 205⟩ et posteri.

[4]) Minus bene Georges coniungit ‚perticata pondera'.

[5]) palliolatim Plaut. pseud. 1275. Caecil. com. 133 Ribb.[2] ⟨ex coniectura⟩. — — palleolatim Fronto pg. 157, 5 N. — — palliatus Plaut., cet.

† *sistrata* turba XII 29, 19 h. [sistrum.] (sistrifera Pharia Anthol. 4 [= PLM 3 pg. 287], 99 h. — sistriger Nilus CIL 8, 212 v. 84 h.)

† *splēniatum* mentum X 22, 1 s. [splenium, pg. 13 ex.]

fŏliatum, sbst., = nardinum XI 27, 9 h; plur. XIV 110, 2 p. (Plin., al.) plur. Iuven. 6, 465.

nītrata aqua XIII 17, 2 p. (Colum.)

† *sardōnўchata* manus II 29, 2 p. [sardonyx, ўchis.]

pĭpĕrata manus VIII 59, 4 p. (Col., al.)

sulphŭratum ramentum X 3, 3 s; sulphurata merx XII 57, 14 s; sulphurata, orum I 41, 4 φ. (Vitruv., alii.)

† *ămēthystĭnatus* II 57, 2 s. [amethystīnae vestes, pg. 20.]

† *baetĭcatus* I 96, 5 s. [Baeticae lanae, pg. 61.]

cănŭsīnatus Syrus IX 22, 9 h. [Canusīna ⟨scil. lana⟩ XIV 127, 1, al.] Suet. Ner. 30: canusinati muliones.

coccĭnati, orum I 96, 6 s; coccinatus Euclides V 35, 2 s. [coccīna, orum, pg. 20.] Suet. Dom. 4: puerulus coccinatus. Tertull. test. an. 2: et vittā Cereris redimitā et pallio Saturni coccinata et deae Isidis linteata.

(cf. purpurata mulier Plaut. most. 289, al. — conchyliati ⟨eo sensu⟩ Sen. ep. 62, 3.)

† *galbĭnatus* ⟨= mollis⟩ III 82, 5 s. [galbĭnum, pg. 60.]

† *leucŏphaĕátus* I 96, 5 s. [leucophaeus.]

† *pexatus*[1]) II 58, 1 h. [pexa tunica[2]).]

† *enthĕata* turba XII 57, 11 s. [entheus.] (enthĕi gressus Sen. Med. 382 sen.; entheus gradus id. Troad. 674 sen.; enthea manus id. Oedip. 628 sen. enthea tempora Stat. silv. 1, 2, 227 h; enthea tecta id. ibid. 3, 5, 97 h. mater enthea[3]) Mart. V 41, 3 s; enthea turba XI 84, 4 p. vates enthei Firm. math. 8, 21. enthea daemone Maenas Auson. epigr. 107, 7 h. enthea Bassaris Sidon. carm. 5, 496 h.)

---

[1]) Apud Senecam ⟨„vit. beat. 25" Forcellini et Klotz⟩ verbum illud frustra quaeras.

[2]) Hor. epist. 1, 1, 95 sq.

[3]) Cum lexicis ibi activum sensum statuere opus non est, sed potius translationem poeticam; cf. I 15, 7 et quae adnotavit Friedl.

13) in **-icius** [1]).

Denominativa suffixo [2]) -icius formata, quorum multo minor exstare numerus [3]) videtur quam verbalium in -īcius, raro omnes ceteri poetae usurpaverunt, haec scilicet septem, nisi me fallit: ‚aedilĭcius' Plautus, Atta; ‚novīcius' [4]) Plaut., Ter., Iuven.; ‚patrīcius' Plaut., Persius, Lucan., Sil., Stat., Martialis, Iuven.; ‚sodalĭcium et -us' Catull., Ovid., CIL 2, 1293, 5 [5]) h; ‚natalĭcius' Pers., Martialis, Iuven.; ‚tribunĭcius' [6]) Lucan., Martialis, Corippus [7]); ‚multīcius' [8]) Iuven.[9]), Anthol.[10])

Unde et comparata consuetudine eorum, qui soluta oratione scripserunt, cum Woelfflino ⟨l. c. pg. 416 sq.⟩ concludere licet hoc genus adiectivorum fere totum vulgaris aut cotidiani sermonis proprium fuisse ac iure ab epicorum sublimitate repudiatum. Contra Martialis et tenuioris poesis exemplum sequi solet et ex plebeio usu nonnulla — non metri causa — sumpsit; consentaneum ergo est eum adoptatis tribus ex priorum poetarum vocabulis nova addidisse ad dactylos efficiendos quattuor haec:

[1]) Cf. Paucker, Die Adjectiva auf -icius, in ‚Materialien' pg. 93—110, imprimis pg. 100 sqq. Woelfflin, Die Adjektiva auf -icius, in Arch. 5 a. 1888 pg. 415—537.

[2]) Secludimus enim pauca illa in -icius cadentia, in quibus litterae -ic- ad stirpem vocabuli pertinent, ut ‚meretrīc-ius', ‚pontifĭc-ius', alia.

[3]) Collegit quidem Paucker l. c. denominativa 66, verbalia 131.

[4]) Differentiam mensurae omnino praetermisit Paucker l. c. Leoni autem Meyer, qui ⟨in ‚Vergl. Grammatik' 2 pg. 454⟩ collatis vocabulis ‚tibīcen' [tibia] et ‚tubīcen' [tuba] conicit ‚novīcius' derivatum esse a forma ‚novius' non servata, pauci profecto adsentientur, praesertim cum similiter etiam in verbalibus ⟨ut ‚emptīcius'⟩ productionem litterae i explicare studeat. Multo probabilius Woelfflin l. c. in ‚novicius' ⟨addere debuit ‚multicius'⟩ et in verbalibus omnibus ī natam esse censet contractione: empto-īcius, -oī-, -eī-, -ī-; ad vocabuli in re publica Rom. usitatissimi ‚patr-īcius' similitudinem non solum cetera a nominibus declinationis tertiae orinnda efficta esse, sed etiam ‚tribunīcius' propter rerum propinquitatem. — Nomina gentilia in -icius item variae mensurae esse, ut Numīcius, Maurīcius, Sulpīcius, Rurīcius, nemo adhuc videtur notasse.

[5]) Locum omiserunt lexica et Woelfflin.

[6]) Falso lexica ⟨praeter Quicheratum⟩: tribunīcius.

[7]) Testem hunc omiserunt lexica et Woelfflin.

[8]) Vocabulum omisit Paucker.

[9])[10]) Testes hos omisit Woelfflin ideoque etiam mensuram vocabuli.

† *căthĕdrālĭcii* [1]) ministri X 13, 1 h. [cathedra; cathedralis [2]) Auson. 10, 32 h.] (cf. cathedrarius Sen. brev. vit. 10, 1: cathedrarii philosophi. Sidon. epist. 1, 11, 9: cathedrarii servi. 4, 3. 10: cathedrarii oratores aut forenses rabulae. Paul. dig. 33, 10, 5 pr.: subsellia cathedraria.)

Flōrālĭciae ferae VIII 67, 4 p. [Floralia, um vel ⟨ut Mart. I praef. 16:⟩ Florales.] Philoc. in Kalend. ad d. V. Non. Maias ⟨CIL 1 pg. 342⟩: Floralici.

Sāturnālĭcia selibra V 19, 11 h; Saturnaliciae nuces V 30, 8 p VII 91, 2 p; Saturnalicium tributum X 17, 1 h; Saturnalicii versus XI 15, 12 φ; Saturnalicium lutum XIV 182, 2 p. (Sen. apocol. 8: Saturnalicius princeps. Gell. 18, 2 L: Saturnalicia ludicra Athenis agitare. Spart. Hadr. 17, 3: saturnalicia et sigillaricia frequenter amicis inopinantibus misit.)

praetōrĭcia corona [3]) VIII 33, 1 h. [praetor.] Caper orthogr. ⟨GL 7⟩ pg. 101, 3: vir praetorius et quaestorius, non praetoricius aut quaestoricius dicendum. CIL 6, 1388: praetoricius = is qui praetor fuit; 8, 346: P. Caelius Victor Pretoricius ⟨agnomen⟩. (praetorius Cic., ceteri; praetorianus ⟨eodem sensu⟩ Augustin. confess. 6, 10.)

B. Adiectiva verbalia.

1) in **-īcius** [4]).

Plane abhorret hoc suffixum a poetarum oratione sublimiore, minus a comicorum sermone, qui ⟨teste Ploenio l. c. pg. 55⟩ decem exhibet, in quibus ‚demissīcius' ⟨= herabhangend⟩, ‚emissīcius' ⟨= ausgesandt⟩; Martialis autem, qui recepit ab illis ‚suppŏsĭtīcius' in φ, a simplici ‚mittere' derivatum primus habet

missīcius, sbst. ⟨= Entlassener, ausgedienter Soldat⟩ III 91, 1 [5]) h. Suet. Nero 48: quidam missicius praetorianus.

[1]) Vocabulum omisit Woelfflin.

[2]) Vocabulum non est in lexicis.

[3]) Non, ut Georges aliique volunt, = ‚a praetore accepta'; cf. Friedl. adnot.

[4]) Cf. pg. 66 adnot. 1—4.

[5]) Locum Martialis etiammunc lexica omittunt, quamquam iam Schn.[1] ⟨1842⟩ illud ‚Misitius' sustulerat.

Not. Tir. pg. 38. missicius CIL 2, 1690. 3, 2037; 2065. 5, 910; 7822. 6, 2382 a, 2; ⟨2428;⟩ 2604. 10. 469. miles missicius ⟨„raro in titulis“ O. Hirschfeld⟩ 12, 3179. missicius ex testamento 12, 262. Gloss. Vatic.: missicus ⟨sic⟩, qui militia exit. (emeritus, veteranus, missus honesta missione, honeste missus ⟨frequenter in titulis⟩.)

2) in **-ōrius** [1]).

Haec terminatio usitatissima illa quidem, sed recentioribus multo magis quam prioribus grata fuit.[2]) Poetas quidem antiquos tragicos epicosque prorsus ea vocabula evitasse docet Ploen [3]); apud comicos contra, quorum sermo a lingua vulgari cotidianoque usu non alienus est, 10 vel 11 in -torius ⟨-sorius⟩ exeunt. — Martialis e prosa oratione unum tantum in versu ⟨φ⟩ solus arcessivit; cetera nova in lemmatis et praefatione libri XII inveniuntur.

cenātoria, n. pl. ⟨scil. vestimenta⟩ X 87, 12 φ. (Petron., al.; Mart. XIV 135 L.)

* *adventoria*, ae, f. ⟨scil. cena⟩ XII praef. 23 ⟨24⟩. Caper de verbis dubiis ⟨GL 7⟩ pg. 107, 4: In singularibus verbis multa dubie habentur. ea per ordinem ⟨litterarum⟩ exsequemur. — — ⟨10⟩ adventicia cena, non adventoria. Murat. inscr. 470, 9: adventorium hospitium. (adventicius Cic., cet. — adventicia, sbst. ⟨scil. cena⟩ Petron. 90. adventicia cena Suet. Vitell. 13. Caper l. c.)

* *amictorium*, subst. XIV 149 L. Hieron. in Isai. 2, 3, 23: sindones, quae vocantur amictoria. Cod. Theod. 8, 5, 48, 1: lineae vel amictoria; ibid.: linteamen amictorium. Gloss. Gr.-Lat. pg. 307, 15: *ἐπιβόλαιον*, amictorium; pg. 433, 6: *σκέπασμα, τὸ περιβόλαιον*, amictorium. Gloss. Vatic.: amictorium, tegumentum. Gloss. nom. pg. 566, 17: amictorium, detruncatio ⟨?⟩. Thomae thes. pg. 45 a: amictorium, coopertorium et

[1]) Cf. Paucker, Die Adjective auf -orius, in ‚Materialien‘ pg. 27—45.

[2]) Ex omnibus 554, quae collegit Paucker l. c., 420 non ante mortem Hadriani videntur usurpata esse.

[3]) l. c. pg. 55. — Etiam postea plerique poetae hoc genus repudiarunt, nisi quod tritissima vocabula ‚victoria‘ ⟨M. VIII 78, 1 h⟩ et ‚praetorius et -um‘ ⟨M. X 79, 1 h⟩ libenter in dactylis posuerunt; praeterea Horatius unum ‚deersoriav, habet, Persius et Priapea unum ‚tectoria.‘ — Cf. censorius pg. 5.

tegumentum. (amiculum Plaut., al. — amictus, us Catull., al. — amicīmen Apul. — cf. mamillare pg. 54.)

†* *ministratorii* urceoli XIV 105 L. (famularis Cic. Tusc., al. — cf. administratorius Hieron. in Isai. 13, 46, 11. al.)

†* *scalptorium*, sbst. XIV 83 L. (cf. scalprum Cato, al.)

3) in **-⟨b⟩ĭlis** [1]).

Adiectiva in -⟨b⟩ilis cadentia, quae ab epicis praecipue poetis formantur [2]), novaverunt Valerius Flaccus: implorabilis; Statius: remeabilis, speculabilis, ⟨indubitabilis⟩; Iuvenalis satiricus: curabilis. Cum Ovidius iam finxisset ‚indelebilis‘, hac re tantummodo, quod negationem Martialis ab eo adiectivo separavit, novum factum est ‚delebilis‘; duo alia in oratione soluta non multo ante Martialem usurpata erant.

† *dēlebilis* VII 84, 7 h: ⟨in nostro carmine vultus sodalis⟩ nullis delebilis annis vivet. (dissolubilis Cic., Lact. — exstinguibilis Lact.)

ductile flumen XII 31, 2 p. (Plin., al.) Alc. Avit. 6, 37 h.

structile caementum IX 75, 1 s. (Vitr., Col., al.) Prud. hamart. 190: simulacrum structile; psych. 834 h: structile saxum.

C. Adiectiva cetera non composita.

Saxetanus VII 78, 1: Saxetani cauda lacerti. [Saxetanum Itin. Anton. pg. 409.] (Plin. 32, 146: colias sive Parianus sive Sexitanus ⟨sic⟩ a patria Baetica.)

vĕnĕtus [3]), subst. ⟨= homo factionis venetae⟩ VI 46, 1 h; de veneto prasinoque X 48, 23 h; si veneto prasinove faves XIV 131, 1 [4]) h. (Act. fr. Arval. anni 69 post Chr. n. = CIL 6, 2051 tab. 2, 15: faction⟨is⟩ venet⟨ae⟩. alii.) Iuven. 3, 170: contentusque illic veneto ⟨Veneto Buecheler⟩ duroque cucullo.

[1]) Cf. Paucker, Die Verbaladjective auf -bilis, in ‚Materialien‘ pg. 46—71.

[2]) Cf. Ploen l. c. pg. 54.

[3]) siquidem recte ‚venetus‘ scribitur, ubicumque de colore, non de geographico agitur nomine ⟨Venetus Prop., al., Mart. III 74, 4 p XIII 88, 1 h⟩; cf. ‚cyaneus‘ et ‚Cyaneus‘. Itaque correxerim locos hos: Iuven. 3, 170 Buecheler. Suet. Vitell. 14 Roth. Veget. mil. 4, 37 [2]Lang.

[4]) Omisit index ed. Frdl.

Sidon. carm. 23, 324 φ: albus vel venetus. CIL 2, 4315, 1 [1]) h: Factionis venetae Fusco sacravimus aram.

vătius vernula XII 70, 1 h. (Varro r. r., Ulpian.)

Casui tribuendum est, quod antea non scriptum invenitur

* *pumilus*, sbst. XIV 212 L; mulae pumilae XIV 197 L. Stat. silv. 1, 6, 57 φ: ordo pūmĭlorum; at ibid. 67 φ: mirantur pūmĭlos ferociores. Suet. Aug. 83: ⟨Augustus animi laxandi causa conquirebat⟩ pumilos atque distortos et omnis generis eiusdem.

Quae enim ab hoc verbo derivata est ⟨cf. morus morio pg. 42⟩ substantiva forma ‚pūmĭlĭo, onis' iam apud multo antiquiores scriptores legitur: Lucret.[2]) 3, 1154 Bern., Sen. ep., Plin., al.; Mart. I 43, 10 p XIV 213, 2 p.

III. Nomina composita.[3])

A. Substantiva.

In hoc genere epici poetae Martialis aequales nihil novaverunt; atque etiam ex veteribus epicis Ploen l. c. pg. 59 non amplius novem novata adfert. At et Martialis 7 ⟨8⟩ nova posuit, et Iuvenalis satiricus haec duo: epi-raedia, orum 8, 66 ⟨cum Quintiliano⟩ et tri-scurria, orum 8, 190. Martialis haec sunt[4]):

[1]) Omiserunt lexica.

[2]) Cui haec forma in hexametro sicut Martiali in pentametris magis qabilis erat.

[3]) Cf. F. Stolz, Die lat. Nominal-Composition, Oeniponti 1877. — F. Skutsch, De nominum Latinorum compositione quaestiones selectae, Nissae 1888.

[4]) Vocabuli ‚dēfī-ŏcŭlus' ⟨‚† desioculus' Schn.⟩, quod cum Heinsio aliisque editores novissimi ex versu XII 59, 9 φ removerunt, patronus nuperrime exstitit Aemilius Renn ⟨in Woelffl. Arch. 5 a. 1888 pg. 398⟩ ut ex vulgari sermone petiti. At nec Martialis nec priorum aliquis, quos in usurpandis vocabulis vel saepius vel semel sequitur, ullum exhibet tam insolenter compositum. Fortasse autem ita emendandum est, ut versibus nono et octavo ante sextum positis scribatur: ‚hinc te siccŏcŭlus⟨que⟩ et inde lippus' ⟨vocabulo Plautino iocose mutuando⟩.

Nec minus omittimus Schneidewini et Friedlaenderi ‚ludīmagistri' XII 57, 5 s, quippe quod si re vera unum verbum repraesentat, non proprie compositum, sed ex eis sit, quae F. Stolz ⟨in Woelffl. Arch. 4 a. 1887 pg. 317⟩

denti-scalpium, i, n. XIV 22 L; dentiscalpia septem VII 53, 3 h. [dens, scalpere.] Dosith. herm.[1]) pg. 441 Bouch.: *γλυπτήρ*, *γλυφίς*, dentiscalpium. (Ceteris locis vel materia substituitur vel forma: cuspides lentisci III 82, 9 s; tonsis lentiscis VI 74, 3 s; XIV 22, 1 h: lentiscum; frondea cuspis.) cf. dentifricium Scribon., Plin., Mart. XIV 56 L. auri-scalpium Scribon., Mart. XIV 23 L.

† *dŏmĭ-cēnium* triste V 78, 1 φ; trinoctiale domicenium XII 76, 6 φ. [domus, cenare[2]).]

bardŏ-cŭcullus Lingonicus I 53, 5 h; Santonicus bardocucullus XIV 128, 1 h; bardocucullus ibid. L. [= Bardaicus cucullus.] Gallien. ap. Treb. Poll. Claud. 17, 6: paenulam Illyricianam unam, bardocucullum unum, cucutia villosa duo . . . . (cf. Santonicus cucullus Iuven. 8, 145. cuculli Bardaici Capit. Pert. 8, 3.)

† *Sum-moenium*, i, n. I 34, 6 p. [= sub moenibus regio; cf. adnot. Friedl.] cf. Summoenianus pg. 57.

con-sŏcer, i, m. X 33, 3 h. Suet. Claud. 29. Auson. parent. 24 L; ibid. 32, 12 p. Ulp. dig. 24, 1, 32, 16. 20. 21. CIL 10, 4860 et 4861. — — consocrus, f. Auson. parent. 32 L.

ante-ambŭlo[3]) tumidi regis II 18, 5 h; anteambulonis congiarium lassi III 7, 2 s; anteambulones et togatulos inter X 74, 3 s. [ante, ambulare.] Suet. Vesp. 2: ⟨Vespasianum iuvenem mater⟩ identidem per contumeliam anteambulonem fratris appellat. Aliter gloss. Isid.: proxeneta, quasi inter emptorem et venditorem, vel anteambulo. (cf. ‚togatuli' pg. 75 et ‚togati ante pedes' Iuven. 7, 142 sq.

sē-mŏdius, i, m. IV 46, 6 φ VII 53, 5 h. [sē⟨mi⟩-, modius.] (Cato ag. cult. 11, 3, alii.) Iuven. 14, 67 eodem hexametri loco.

†* *quinque-pedal*, is, n. XIV 92 L. [quinque pedes.] — — quinquepedalis, adiect. Gromat. vet. 340, 24: terminus egregius quinquepedalis. (cf. XIV 92, 1 h: puncta notis ilex et acuta cuspide clusa.)

dicit ‚selbständige Worte . . . . durch Zusammenrückung zu scheinbaren Kompositis ⟨wie . . . aquaeductus⟩ vereinigt'.

[1]) Omiserunt lexica.

[2]) ‚domī cenare' Martialis noviens.

[3]) De synizesi cf. L. Mueller d. r. m. pg. 252 ex. — De terminatione -o, onis, m. cf. Ploen l. c. pg. 40 ex.

B. Adiectiva.

Adiectiva composita, inprimis quae in -gĕna vel -gĕnus, -cōla, -sŏnus, -fer et -ger, -fĭcus exeunt et quae incipiunt a negativa particula in-, admodum frequentia sunt apud epicos poetas [1]). Itaque apud Valerium Flaccum nova reperiuntur haec: aegisonus, aerisonus ⟨Sil., Stat.⟩; monstrifer, saxifer; lustrificus; arquipotens; amnigena, soligena; intemerandus; separ; ⟨inclinis⟩.

Apud Silium haec: Faunigena; Gradivicola, viticola; metallifer ⟨Stat.⟩, uvifer ⟨Stat.⟩, pharetriger, sceptriger; mitificus; tridentipotens; nubivagus; inaccensus, inamatus, inapertus, indispensatus, informidatus, inlacerabilis, inproperus, inrestinctus, invetitus; praevetitus; semiambustus.

Apud Statium haec: multisonus ⟨Mart.⟩; olorifer ⟨?⟩, peltifer, vaporifer, votifer, astriger, freniger; fluctivagus; inabruptus, inaspectus, indubitabilis, inexplicitus ⟨Mart.⟩, inlaudabilis, insatiatus, inserenus, insiccatus; bivertex; declinis, defluus.

Minorem in eo genere numerum Martialis et Iuvenalis novaverunt; Iuvenalis enim teste Pauckero duo tantum: ‚pinnirapus', ‚segni-pes', Martialis haec ⟨e quibus ‚multisonus' et ‚inexplicitus' cum Statio aequali, ‚vitifer' cum Silio communia habet⟩:

multĭ-sŏna Atthis [2]) = Philomela I 53, 9 h. Stat. silv. 3, 2, 103 h: multisonum sistrum. Claudianus Mamertus [3]) 2, 3 pg. 105, 2 Eng.: geminae primum Graeciae classicum multisona Pythagoreorum tuba et lituum Platonis exaudiat nec tumescat sola vanitate nominum, sed pinguescat multimoda veritate rationum. Boëth. in categ. Aristot. 1 pg. 181 Migne: si quis dicat flammiger, vel multisonus, vel fluctivagus . . . .

quinquĭ-plex [4]) cera XIV 4, 2 p; quinquiplices, sbst., ⟨m.⟩ ibid. L ⟨cf. triplices XIV 6⟩. Itala reg. 3, 6, 31: quinquiplicia limina. Tac. imp. ap. Vopisc. Prob. 7, 4: salarium

[1]) Cf. Ploen l. c. pg. 60—63. Voces Ovidianas collegit Paucker in ‚Meletemat. lexist. alt.' parte 1 pg. 3.

[2]) Vitiose in indice edit. Frdl. iunctum est: ‚multisona fervet'. — Cf. apud Catullum ‚clarisonus, fluentisonus, raucisonus'; ‚multivolus'.

[3]) Omiserunt lexica.

[4]) v. l.: quincuplex.

quinquiplex. Vopisc. Florian. 3, 2: imago quinquiplex. Auson. epist. 25, 83 h: quinquiplex Tolosa. Gloss. Gr.-Lat. pg. 401, 19 et 20: quinqueplex. (quincuplus Boeth. inst. arithm. 1, 23. Gloss. Lat.-Gr. pg. 167, 37: quinquuplum, *πενταπλοῦν*.)

† *trĭ-fīlis* calva VI 74, 2 s. ⟨cf. epigramma XII 7.⟩ [tres, filum.] (cf. trī-lix Verg. Aen. 3, 467: lorica auro trilix; alii; Mart. XIV 143, 1 h: Patavinae trilices ⟨scil. tunicae.⟩)

† *sēmĭ-fultus* [1]) subsellio extremo V 14, 9 s.

ĭn-ēnarrabile [2]) munus II 10, 3 h. (Liv., al.) Prud. psych. praef. 41 sen.: fons inenarrabilis.

† *ĭn-ēvŏlūtus* redeas ⟨liber⟩ XI 1, 4 *φ*.

ĭn-explĭcĭti [3]) Platones IX 47, 1 h. Stat. Theb. 2, 510 h: dicta inexplicita. Prud. cath. 3, 153: tractibus anguis inexplicitis. (in-explĭcātus Arnob. 7, 12. — in-explĭcābilis Cic. ad Att., alii. — in-explōrātus Liv., Sen., alii.)

pĕr-ĭnane sŏphōs I 76, 10 p. Interpr. Irenaei 1, 11, 4 pg. 135 Stieren: cum hac cucurbita autem est virtus, quam et ipsam voco perinane. Augustin. serm. 2 n. 1 Mai: stabat enim ante Dominum . . . . sapientia perinanis.

† *per-trĭcōsa* res III 63, 14 p. (tricosus Lucil. 350 Lachm. ⟨at ‚stricosus' Mueller Lucil. 11, 27⟩. Gloss. Lat.-Gr. pg. 201, 41: tricosus, *ἀχρεῖος*, *λαγγωνδυς*. Gloss. nominum pg. 595, 62: tricosus, piger, inutilis. cf. Loewe, Prodrom. pg. 320. — implĭcātus, impēdītus, diffĭcĭlis.)

per-rīdĭcŭla res VII 75, 2 p. (Cic., al.)

trans-tĭbĕrīnus ambulator I 41, 3 *φ*; transtiberina domus I 108, 2 p; transtiberina cutis VI 93, 4 p. (Cic., al.) Prud. perist. 12, 63: transtiberina sacra.

† *cistĭ-fer* [4]) i, m. ⟨an *cis-tĭber*? vd. ‚Addenda' mea⟩ V 17, 4 p.

[1]) Praeterea habet Martialis Plauti ‚sēmĭdoctus'; et Ovidianis ‚sēmĭcrēmatus, sēmīsūpinus' non secus atque Ovidius initium alterius hemistichii effecit pentametri. Cf. Catulli ‚semihians, semilautus, semimortuus, semirasus'; Ovidii ‚sem(i)adapertus, semilacer, semireductus, semirefectus, semisepultus'.

[2]) Cf. Vergilii ⟨Aen. 8, 625⟩ et Persii ⟨5, 29⟩ ‚nōn enarrabile' eodem versus loco positum.

[3]) Friedlaenderi interpretatio ⟨‚ungelesene'⟩ mihi quidem minus placet quam vulgata ⟨‚unverstandene'⟩.

[4]) Cf. B. Deipser, Ueber die Bildung und Bedeutung der lat. Adjectiva auf -fer und -ger, progr. Brombg. 1886, pg. 27.

cf. CIG 6218: KICTIBEP. (Graecum ‚cistophoros' apud Latinos nummum Asiaticum significat ⟨Cic. ad Att. 2, 6, 2 etc.⟩ praeter inscr. Orell. 2318: cistophoro aedis Bellonae.)

vĭtĭ-fĕra Vienna XIII 107, 1 h. (Plin., al.) Sil. 4, 347. Ennod. 164 ⟨carm. 2, 45⟩, 8 p; idem 364[b] ⟨carm. 2, 139⟩, 1 h.

hŏnōrĭ-fĭcum[1]) ⟨aliquid⟩ X 45, 2 p. (Cic., Caes., al.) Auson. par. 6, 32 p: honorificum munus. Anthol.[2]) 117 [= PLM 4, 305], 1 h: honorificus amictus. CIL 14, 480 v. 5[3]) h: honorifica vita. ⟨semper post primum trochaeum positum.⟩

IV. Nomina deminutiva[4]).

Deminutiva poetarum maxime tenuioris generis, h. e. lyricorum et satiricorum, propria esse facile est intellectu; cf. Ploen l. c. pg. 67 sqq. Imprimis is, quem Martialis multis rebus imitatur in eiusque genus dicendi saepe fortasse invitus incidit, Catullus abundat deminutivis; cuius ἅπαξ quidem *λεγόμενα* teste Ploenio 15 sunt; idem autem primus inter poetas videtur 27 posuisse. Quorum Martialis quoque usurpavit haec: codicilli, lapilli, libellus, mentula, sacculus, versiculi, albulus[5]), gemelli; praeterea communia cum Catullo habet: catulus, flagellum, lectulus, munusculum, ocellus, papilla, puella, tabella, aureolus, bellus, misellus, parvulus, pusillus, vetulus.

Itaque etiam nova deminutiva Martialis satis multa exhibet; continentur autem ea singulis metris hac ratione:

[1]) Vocabulum omissum in indice ed. Frdl.

[2])[3]) Loci non sunt in lexicis.

[4]) Cf. L. Schwabe, De deminutivis Graecis et Latinis, Gissae 1859. — G. Mueller, De linguae Latinae deminutivis, Lipsiae 1865. — Kessler, Die latein. Deminutive, Hildburgh. 1869. — C. Paucker, Die latein. Deminutive auf einfaches -ulus, -ula, -ulum, Mitaviae 1876. — Idem, Die Deminutive mit doppeltem l, in Z. f. vgl. Sprachf. 23 a. 1877 pg. 169—188. — Idem, Die Deminutive mit dem Suffix -c-ulus, in Z. f. öst. Gymn. 27 a. 1876 pg. 595—614. — A. Weinhold, Genuswechsel der Deminutiva, in Woelfflini Arch. 4 a. 1887 pg. 169—188.

[5]) Vocabulum ⟨XII 98, 4⟩ omissum in indice edit. Frdl. vel potius pro Albula, rivo illo apud Tibur sulphureo ⟨I 12, 2 IV 4, 2⟩, perperam habitum; hoc enim carmine non de Italia sed de Hispania agitur, coniungendumque est ‚albula freta'. — Georges et veram interpretationem loci exhibet et falsam inscius idem.

nova in	h	p	φ	s
generis a	2	3	6	1
generis b	7	3	3	4

Apparet et longe plurima in φ esse et in s plura quam pro ratione dactylicorum.

Enumerabimus primum proprie deminutiva in iisque etiam *ὑποχοριστικά* et *καταφρονητικά*, quae non metri causa pro formis primitivis posita sunt:

† *sestertĭŏlum*, i, n. = mille sest. I 58, 5 h. (sestertium Cic. etc. passim; sestertia, plur. Cic., Varr., Catull., Hor.; Martialis decies.)

† *thermŭlae* Etrusci VI 42, 1 φ. [thermae, pg. 21.] (balneum Claudii Etrusci Stat. silv. 1, 5 L. — balnĕŏlum Cic. fr., Sen. ep., Iuven. 7, 4.)

† *tŏgatŭli*, orum, m. X 74, 3 s XI 24, 11 φ. (togatus ⟨eodem sensu⟩ I 108, 7 h. Iuven. 3, 127, al.; turba togata VI 48, 1 h. Iuven. 1, 96, al. — cliens Plaut. etc., Martialis sedeciens. — clientŭli Tac. dial. 37 in., al.)

mannŭli[1]), orum, m. XII 24, 8 φ. [mannus.] Plin. ep. 4, 2, 3. Gloss. Isidor.: mannulus, caballus buricus.

cēnŭla, ae, f. V 78, 22 et 31 φ VII 51, 12 p. (Varr. sat. Men. 130, alii.) Iuven. 3, 167.

crātĭcŭla, ae, f. XIV 221, 1 h. (Cato ag. cult. 13, 1[2]) Keil, al.)

crispŭlus iste V 61, 1 h 2 p 13 h. (Sen. ep., al.)

Graecŭla echo II 86, 3 φ. (Cic., al.) Graeculus, sbst. Iuven. 3, 78; Graecula 6, 186[3]). Anthol.[4]) 127 [= PLM 4, 315], 1 h: Graecule ⟨vocativus⟩.

rēgŭlus[5]) sutorum III 16, 1 h. (Varro, Sall., al.) Anthol. 762 [= PLM 5 pg. 363], 43 h ⟨avis⟩.

rustĭcŭlus libellus X 19, 2 φ.[6]) (sbst. Cic., al.) Auson. 25, 5, 3: Bissula nomen tenerae rusticulum puellae. Prud. c. Symm. 1, 107 h: rusticulae lupae.

[1]) Cognomen CIL 5, 4488: ⟨Valerius⟩ . . . qui et Mannulus.

[2]) Adiect. ‚craticulus', quod Georges falsa eiusdem loci lectione fultus praebet, nunc e lexico removendum est.

[3])[4]) Loci non sunt in lexicis.

[5]) Regulus, cognomen apud Horatium bis, apud Martialem quindeciens.

[6]) XIII 76, 1 Schn.[2]: rusticula, ae, f.; Schn.[1], Gilb., Frdl.: rustica.

tēgĕtĭcŭla[1]), ae, f. IX 92, 3 h. (Varro r. r.)

vernŭla, ae, sbst. fem. V 37, 20 s; masc., vernula vatius[2]) XII 70, 1 h; libelli vernulae[3]) V 18, 4 s; plorator vernula XIV 54, 1 h. (Sen., al.) Iuven. 5, 105; 10, 117; 14, 169. Prud. perist. 10, 524 sen. Rutil. 1, 112 p. Ennod. 148 ⟨carm. 2, 35⟩, 3 h.

* *galericulum*, i, n. XIV 50 L. Frontin. 4, 7, 29. Suet. Otho 12. Charis. ⟨GL 1⟩ pg. 80, 10. Gloss. Servii grammatici pg. 530, 25: Calericulum. (galerus Varron. fr. ap. Gell. 10, 15, 32. Verg. Aen. 7, 688, cet. — hoc galerum Fronto ap. Serv. Verg. Aen. 7, 688. alii. — galear C. Gracch. et Varro ap. Charis. ⟨GL 1⟩ pg. 80, 9 et 10.)

Metro videlicet ductus usurpavit Martialis haec:

bŏtellus, i, m. V 78, 9 φ; plur. XI 31, 13 φ, utroque loco in clausula. [bōtŭlus.] Apic. 2, 55. Sidon. epist. 8, 11 v. 46 φ in clausula. Dosith. herm.[4]) pg. 407 Bouch. (botulus Laber. com. 80 Ribb.[2] Petron. 49 ex. Mart. XIV 72 L et 1 h aliique postea. — farcīmen Varro l. L. 5, 111; alii. — hilla ⟨eo sensu⟩ Horat. 2, 4, 60.)

lŏcellus, i, m. XIV 13, 1 h in clausula; 2 p. (Caes. fr., Val. Max.)

ŏfellae, arum, f. X 48, 15 h XII 48, 17 h, utroque loco in clausula. (Cato ag. cult. 162, 1 L[5]), al.) Iuven. 11, 143 in clausula. ⟨Seren. Sammon. 45, 834: ‚opellam' codd. et Baehrens, ‚ofellam' vulgo.⟩ Prud. perist. 10, 383 sen. Anthol.[6]) 206 [= PLM 4, 385], 3 h in clausula.

† *pānārĭŏlum*, plur. V 49, 10 φ: cum panariolis tribus redisti. (panarium Varro l. L. 5, 105. Plin. ep. 1, 6, 3. al.)

† *sellārĭŏlae* popinae V 70, 3 φ: in sellariolis vagus popinis. (sellarii, orum Tac. ann. 6, 1: tuncque ⟨Tiberii aetate⟩ primum ignota antea vocabula reperta sunt sellariorum et

[1]) Georges aliique falso ‚tēgētĭcŭla'. Cf. Priscian. 3, 5, 31; Paucker l. c. ⟨Z. f. ö. G.⟩ pg. 604; L. Mueller d. r. m. pg. 353; Corssen, Aussprache 2[2] pg. 513.

[2]) Mirabili errore index ed. Frdl.: ‚vernula lintea'.

[3]) De adiectivo usu cf. Neue, Formenl. 2[3] pg. 30.

[4]) Non est in lexicis.

[5]) Non est in lexicis, ut etiam alii loci Catoniani, quos collegit E. Hauler in Woelfflini Arch. 1 a. 1884 pg. 584.

[6]) Omiserunt lexica.

spintriarum ex foeditate loci ac multiplici patientia. — sellarium[1]) ⟨Sesselsaal⟩ Suet. Tib. 43: sellaria excogitavit ⟨Tiberius⟩, sedem arcanarum libidinum. Plin. 34, 84: in sellariis domuus aureae; 36, 111: agri minorem modum obtinuere quam sellaria istorum. — sellaria, ae, f. Schol. Iuv. 3, 136: inde ⟨a sella⟩ sellariae dicuntur ⟨meretrices⟩. — — cf. ‚sellaris' et ‚sellularius'.)

ancillārĭŏlus, i, m. XII 58, 1 h. [ancillarius[2]) = qui ancillas amat.] (Sen. benef. 1, 9, 4.)

Annominationis causa videntur usurpata esse haec:

† *lectĭcārĭŏla*, ae, f. XII 58, 2 p. [Respondet verbo in priore versu ‚ancillārĭŏlus' ac tamen sonum magis quam reliquam verbi condicionem imitatur; nam si ancillas amans homo ancill-arius, ancill-ariolus est, iam quae lecticarios amat ⟨hic enim sensus postulatur⟩, lecticari-aria[3]), lecticari-ariola nominanda erat. Sed hoc vocabulum et *κακόφωνον* est neque metro toleratur.]

pūtĭdŭla IV 20, 4 p: altera rīdĭcŭla est, altera pūtĭdŭla. [putidus.] Capit. Macrin. 14, 1: cum . . . . hominem putidulum in imperio ferre non possent. (putidus Plaut., cet., Mart. III 50, 8 p XII 39, 2 φ. — putidiusculus Cic. ad fam. 7, 5 ex.)

ălĭcŭla[4]), ae, f. XII 81, 3 s [„a stirpe alic- in *ἄλλιξ* sive *ἄλληξ*" G. Mueller l. c. pg. 4 m.] vestem significat, tamen sequenti vocabulo ālica ⟨Speltgraupe⟩ quasi deminutivum ac minoris pretii donum opponitur. (Petron. 40, al.; vd. adn. Frdl.)

Mutata notio nativi verbi est in his formis deminutivis:

[1]) Falso lexica: sellaria, ae, f. — Significat enim terminatio -arium, i, n. ‚Raum für' vel ‚mit —'.

[2]) Vocabulum non est in lexicis; habet Dosith. herm. pg. 469 Bouch. amissa Graeca versione, sed in pravis cupiditatibus enumeratum. Glossam Lat.-Gr. pg. 17, 18: ‚ancillarius, *δουλοπρεπής*' non dubito equidem emendare in ‚ancillaris'.

[3]) Multo demum postea Latini talia formarunt qualia sunt denariarius ⟨Volus. Maec.⟩, salariarius ⟨dig. et inscrr.⟩, oculariarius, specularіarius ⟨inscrr.⟩ etc.

[4]) ‚ālicula' falso lexica praeter Quicheratum; hic autem inepte de ‚alica' vocabulum derivat.

bŭcellae[1]), arum, f. VI 75, 3 h. [bucula[2]).] Tertull.[3]) de monogamia 11 in.: et illi plane sic dabunt viros et uxores, quomodo buccellas. Apic. 7, 278; 294; 302. Ps.-Cyprian. de rebapt. 8 pg. 79, 22 Hartel. Vulg. Ruth 2, 14 al., genes. 18,5 al. Cod. Theod. 14, 17, 5. Anthim. 75. Gloss. Gr.-Lat. pg. 481, 42: *ψωμιον* bucellum. Not. Tir.: bucella. (bucca ⟨eo senso⟩ Petron. 44, Mart. X 5, 5 s. — buccea Aug. ap. Suet. Aug. 76 ex. — bucellatum Spart. Pesc. Nig. 10, 4. buccellatum Vulc. Avid. Cass. 5, 4, alii. — cf. offa, offula, ofella pg. 76; frustum, frustulum, frustillum.)

umbella, ae, f. ⟨Sonnenschirm⟩ XI 73, 6 p XIV 28 L. [umbra[4]).] Iuven. 9, 50. Aliter Gloss. nom. pg. 588, 35: opacitas, umbella delectabilis. Thom. thes. pg. 625 b: umbella, parva umbra. (umbraculum ⟨hoc sensu⟩ Ovid. a. a. 2, 209: fast. 2, 311. Tibull. 2, 5, 97. Mart. XIV 28, 1 h ⟨plur.⟩)

fĭdĭcŭlae, arum, f. ⟨genus tormenti⟩ V 51, 6[5]) s. [fides.] (eodem sensu Val. Max., alii.) Prud. perist. 10, 481 et 550 sen.

glandŭlae, arum, f. ⟨corporis pars⟩ III 82, 20 s VIII 20, 4 s. [glans.] (Cels., alii.)

V. Verba simplicia.

1) Verba in -ari et -are a substantivis derivata[6]).

Ut apud Statium primum vocabula leguntur ‚amīcare' [amicus] Theb. 3, 470, et ‚grĕgari' [grex] Achill. 1, 373, ita apud Martialem nova occurunt ⟨in φ 2, s 2⟩ haec:

lĭbīdĭnari[7]): libidinatur VII 57, 13 φ. [libido.] Suet. Ner. 28: libidinatum inceste . . . affirmant. Tertull. Scorpiace[1]) 3: abeunt ⟨Israelitae⟩ libidinatum ad filias Moab. Porphyr. Hor. epod. 12, 11: subare proprie sues dicuntur cum libidinantur. Anthol. 149 [= PLM 4, 336], 10 φ: mores illicite libidinantes.

† *naucŭlari*: nauculatur in stagno Lucrino III 20, 20 s. [naucula[2]).] (‚navigare' apud Martialem quater.)

nĕgōtiari: negotiatur VII 86, 9 φ. [negotium.] (Cic., al.)

sēmĭtari: semitatus[3]) unguento calvam trifilem VI 74, 2 s. [semita.] (Plin. 17, 169: ⟨vineas oportet⟩ quintanis semitari, hoc est ut quinto quoque palo singulae iugo paginae includantur.)

2) Verba desiderativa[4]).

Verborum desiderativorum in -tūrire cadentium scriptores Latini haud ita magnum numerum exhibent ⟨22; cf. Woelfflin l. c.⟩; tamen in lingua familiari multo plura olim ursurpata esse credibile est, quandoquidem haec omnia fere leguntur in scriptis eis, quae a cotidiano aut vulgari sermone prope absunt. Itaque apud epicos quidem nullum deprehendimus, at apud Iuvenalem satiricum novum ‚mictūrire' ⟨6, 309 et 16, 46⟩ et apud Martialem epigrammatarium in iambis non minus tria:

† *cēnātūrire* XI 77, 3 sen.: cenaturit Vacerra, non cacaturit. [cenare.] (esŭrire Plaut., cet., Martialis septiens.)

căcātūrire: ibid. [cacare.] Gloss. Lat.-Gr. pg. 95, 19: cacaturit, *χεζηᾷ*.

nuptūrire[5]) audes III 93, 18 s. [nubere.] Apul. mag. 70: nupturisse.

3) Verba frequentativa et intensiva[6]).

Haec verba cum prioribus temporibus multo plura in usu fuerint quam posterioribus ⟨cf. Ploen l. c. pg. 79; Woelfflin l. c.

---

[1]) v. l. ‚buccellae', sicut fluctuant libri inter bucca, ⟨buca⟩, buccula, bucula.

[2]) significat, ut bucca, partem capitis, translate huiusmodi partem galeae et similia, nusquam id quod bucella.

[3]) Omiserunt lexica.

[4]) Cf. libra libella, fenestra fenestella, castrum castellum, lucrum lucellum etc. G. Mueller l. c. pg. 7 med.

[5]) Locum Martialis omiserunt lexica.

Nec tamen his et similibus corruptelis auctoritas codicis *V* deminui potest, quae bonis lectionibus permultis commendatur et comprobatur. nec solum ubi codices in duas pluresve partes discedunt, plerumque ille meliori favet lectioni, sed multis locis quibus ceteri codices omnes corrupti sunt unus veram et genuinam scripturam ita servavit, ut interdum novam quandam lucem textui Philonis afferat. quarum emendationum insignia exempla haec sunt:

2,13 ἀνάγνως *V* (et *Euseb.*): ἐναγῶς vel ἐναργῶς vel οὐκ εὐαγῶς in aliis codicibus legitur. ἐναγῶς corruptum est ex ἀνάγνως, ἐναργῶς et οὐκ εὐαγῶς inania corrigendi conamina sunt. scriptura οὐκ εὐαγῶς fortasse repetita est ex loco Philonis de

Abrah. II 11 (Mang.) τὸν κόσμον αὐτὸν ὑπέλαβον εἶναι θεόν, οὐκ εὐαγῶς τὸ γενόμενον ἐφομοιώσαντες τῷ πεποιηκότι. adiectivum ἄναγνος apud Philonem legitur de sacrif. Abel et Caini I 190.

5,5 συνέστηκεν *V*: ὑφέστηκεν lectio vulgata. causa corruptelae fuit quod praecedit verbum ὑπονοεῖν.

8,19 τὴν δ' ἄβυσσον *V* (et *Euseb.*): τὸ δ' ἄβυσσον vulgata. sicut brevi ante Philo scripsit τὸ μὲν ἐπεφήμισε σκότος, ita hoc loco τὴν δ' ἄβυσσον; nam apud hunc scriptorem haud raro pronomen relativum et demonstrativum congruit cum eo quod sequitur substantivo praedicativo (v. infra cap. II).

9,5/6 in editionibus haec leguntur: τὸν δ' ἀόρατον καὶ νοητὸν θεῖον λόγον καὶ θεοῦ λόγον εἰκόνα λέγει θεοῦ· καὶ ταύτης εἰκόνα τὸ νοητὸν φῶς ἐκεῖνο, ὃ θείου λόγου γέγονεν εἰκὼν τοῦ διερμηνεύσαντος τὴν γένεσιν αὐτοῦ. eadem extant in codicibus (excepto *V*), nisi quod verba καὶ θεοῦ λόγον ab aliquot libris absunt et pro ταύτης εἰκόνα in quibusdam scriptum est ταύτης τῆς εἰκόνος. Philonem haec ita non scripsisse facile apparet; neque enim intellegitur quomodo, cum de luce intellegibili agatur, subito transeat oratio ad verbum divinum atque hoc dicatur ἀόρατον καὶ νοητόν, quibus vocabulis lucem vel mundum intellegibilem Philo significare solet. deinde θεῖος λόγος Philoni non fuit εἰκὼν θεοῦ, sed idem fere cum Deo. tum vero tautologia quae inest in verbis καὶ ταύτης εἰκόνα τὸ νοητὸν φῶς ἐκεῖνο, ὃ θείου λόγου γέγονεν εἰκών ferri nullo modo potest. glossema scripturae vulgatae subesse demonstrant codex *V* et Eusebius et Ioannes Damascenus, qui haec tradunt: τὸ δ' ἀόρατον καὶ νοητὸν φῶς ἐκεῖνο θείου λόγου γέγονεν εἰκὼν τοῦ διερμηνεύσαντος τὴν γένεσιν αὐτοῦ, reliquis omissis. haec plana sunt et sententiae concinnitati bene accommodata.

10,14 ἀνεχώρησεν *V* (et *Euseb.*): ὑπεχώρησεν vulgata. praecedit ὑπεξέστη.

12,1 ὀνόματ' αὐτοῖς ἐτίθετο *V*: ὀνόματ' αὐτοῖς ἐτίθει vulgata. Philo vocabulum ὄνομα et similia cum verbo medio τίθεσθαι coniungere solet, non activo: cf. 57,6 τίνας θήσεται προσρήσεις. de Cherub. I 149. de mut. nom. I 588. de decal. II 184. frg. II 653.

12,8 κατὰ ἐναντίον τρόπον *V*: κατὰ τὸν ἐναντίον τρόπον vulgata.

12,18 ὁ καρπὸς ἐοικὼς ἀμερέσι ψήγμασιν ὑπὸ βραχύτητος μόλις ὁρατοῖς *V*: ὁρατός tradunt ceteri codices. ὁρατοῖς Mangey tacite iam correxit.

12,20 sqq. in ceteris codicibus haec tradita sunt: (καρπός) κἀκ τῆς εὐκρασίας τῶν πνευμάτων, ἃ ψυχραῖς ἅμα καὶ μαλακωτέραις αὔραις ζωπυρεῖται καὶ τιθηνεῖται καὶ συναύξεται πρὸς ὄγκον ἐπιδιδοὺς (vel ἐπιδοὺς) τελειότατον. quaeritur utrum verba ζωπυρεῖται καὶ τιθηνεῖται καὶ συναύξεται cum relativo ἃ coniungenda an ad enuntiatum primarium referenda sint; si cum relativo construuntur, enuntiatum primarium verbo finito caret, si cum enuntiato primario, verbum desideratur post relativum. verba tradita homines docti vario modo emendare vel explicare frustra conati sunt. Turnebus pro ἃ ψυχραῖς temptavit ἀψύχροις, quod languidissimum esse apparet. Christophorson inter αὔραις et ζωπυρεῖται verba πνεῖ, κατὰ μικρόν inserenda proposuit, quam coniecturam audacissimam et pessimam Mangey recepit: nec structura πνευμάτων ἃ πνεῖ nec verba κατὰ μικρόν, quae idem significant quod ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον, ferri possunt. Mueller verbum ζωπυρεῖται coniunxit cum relativo, verba καὶ τιθηνεῖται καὶ συναύξεται ad enuntiatum primarium rettulit; sed verbum τιθηνεῖται propter illud καί a verbo ζωπυρεῖται secerni nequit. medelam loco corrupto suppeditat codex *V*, in quo particula καί ante συναύξεται deest: verbum συναύξεται igitur ad enuntiatum primarium referendum est, verba ζωπυρεῖται καὶ τιθηνεῖται ad relativum pertinent.

13,11 περιέχοντες *V*: περιέχουσαι lectio vulgata. participium non ad vocem παρασκευαί, sed ad καρποί referendum esse nemo non videt.

15,17 τὸ λεγόμενον ἐν γεωμετρίᾳ σημεῖον *V*: τὸ λεγόμενον ἐν γεωμετρίᾳ εἶναι σημεῖον vulgata.

24,11 κατὰ τοὺς μουσικῆς τελείας νόμους *V*: legebatur κατὰ τοὺς τῆς μουσικῆς τελείους νόμους. μουσικὴ τελεία est Pythagoreorum concentus caelestium.

26,1 κακίας δὲ καὶ ἀρετῆς ὡς ἂν οἶκος νοῦς καὶ λόγος, ᾧ πεφύκασιν ἐνδιαιτᾶσθαι *V*: οἷς (vel οἷς αὗται) πεφύκασιν ἐνδιαιτᾶσθαι ceteri codices. relativum a voce οἶκος pendere apparet.

27,7 τὰ προσεχέστατα τῶν εἰδῶν *V*: τὰ ἔσχατα τῶν εἰδῶν vulgata. προσεχέστατα iam coniecerat Mangey. cf. de agric. I 321

πάλιν δὲ τῶν ἀτελῶν αἱ εἰς τὰ λεγόμενα κατηγορήματα καὶ συμβεβηκότα καὶ ὅσα τούτων ἐλάττω διαιρέσεις προσεχεῖς. Sext. adv. mathem. XI 15 πᾶσα γάρ, φασιν, ὑγιὴς διαίρεσις γένους ἐστὶ τομὴ εἰς τὰ προσεχῆ εἴδη. Diog. La. VII 61 διαίρεσις δέ ἐστι γένους ἡ εἰς τὰ προσεχῆ εἴδη τομή.

29,9 μήτ' ἀφροσύνη καὶ δειλία καὶ ἀδικία καὶ τὸ τῶν ἄλλων κακιῶν ἀμήχανον πλῆθος *V*: κακῶν vulgata.

29,13 ceteri codices valde corrupti sunt: ἔστι δ' ἠδικηκότων ἀναγκαῖον δυσπόριστον alii, ἔστι δ' ἠδικηκότων εἰς κόλασιν τὰ τῶν ἀναγκαίων δυσπόριστα alii, ἔστι δ' ἡ δίκη τις τῶν ἀναγκαίων τὸ δυσπόριστον Mediceus. a vero prope abest Mediceus, sed incorruptam lectionem praebet codex *V*: ἔστι δ' ἡ δίκη τὸ τῶν ἀναγκαίων δυσπόριστον.

32,21 δὴ *V*: δὲ vulgata. δὴ sententiarum conexu requiritur.

Quantopere codex *V* bonitate et integritate ceteris praestet his exemplis satis demonstrari opinor. itaque non dubium est quin eius potissimum auctoritatem sequamur oporteat in libri Philonei parte priore, quae infelici casu ab eo sola servata est.

2. A codice *V* cum vetustate tum auctoritate proxime abest codex Mediceo-Laurentianus plut. X cod. 20 (*M*), *M* membranaceus, forma quam vocant duodecima, ineunte saeculo XIII litteris minutis exaratus. specimen scripturae huius codicis edidit Constantinus Tischendorf in tabula photographica libro qui inscribitur Philonea (Lips. 1868) adiecta. in pagina tegumenti interiore haec verba leguntur: *A. Cocchius Mugellanus contuli a°. MDCCXXXIII cum imp(ress)° Turnebi.* contulit in usum Mangeii (v. infra). in altera pagina folii alterius haec scripta sunt: ἡ βίβλος αὕτη τοῦ φραγκίσκου φιλέλφου ἐστίν. textui Philonis praefixus est πίναξ τῶν ἐμφερομένων τῇ παρούσῃ βίβλῳ λόγων τοῦ ἑβραίου φίλωνος. extant in hoc codice viginti sex scripta Philonis, in his opusculum de opificio mundi fol. 136^{r}—154^{v} (cf. Bandini, Catal. codd. graec. bibl. Laur. I p. 487 sqq.). lacuna maior hiat inter capita 33 et 34: omisit librarius fol. 146^{v} nullo signo lacunae addito omnia inde a verbis ὥστ' ἐξαίρετον ἔχει λόγον usque ad verba τέλειον καὶ τοῖς αὐτοῦ μέρεσιν ἰσούμενον (p. 36,4—37,12); quae lacuna quomodo orta sit ex-

plicare nequeo. libellum περὶ κοσμοποιίας contuli Florentiae aestate anni 1887; collationem meam cum sua ut compararem Fridericus Hanssen benignissime permisit; lectiones ab eo enotatas et a me omissas vel a mea collatione discrepantes nota M^h in adnotatione critica significavi.

De natura codicis *M* iudicare plenum opus est difficultatis. ostendit enim duplicem quodammodo faciem, cum modo egregiam et genuinam modo depravatam et vitiosissimam scripturam praebeat. et librarius quidem exemplum quo usus est accurate videtur expressisse, ut textus Philonei formam quam codex *M* exhibet vetustiorem esse eius aetate existimaverim. archetypus certe, ex quo hic codex derivatus est, antiquus liber optimaeque notae nec dissimilis codici *V* fuisse mihi videtur. archetypum litteris uncialibus scriptum in eoque singula vocabula nec ubique dirempta neque accentibus aliisque notis distincta fuisse memorabiles quaedam corruptelae codicis *M* demonstrant: velut 6,9 φαμὲν ὡς ὅπερ pro φάμενος ὅπερ (magis corruptum inde φαμὲν ὥσπερ, quod in aliis codicibus legitur); 6,17 ἔγνω δὲ ἵν' εὐεργετεῖν pro ἔγνω δεῖν εὐεργετεῖν (magis corrupta aliorum codicum lectio ἔγνω ἵν' εὐεργετῇ); 8,12 πᾶν θαῦμα pro πάνθ' ἅμα; 11,7 ὡς εἶναι τὲ ἅμα pro ὡς εἶναι τέλμα (ΤϵΛΜΑ); 16,19 διαλόγω pro ἰδίω λόγω; 20,19 ὁποίων pro ὁ ποιῶν; 22,13 φησὶ τοὺς ἀλέστοις κρέασιν pro φασὶ τοὺς ἄλας τοῖς κρέασιν; 23,23 ἐν αὐτῷ τὸν ὅλον ἐκίνει pro ἕνα τὸν τῶν ὅλων ἐκεῖνον; 26,1 ὅσ' ἂν οὐ κοσμεῖ pro ὡς ἂν οἶκος; 28,1 εἶτα pro ἢ τά; 35,17 εἴδει pro εἰ δή; 45,4 ἔφην πλαστῶν pro ἔφη Πλάτων; 52,2 ἦν ὡς pro ἢ νεώς; 60,1 πᾶν καλόν pro πάγκαλον; 61,16 διχάζουσι pro δικαζούσῃ; 62,18 ἅμα pro ἄλλα (ΑΛΛΑ). quod de archetypi praestantia eiusque cum codice *V* similitudine dixi, maxime confirmatur multis et optimis lectionibus, quibus in priore parte libelli de opificio mundi *M* solus omnium codicum conspirat cum codice *V*: cf. 11,14 ἀφαυανθεῖσαν; 18,1 τοῖς; 21,16 ἀτελῆ καταλιπών; 26,15 ποιήσωμεν; 28,13 ἐν αἷς ἅπασαν; 28,16 τὰς εἰκόνας; 29,1 ἄντικρυς; 29,4 ψυχῆς; 29,16 γεωπόνων; 29,19 ἐπενεχθείσης; 30,12 λελέχθω; 31,2 τὰς φύσεις; 32,4 χαλιναγωγηθείς; 32,21 ἐν χερσί; 33,1 τελείου. itaque in parte posteriore, in qua codicis *V* subsidio destituti sumus, codicis *M* virtutem eo magis effulgere consentaneum est. et sane largam messem bonarum

lectionum suppeditat, cum plus sexaginta locis unus veram scripturam servaverit. exemplis quibusdam rem illustrabo.

42,15 haec legebantur: οἵ γε μὴν πλάνητες ἥ τ' ἀντίρροπος στρατιὰ τῆς τῶν ἀπλανῶν ἑπτὰ διακοσμοῦνται τάξεσι. quae cum sensu omnino careant, Mueller totum enuntiatum ἥ τ' ἀντίρροπος στρατιὰ τῆς τῶν ἀπλανῶν tamquam glossema delendum esse censuit. at nihil nisi vocula τε sententiam turbat. hanc omittit codex *M*, ea deleta sententia evadit planissima. cf. leg. alleg. I 45 πλάνητές τε γὰρ ἑπτὰ γεγόνασιν, ἀντίρροποι τῇ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἐχούσῃ φορᾷ.

49,20 τῶν δ' εἰρημένων οὐκ ἀποδεῖ καὶ τὸ μέλλον λέγεσθαι vulgata. verbum ἀποδεῖν significat *deteriorem esse* (cf. 53,18 ἀποδεῖ γὰρ τὰ μιμήματα τῶν ἀρχετύπων); eam notionem huic loco non idoneam esse apparet, requiritur notio verbi discrepandi. veram igitur lectionem tradit *M*: οὐκ ἀπάδει *non discrepat, non dissentaneum est.* alia verbi ἀπάδειν exempla apud Philonem extant haec: de post. Caini I 226 τῆς ἐν τοῖς ὀνόμασι προχείρου φαντασίας πολὺ τἀληθοῦς ἀπαδούσης (sic codex teste Tischendorfio Philon. p. 84,4, non ἀποδεούσης). ibid. I 235 ἐπειδὴ ταῦτα τῆς ἀληθείας ἀπάδει. de Abrah. II 2 ὅτι τὰ τεθειμένα διατάγματα τῆς φύσεως οὐκ ἀπάδει. a Platone verbum ἀπάδειν coniungitur cum dativo vel cum genetivo et praepositione ἀπό, cum genetivo a Plutarcho Sexto Empirico Luciano aliis, ut a Philone.

56,3 τεχνιτεύσῃ *M*: τεχνιτεύσηται vulgata. Philo omnibus locis usurpat verbum activum τεχνιτεύειν: cf. de mut. nom. I 583 ὁ γεννήσας καὶ τεχνιτεύσας πατήρ. de somn. I 685 τοῦ θάτερον εἶδος τῆς γαστριμαργίας τεχνιτεύοντος, et 686 τὰ περὶ ἐδωδὴν ἀκρατῶς τεχνιτεύοντα. de victim. II 239 ὅσα σιτοπόνων καὶ ὀψαρτυτῶν περιεργίαι τεχνιτεύουσι. fragm. II 626 ὁπότε τεχνιτεύοι. item forma activa reperitur apud Dionysium Halicarnassensem Sextum Empiricum alios.

57,10 in ceteris codicibus traditur προσέτι τῶν οἰκείων ἀνακαλῶν ἔργων. collato simili loco fragm. II 653 Mangey scribendum esse coniecit πρὸς ἐπίδειξιν τῶν οἰκείων ἀνακαλῶν ἔργων. sed emendationem faciliorem praebet codex *M*, in quo πρός τι τῶν οἰκείων ἀνακαλῶν ἔργων exaratum est.

58,3/4 in ceteris codicibus corrupta leguntur verba ὡμοιοῦτο τῷ κατὰ τὴν γένεσιν κόσμῳ καὶ θεῷ. veram scripturam servavit *M*: ὡμοιοῦτο κατὰ τὴν μόνωσιν κόσμῳ καὶ θεῷ, quae insuper confirmatur locis simillimis p. 66,21. 67,10.

58,14 ὁ δὲ πόθος οὗτος καὶ τὴν τῶν σωμάτων ἡδονὴν ἐγέννησεν, . . . δι' οὗ ὑπαλλάττονται τὸν θνητὸν καὶ κακοδαίμονα βίον ἀντ' ἀθανάτου καὶ εὐδαίμονος vulgata. genetivus οὗ normae grammaticae repugnat et relativum sine dubio a vocabulo ἡδονήν, non a πόθος, pendet. recte igitur cod. *M*: δι' ἥν.

61,11 codices valde corrupti sunt: τέλος οὐχ ὅρον ἄλλο ἢ τὸ μηδὲν ὑπολείπεσθαι alii, τέλος οὐκ ἄλλο ἢ τὸ μηδὲν ὑπολείπεσθαι alii. dubito num quis in hac codicum memoria coniectando verum invenire potuerit, quod in codice *M* exaratum est τέλος οὐ κόρον ἀλλὰ τὸ μηδὲν ὑπολείπεσθαι.

Pauca haec elegi exempla ad codicis *M* praestantiam demonstrandam. quantum vero ad textum Philonis emendandum contulerit, in unaquaque pagina huius opusculi ex adnotatione critica elucet. accedit quod duobus locis lacunae ceterorum codicum unius codicis *M* memoria explentur: 46,2—3 φησὶ δὲ καὶ Ἱπποκράτης κτλ., et 51,16 ἔτι δ' ὁλκὸν καὶ εὔεργον.

Atque haec quidem in bonam partem de codice *M* dicenda sunt. quodsi per omnia talis esset qualem se praestat multis illis quos significavi locis, sane nobis gratulari possemus. sed idem tot vitiis tantisque corruptelis scatet, ut multis locis videatur libris pessimae notae adnumerandus esse. longum est omnes eius scripturas vitiosas enumerare. pleraeque tales sunt quales in codicibus non satis accurate emendateque scriptis reperiri solent. sed ad hoc usitatum genus vitiorum accedit alterum quod ex audaci mutatione verborum et ex interpolatione oritur. Philonis scripta multifariam et identidem correctorum et interpolatorum manus experta sunt neque ullus liber manu scriptus eiusmodi vulneribus intactus ad nos pervenit. sed in nullo codice interpolatorem saepius deprehendimus quam in codice *M*. nam cum satis magna copia vitiorum et glossematum ei cum aliis codicibus communis sit (v. infra), multae et gravissimae corruptelae et interpolationes in eo solo reperiuntur: velut 21,14 ἑκάτερα νηκτά (verba e versu proximo perperam repetita); 23,6 ἢ οἷα ἐνεργεῖ τεχνίτης; 25,1 κατακλύσωσιν ἐπιδίδωσιν

αὐτῷ τὸ φῶς ὁ θεός. cf. inprimis adnot. crit. ad 56,18. 61,4—7. 61,9. 61,11. 62,4/5. 62,8/9.

Iam utroque genere lectionum examinato recteque aestimato anceps natura codicis *M* sic fere explicanda videtur, ut exemplum, ex quo transcriptus est, ad archetypum rediisse bonum ac vetustum, sed ex altero quodam codice corrupto et interpolato multis locis correctum vel potius depravatum fuisse statuamus.

Codices *V* et *M* suum uterque locum in codicum ordine singularem obtinent, ceteri fere omnes in duas classes discedunt.

3. Prioris classis (*a*) codices a me collati sunt hi quattuor: *a*
codex Monacensis graecus 459 (*A*), olim Augustanus, mem- *A*
branaceus, forma quadrata, saec. XIII manu elegantissima exaratus. specimen scripturae eius dedit Constantinus Tischendorf in tabula altera Philoneis adiecta. in prima pagina (fol. 1^{r}) a manu recentiore (saec. XV, ut videtur) haec adnotata sunt: ἐν τῷ παρόντι βιβλίῳ πρῶτον ὀφείλουσιν ἀναγινώσκεσθαι οἱ δύο περὶ μοναρχίας λόγοι· εἶτα ὁ περὶ κοσμοποιίας· καὶ μετ' αὐτὸν ὁ λδ΄ καὶ λε΄, οἵ εἰσιν εἰς τὸν μετὰ τὴν ἑξαήμερον· ὅτι κατὰ ἀκολουθίαν ἔπονται τῆς ἱστορίας καὶ ἀλληγορίας· καὶ μετ' αὐτοὺς ὁ $\bar{η}^{os}$ λόγος, ὃς ἐπιγράφεται περὶ νόμων ἱερῶν ἀλληγορία· πλὴν δοκεῖ ἀναμέσον τούτων ἔχειν καὶ ἕτερον λόγον, ὃς ἐν τῷ παρόντι βιβλίῳ οὐκ ἔστιν· μετ' αὐτὸν δὲ τὸν $\bar{η}^{ov}$ λόγον ἀναγινώσκεται ὁ $\bar{κη}$ λόγος, οὗ ἡ ἐπιγραφὴ περὶ τῶν χερουβὶμ καὶ τῆς φλογίνης ῥομφαίας· ἔχει δὲ μέσον τούτων ἔλλειψίν τιν' ὡς οἶμαι. deinde ab eadem manu adiuncta sunt haec: εἰς τὸν λα΄ λόγον περὶ γιγάντων εὑρήσεις ὅτι δοξάζει καὶ ὅλος ὁ κόσμος πεπλήρωσθαι (sic) ψυχῶν καὶ αὐτοὶ οἱ σύμπαντες ἀστέρες εἰσὶν ἔμψυχοι, ἐπεὶ ἀεὶ καὶ ῥητοί εἰσιν. et in ima pagina haec: τρεῖς γὰρ δόξας ἐναντίας τῇ ἐκκλησίᾳ εὑρίσκω τοῦτον σφάλλοντα· τὴν ὕλην ἄναρχον· προϋπαρξιν ψυχῶν· τοὺς ἀστέρας ζῶντας καὶ τὸν ἀέρα ζωόν. ab eadem manu passim in margine scholia adscripta sunt nullius pretii. foliis 1^{v}—2^{v} a librario praemissus est πίναξ Philonis librorum minio scriptus; ordo librorum idem est quem plerique codices huius classis exhibent. libellus de opificio mundi legitur fol. 163^{r}—180^{v}. cf. Hardt, Catal. codd. mss. gr. bibl. Bav. IV p. 422 sqq. hoc codice etiam Mangey usus est: neque enim dubitandum est quin codex Augustanus, quem

Hoeschelius et Mangey commemorant, idem sit cum Monacensi 459.

B codex Venetus Marcianus 41 (*B*), bombycinus, forma quadrata, saec. XIII variis manibus eleganter scriptus. fuit olim bibliothecae Bessarionis Cardinalis. continet viginti quinque scripta Philonis (cf. Zanetti, Graeca D. Marci Bibl. p. 27); opusculum de opificio mundi legitur fol. 77^{v}—100^{v}.

C codex Coislinianus 43 (*C*), membranaceus (non bombycinus), forma maxima, saec. XV exeunte scriptus. insunt viginti scripta Philonis eodem ordine disposita atque in codice Monacensi *A*; liber de opificio mundi extat fol. 166^{r}—186^{r}. cf. Montfaucon, Bibl. Coisl. p. 115. in eo codice, ex quo descriptus est *C*, duo quaterniones videntur transpositi fuisse; nam ea pars libri de opificio mundi quae pertinet a verbis τὸ σπέρμα περιέχον usque ad verba βάθους ἐπιπέδῳ προστεθέντος (p. 13,16—36,1) suo loco in codice inter fol. 169^{v} et 170^{r} deest, extat loco posteriore inter verba τῶν μὲν γάρ ἐστιν et ἄψυχος ἡ ὕλη (58,18) inde a fol. 176^{v} vers. 6 usque ad fol. 183^{r} inf. initio libri de opificio mundi ab altera manu (saec. XVI) in margine quaedam correcta vel temptata sunt. hoc quoque codice Mangey iam usus est.

D codex Laurentianus plut. LXIX cod. 11 (*D*), membranaceus, forma quadrata, saec. XV (non XIV). continet Philonis scripta quattuordecim (cf. Bandini, Catal. II p. 630 sqq.), in his librum de opificio mundi, qui legitur fol. 171^{v}—180^{v}, 161^{r}—170^{v}, 181^{r}—186^{v}: duo quiniones (codex enim e quinionibus compositus est) sedes suas ita mutarunt, ut quae inter fol. 180 et fol. 181 locum habere debebant nunc fol. 161—170 legantur.

His quattuor codicibus unam constitui classem mirabili eorum consensu probatur. atque eidem classi adscribendi sunt duo codices a Mangeio adhibiti, Vaticanus et Oxoniensis. et Vaticanus quidem numero 152 a Mangeio notatus sine dubio est

E codex Vaticano-Palatinus 152 (*E*), chartaceus, forma octava, saec. XIV, in quo septem scripta Phlonis insunt eodem fere ordine disposita atque in Laurentiano *D*. liber de opificio mundi legitur fol. 1—39. cf. Stevenson, Codd. mss. Palat. graec. p. 82. paucas scripturae discrepantias huius codicis (quem ipse

non vidi) ad Mangeii fidem in adnotatione critica commemoravi. Oxoniensis autem praetermittendus est, quippe descriptus e Veneto:

codex Oxoniensis Collegii Novi 143, chartaceus, forma maxima, saec. XVI, continet triginta septem scripta Philonis duabus manibus exarata; altera pars codicis anno MDXXXIII Patavii scripta est; opusculum de opificio mundi extat fol. 107*^{v}—124*^{r}. cf. Coxe, Catal. codd. mss. qui in collegiis aulisque Oxon. hodie adservantur, tom. I. hunc codicem aestate a. 1888 Oxonii contuli et e codice Veneto 41 (*B*) ad verbum descriptum esse intellexi[1]); quare in adnotatione critica eum non commemoravi.

Memoria classis ***a*** codicum proxime distat a codice *M*, quocum permultae lectiones his codicibus communes sunt et egregiae et corruptae. et bonis quidem codicum *M* et ***a*** lectionibus verba Philonis in editionibus depravata multis locis emendari et in pristinam formam reduci possunt. sed quod de codice *M* animadverti, multis eum inquinatum esse corruptelis et glossematis, idem fere de codicum classe ***a*** dicendum est. namque archetypus huius classis cum eo codice, ex quo ut supra dixi corruptelae gravissimae et interpolationes in codicem *M* transierunt, artissime cohaesit; pleraque enim eadem quae in codice *M* vel corrupta vel interpolata sunt in his codicibus reperiuntur, passim etiam verba in codice *M* leviter afflicta in hac classe codicum gravius depravata sunt. cf. 1,3 ἐξετύφλωσαν; 1,10 καὶ χρησιμωτάτη τῷ βίῳ τὴν κοσμογόνον καὶ ἐν ἱεραῖς βίβλοις[2]) verba interpolata; 2,1 γενητοῦ; 2,13 οὐκ εὐαγῶς; 2,18 δραστήριον ὡς αἴτιον; 3,8 κατασκευαζόντων ἐστί; 3,22 ὁ πρῶτος; 4,4 ἐν τοῖς δυσί (pro οὐσι); 5,3 αὐτά; 5,10 εὐκρασίαν καί interpolata; 6,14 εὐψυχίαν; 7,4 ἀσθενέστερον ἐστίν; 7,9 τὴν αἰσθητὴν πόλιν τῇ νοητῇ;

---

[1]) argumenta ne quis desideret, validissimum argumentum hoc affero, omnes scripturae discrepantias codicis Veneti *B* proprias in codice Oxoniensi reperiri: 4,19 ἰδέαν om. ‖ 7,5 εὐαρμόστῳ ‖ 8,15 ἔμελλεν ‖ 15,4 ἐνκαμπτῆρα ‖ 24,15 κορυβαριῶντες ‖ 27,20 τῶν ‖ 30,3 verba αἱ κακίαι καὶ om. ‖ 34,13 συντιθείς ‖ 36,1 τοῦ om. ‖ 38,4 καὶ ἐπιφανείᾳ ante καὶ γραμμῇ ‖ 38,24 παρερρεῖσθαι ‖ 40,1 ἤκοιτο ‖ 41,15 μίαν ‖ 45,11 μεταβολῆς ‖ 58,9 ἐπιγινόμενος ‖ 59,19 λέγεται δὲ τὸ παλαιόν ‖ 61,8 τις.

[2]) διωρισμένην, quod in adnotatione Mangeii additur, in codicibus non legitur.

7,12 διετυπώθη τὸ πᾶν (ubi hominis creatio tractatur); 11,19 ἀνίκμους φύσεις; 15,9 οὓς ἂν πάντας; 16,7 οἱ τὰ κάρυα παίζοντες; 17,13 χρῄζει; 18,1 ἄληκτον; 18,12 (καὶ) ἕνεκα δημιουργιῶν interpolata; 18,15 τίνα δ' ἕκαστον παρέχεται *M* (pro οἷαν κτλ.), ἵνα δ' ἕκαστον παρέχηται ***a***; 18,24 καὶ κόσμου interpolata; 19,3 φωτός; 19,4 τὰς ἰδίας ἐπιφανείας ἄρχονται διαφαίνειν ἀθρόοι (καὶ) ποιότητας; 19,6 καὶ μηνῶν καὶ ἐνιαυτῶν ἀριθμοὺς καὶ ζῴων ἐμψύχων interpolata; 20,19 περὶ αἰσθήσεων ζῴων διαθέσεις (ὧν) glossema; 21,21 ποιεῖ καὶ εὐθύς interpolata; alia.

Sed ut codex *M* proprias habet corruptelas et interpolationes, ita multa vel corrupta vel interpolata in his codicibus solis reperiuntur. velut 2,9 παραδοθήσεται; 5,10 πάλιν; 5,14 ἑκάστου; 5,19 περὶ om.; 7,1 ἀπερίγραπτοι; 7,7 οὐδένα; 7,11 ἄνω γράφων; 11,8 συμπεφυρμένων; 11,18 ἀνασχεῖν; 13,17 περιέχον; 20,12 ἐπιτελεῖται; 21,11 ἐκτρέπεσθαι; 23,20 ἐμφανέστερον; 24,6 διατέμνων; 25,19 οὐ κέκτηται; 26,4 αὐτῶν ὁ ἕκαστος; 30,1 φοραί; 30,9 τοῦ μὴ τὰ ὄντα; 30,10 δημιουργικῆς; 31,10 ἐπιτυχόντα; 31,13 ἔχοντα; 32,2 ἔργον; 32,17/18 εἰσφορᾷ; 36,8 ἀποδεῖξαι βεβαιοτέραν; 40,21 τὰ τρία; 41,10 ἐν ταῖς; 42,6 ἐν ἀσωμάτοις προκαλεῖται καὶ νοητῶς ἐπιδείκνυται; 44,19/20 τὰ δ' ἐν τοῖς λεγομένοις σπλάγχνοις; 48,1 ἔδειξεν; 49,4 λόγον; 50,22 πνεύματος; 51,16 καθόλου; 53,22 βεβαιότατα; 54,2 πλὴν δὲ οὐ; 55,5 ἀκροτάτῳ; 58,8 οὐδ' ἐν ἐκείνῳ; ibid. ἐμφανέστερον; 58,11 ἁρμόττοντα πόθον ἐνίδρυσεν; 61,14 ἡδονήν; 67,12 χαραχθεῖσαν.

Verum tamen est ubi classis ***a*** codicum sola bonam et genuinam lectionem suppeditet. cf. 14,5 ἔαρος καὶ μετοπώρου; 22,7 τῷ; 36,10 ὑπό; 36,12 τὰ ὀκτώ; ibid. δὶς γενόμενος; 37,9 οἷς; 42,18 ἐμποιοῦντες; 44,7 ὁ τῆς ἀμπέλου (scil. καρπός); 49,8 ἐνούσης; 60,16 ἄπουν et πρηνὲς πεπτωκός; 65,20 αἱ ἀέναοι; 66,17 ὀχλοκρατίαν.

Omnium huius classis codicum longe optimus est Monacensis *A*, ab hoc proxime abest Coislinianus *C*; multo magis corrupti sunt Marcianus *B* et Laurentianus *D*, quos ex eodem exemplo descriptos esse existimo; ex eodem derivatus est codex Laurentianus Conv. 107 (olim Abbatiae Florent. 78), chartaceus, saec. XV—XVI, quem ipse inspexi et in omnibus fere cum Laurentiano *D* conspirare intellexi. Vaticanum *E* propius abesse a codicibus *BD* quam a codicibus *AC*, his locis probatur: 5,22 οἰκείῳ *BDE*; adnot. ad 9,5 καὶ θεοῦ λόγον

om. *BDE*; 17,1 δειχθῆναι *BDE*. uno loco, si Mangeii testimonio fides habenda est, a codicibus *BD* discrepat: 43,10 φύσιν *ACE*, πίστιν *BD*. sed ex Mangeii testimonio non minus novem locis ab omnibus huius classis codicibus sese removere fertur. ac tribus quidem quattuorve locis casu fortasse hoc factum est: 21,21 τὰ προσταχθέντα (pro τὸ προσταχθέν); 34,2 ἰδέας (pro οὐσίας); 47,13 ἡμέραν ἑβδόμην (pro ἱερὰν ἑβδόμην); 55,15 οὐσίας (pro ἰδέας). talia enim ipsi librario nescio an tribuenda sint. reliquis autem quinque locis cum aliis codicibus ita convenit, ut librarius earum lectionum auctor existimari nequeat: 16,1 (cf. Corrig.) διότι ῥύσει μὲν ἑνὸς δυάς, ῥύσει δὲ σημείου συνίσταται γραμμή (= *V*); 32,1 κατακλινέντες (= *VF*); 40,21 τοῖς ἑξήκοντα (= *M*); 48,1 ἀδικεῖν ἐκ προνοίας (= *MF*); 60,13 τρόπον (pro δείγματα teste Mangeio: an pro τύπων? cf. cod. *M*). omnibus his locis Mangeii errores subesse mihi videntur; fortasse Palatinum 152 cum alio quodam Vaticano confudit (v. infra).

Praeter eos quos nominavi libros manu scriptos huic classi, ni fallor, adnumerandi sunt e libris in bibliotheca Vaticana adservatis codex Vaticano-Palatinus gr. 183 (chart. saec. XIV) et codex Vaticanus gr. 380 (membran. saec. XV), si quidem in eis scripta Philonis eodem ordine atque in codicibus *A* et *C* disposita sunt (cf. Stevenson, Codd. mss. Palat. gr. p. 94. Pitra, Analecta Sacra II p. 314).

4. Alterius classis (***b***) codices quos collatos habeo hi sunt ***b*** quattuor:

codex Venetus Marcianus 40 (*H*), chartaceus, forma ***H*** quadrata, saec. XIV (non XIII), olim Bessarionis Cardinalis liber. continet, ut Bessario adnotavit, Φίλωνος Ἰουδαίου τὰ συγγράμματα πάντα, ut accuratius dicamus, omnia quae postea Turnebus edidit; liber de opificio mundi legitur fol. 1ʳ—18ʳ. huius codicis gemellus vel ex eo descriptus est codex Venetus Marcianus 39 (membran., forma maxima, saec. XV), quem obiter inspexi.

codex Monacensis graecus 124 (*I*), chartaceus, forma ***I*** maxima, saec. XVI neglegentissime scriptus. complectitur eadem scripta Philonea quae codex *H*; opusculum de opificio mundi extat fol. 1ʳ—27ʳ. cf. Hardt, Catal. II p. 65 sqq. praemonuit

librarius haec: φίλωνος ἰουδαίου τὰ συγγράμματα πάντα τὰ εὑρισκόμενα μετεγράφησαν ἐκ τῆς βιβλιοθήκης βεσσαρίωνος καρδηνάλεως τοῦ τῶν τούσκλων, ἕλληνος τὸ γένος. descriptus est igitur codex *I* e codice Veneto *H*. idem est quem Fridericus Pfeiffer in editione sua (Erlangae 1785) usurpavit et littera A notavit; sed falso eum bombycinum et saeculo XIV exaratum esse contendit, nec vero omnes scripturae discrepantias eius enotavit, sed selectas, nec satis accurate codicem excusserat, si quidem passim falsa de eo rettulit: velut 2,13 in eo non legitur ἐναργῶς, sed ἐναγῶς; 21,13 non φθοράν, sed φοράν; 37,9 non οἷς, sed ἧς; 49,9 πολυσχιδῶς, non πολυσχιδῶν; 54,16 εὐνόμως, non εὔνομος; 60,14 καλοῦντα, non καλούντων. scriptus est codex summa cum neglegentia, librarius indoctus fuit et linguae Graecae paene rudis; itaque in adnotatione critica foedissima vitia eius silentio praetermisi.

K codex Parisinus 434 (*K*), olim Regius 2250, chartaceus, forma quadrata, saec. XVI ineunte variis manibus exaratus. insunt viginti scripta Philonis eodem ordine disposita quo in codicibus *HI*; liber περὶ κοσμοποιίας legitur fol. 1^{r}—29^{r}. videtur et ipse descriptus esse e codice Veneto *H* (vel eius gemello Veneto 39). in margine passim correctoris manus occurrit, de qua infra dicendum erit. in prima pagina manu Constantini Palaeocappae haec tabula praemissa est:

\+ τάδε ἔνεστιν ἐν τῇ βίβλῳ τῇδε·
\+ φίλωνος ἰουδαίου περὶ μωσέως κοσμοποιίας. λόγοι ιή′ (sic).
\+ τοῦ αὐτοῦ περὶ βίου μωσέως λόγοι γ′.
\+ διήγησις ἱστορικῷ τύπῳ διεξιοῦσα τὰ τῆς παλαιᾶς γραφῆς.

anno igitur MDLII, quo primum Turnebus Philonem edidit, codex *K* in bibliotheca regia Fontebladensi fuit, quoniam Palaeocappa, qui hunc indicem scripsit cum in ea bibliotheca librarii munus administrabat, anno MDLI ineunte mortuus est (cf. E. Legrand, Bibliographie Hellénique II p. 162 sq. et quae dixi in libro qui inscribitur *Philol. Abhandlungen, Martin Hertz zum siebzigsten Geburtstage dargebracht*, Berol. 1888, p. 123 sq.).

L codex Parisinus 433 (*L*), olim Regius 1895, chartaceus, forma quadrata, saec. XVI a Nicolao Sophiano scriptus. suspicor Sophianum hunc codicem a se in Italia scriptum uni ex legatis vendidisse, quos Franciscus I rex Francogalliae Venetiis habebat;

fortasse Georgius de Selve, qui Francisci regis legatus Venetiis fuit post annum MDXXXIV quemque ab Angelo Vergecio calligrapho illo notissimo et a Nicolao Sophiano codices graecos sibi describendos curasse constat (cf. L. Delisle, le cabinet des manuscrits I p. 153), hunc quoque codicem emit et in Francogalliam abduxit. insunt in hoc codice scripta Philonis omnia quae Turnebus postea edidit; libellus de opificio mundi legitur fol. 1^{r}—20^{r}.

Memoria textus Philonei in hac classe codicum inest partim melior quam in libris classis ***α*** partim deterior. ac primum quidem absunt a codicibus huius classis graviora illa quae supra commemoravi vitia et glossemata codicum *M* et ***α***, ut multis locis illi genuina verba scriptoris una cum codice optimo *V* servaverint. nec raro soli omnium codicum bonam lectionem suppeditant: cf. 3,7 ἀπεριμάχητον; 5,12 νεωσοίκους; 7,13 ὃ μεῖζον; 7,14 δῆλον δὲ ὅτι; 9,4 τῶν αἰσθητικῶν κριτηρίων; 9,18 ἀνάλαμψιν; 12,20 ἢ ἄρδει; 13,22 οἷοι; 18,21 τῶν ἄλλων ἀστέρων; 21,13 ἀντωθοῦντα; 29,21 ἀνέστρεψε; 34,11 ἀντί; 36,8 βεβαιωτέον; 49,11 ἀφαυαινομένην; 52,9 προσανέπλαττε; 58,11 ἁρμόττεται; 59,2 ἀδιάφθορον; 62,4/5 σύνοδοι ξεναγὸν ἔχουσιν ἡδονήν.

Sed ne hi quidem integra omnia et incorrupta servarunt neque eorum archetypus vitiorum expers fuit. cf. 2,13 ἐναγῶς; 3,3 ἱστορεῖ λόγος; 3,14 γένεσιν καὶ οἰκεῖον ὄνομα; 4,6 ἕξ et δεῖ; 6,19 ἐπιλαβεῖν; 8,2 χρόνου; 8,6 τῷ ὄντι add. (repetitum ex eis quae mox sequuntur καὶ γὰρ εὔλογον τῷ ὄντι); 8,16 παρὰ τοῦ νοητοῦ κόσμου verba interpolata (παρά soloecum); 8,18 ἐφῄμισε; 12,8 ἐπεβρίθει: hanc formam, quae nulla est, per editiones omnes propagatam et conservatam esse paene incredibile est; 14,19 παντελοῦς; 18,7 συζητήσεως; 22,21 ἀναγκαίῳ λόγῳ; 29,10 πάντα ὅσα; 33,4 γενέσιον; 34,15 πλευρόν; 35,3 ἐναρμονίας; 36,11 τὴν αὐτήν; 37,9 ἧς; 37,20 τοῖς εἰωθόσιν ὀνόμασι χρωμένων; 40,10 ἑπτά; 43,1 ἀναχθείσης; 54,3 ἐπηρτημένοι; 61,18 ἐπιφοράν; 62,8 ἀποκλαίεται; 67,5 πεποιημένου. praeterea verba scriptoris in hac classe codicum saepe perperam transposita sunt; praecipue simplex et facilior structura ex difficiliore et contorta, quae Philoni in deliciis fuit, haud raro facta est. velut 2,14/15 πλέον τοῦ μετρίου ἀποσεμνῦναι pro πλέον ἀποσεμνῦναι τοῦ μετρίου; 5,11 τῆς μελλούσης πόλεως ἀποτελεῖσθαι pro τῆς μελλούσης ἀπο-

τελεῖσθαι πόλεως; 7,10 Μωσέως γάρ ἐστι τὸ δόγμα τοῦτο pro το δὲ δόγμα τοῦτο Μωσέως ἐστίν; 16,5 ἤγαγεν ἡμᾶς εἰς ἔννοιαν pro ἤγαγεν εἰς ἔννοιαν ἡμᾶς; 18,15/16 οἷαν δ' ἕκαστον τῶν εἰρημένων χρείαν τε καὶ ὠφέλειαν παρέχεται pro οἷαν δ' ἕκαστον παρέχεται τῶν εἰρημένων χρείαν τε καὶ ὠφέλειαν; 21,2 ἀτμοὺς ὄσφρησις pro καὶ ὄσφρησις ἀτμούς, qua mutatione antithesis periodi membrorum restituitur chiastica structura apud Philonem frequentissima sublata.

Scripta Philonis in eis quos vidi omnibus huius classis codicibus eodem ordine ita disposita sunt, ut initium faciat libellus de opificio mundi. quare praeter eos quos nominavi libros manu scriptos alii multi in bibliothecis adhuc latitantes necdum excussi eidem classi adscribendi videntur: velut de libris Philoneis in bibliotheca Vaticana adservatis codex Vaticanus graecus 382 (bombyc. saec. XIV), codex Palatinus graecus 311 (chart. saec. XV—XVI), codex Ottobonianus graecus 48 (chart. saec. XVI); deinde codex Escurialensis y — I—5 (chart. saec. XIV: cf. Miller, Catal. des mscr. grecs de la bibl. de l' Escurial p. 262), codex Leidensis suppl. 105, codex Leeuwardensis 40 (chart. saec. XVI: cf. Omont, Catal. des mscr. grecs des bibl. des Pays-Bas p. 20 sq.).

5. Neutri harum classium videtur adnumerandus esse *F* codex Laurentianus plut. LXXXV cod. 10 (*F*), chartaceus, partim saec. XV partim saec. XVI, cuius collationem liberalitati Friderici Hanssen debeo. continet Philonis scripta varia, in his opusculum περὶ κοσμοποιίας fol. 85ᵛ—106ᵛ (cf. Bandini, Catal. III p. 269 sq.). duabus manibus exaratus est: prior manus (saec. XV) folia 15—412 scripsit, altera (saec. XVI) folia 1—14 et 419—559. tum tertia manus recentior multa vitia correxit quae prior librarius commiserat; eadem manus in foliis 104—106 finem libelli de opificio mundi (inde a verbis ὅπως ἀμέτοχος αὐτὸς ἦ κακίας p. 57,8) a librario omissum supplevit. contextum a librario neglegentissime scriptum corrector, quem hominem doctum fuisse facile intellegitur, sollertissime retractavit nec solum librarii errores correxit, sed etiam aliquot locis quae falsa esse ei videbantur de suo ingenio emendare studuit. correctoris manum nota F^2 significavi, librarii F^1

De auctoritate huius codicis iudicium non ita facile est. in universum quidem maxime cum codicum classe ***b*** conspirat, quapropter eum in adnotatione critica non nominavi nisi ubi a memoria classis ***b*** discrepat: itaque ubi codicis *F* scripturae discrepantiam non enotavi, cum classe ***b*** eum congruere scito. sed multis locis ac maxime eis quibus codices huius classis corruptam lectionem tradunt, codex *F* ab iis dissentit et reliquorum codicum memoriam sequitur. veluti 1,15 ἀνυμνῆσαι habet (= ***b***), sed 3,3 αἱρεῖ λόγος, non ἱστορεῖ; 3,7 ἀπεριμάχητον (= ***b***), sed 3,14 γένεσιν οἰκεῖον ὄνομα, non γένεσιν καὶ οἰκεῖον ὄνομα; 8,16 πρῶτον οὖν παρὰ τοῦ νοητοῦ κόσμου (= ***b***), sed 9,18 ἀνάληψιν. tum transpositiones illae verborum, quas codicum classis ***b*** proprias esse supra dixi (p. XVII sq.), fere omnes a codice *F* absunt: cf. adnot. ad p. 2,12; 2,14/15; 4,20; 5,11; 6,11; 7,10; 7,11 al.

Non paucis locis codex *F* cum codicibus classis ***a*** convenit, ut exemplum ex quo transcriptus sit textum Philonis ex utraque classe mixtum continuisse videatur. cf. 7,15 κόσμον εἶναι νοητόν; 8,5 τοῦ κόσμου; 29,1 μονονού; 29,5 ἢ χρημάτων ἢ ἀρχῆς; 34,10 ἐπ' αὐτόν; 36,10 ὑπό; 36,12 γενόμενος; 42,18 ἐμποιοῦντες; 45,22 ἱδρῶσι; 46,19 ἀποτελεῖ; 47,5 ἑτοιμοτέραν; 50,16 θνητός; 61,14 ἡδονήν. sed hac suspicione singularis natura codicis *F* non illustratur; nam permultis locis et a codicum classe ***b*** et a classe ***a*** omnino discrepat ac vel cum codice *V* vel cum codice *M* vel cum utroque horum conspirat: cf. adnot. ad 8,8; 9,2; 12,6; 15,2; 16,11; 18,14; 20,12; 21,2; 23,12; 24,6; 24,11; 26,12; 27,12; 28,19; 29,16; 29,20; 29,21; 32,1; 36,4; 41,6; 43,13; 44,17; 48,1; 48,19/20; 51,4; 52,12; 54,16. nec desunt loci quibus codex *F* a reliquis libris omnibus discedit; nec solum vitia in eo comparent propria, sed est etiam ubi solus omnium bonam lectionem servaverit: veluti 36,8 ἀποδείξει; 36,11 τὴν ἀμφοῖν; 41,21 ὑπερέχει; 42,22 εὑρεῖς.

Quae cum ita sint, in codice *F* exarando librarium duobus exemplis usum esse suspicor: alterum codicibus classis ***b*** simillimum fuit, alterius memoria prorsus diversa et reliquis codicibus propior.


Omnia haec dixi de librario i. e. de eo qui cum alia tum maiorem partem opusculi de opificio mundi exaravit (F^1). sed

eadem fere dicenda sunt de correctore (F^2). ne is quidem ad unam contextus Philonei memoriam sese applicavit, sed modo hanc modo illam secutus esse videtur. veluti 2,13 librarius (F^1) scripserat ἐναγῶς (= ***b***), corrector (F^2) littera ρ addita ἐναργῶς substituit; 10,17 ἡ λέγεται F^1 (= ***b***), ἡ λέλεκται F^2 (= V); 12,20 ἡ F^1 (= ***b***), ἣν F^2 (= M***a***); 13,17 περιέχοντος F^1 (= VM***b***), litteris finalibus τος erasis περιέχον restituit corrector (= ***a***); 16,1 librarius eadem scripsit, quae in codicum classe ***b*** leguntur, corrector supra versum addidit verba διότι ῥύσει μὲν ἑνὸς δυάς, ῥύσει δὲ σημείου συνίσταται γραμμή (= V); 17,11 ἀπέφηνεν F^1, ἀπέφαινεν F^2 (= V); 21,19 ὑπολέλειπτο F^1 (= V***a***), ὑπελέλειπτο F^2 (= ***b***); 26,1 ὡς F^1 (ᾧ V), οἷς F^2 (= M***b***); 39,8 ἔχουσ' F^1, ἔχουσιν F^2 (= ***a***); 40,21 ἑπτά F^1 (= ***b***), ἑξήκοντα F^2 (= M); 41,3 ἡ F^1 (= ***a***), ὃ F^2 (= M); 49,18 καταμηνιαίων F^1 (= ***b***), καταμηνίων F^2 (= M***a***). neque alia res est in ea parte libelli de opificio mundi, in qua corrector librarii munere functus est: in ea quoque modo cum codicum classe ***b*** modo cum classe ***a*** vel cum M***a***, passim etiam cum codice M solo conspirat: cf. adnot. ad 59,1; 59,12; 60,16; 63,5; 66,21. itaque correctorem aetate non procul a librario (F^1) distare existimaverim et eadem exempla usurpata esse ab eo in corrigendo atque a librario in transcribendo opusculo περὶ κοσμοποιίας. aliquot locis corrector suopte ingenio verba tradita temptavit: veluti 17,13 θεωρῆσαι corrigebat (pro γνωρίσαι); 18,12 ἰδέας (pro οὐσίας); ibidem τὸν οὐρανόν (pro τῶν οὐρανῶν, quod levi errore scriptum est pro τῷ οὐρανῷ); 36,5 ἐντὸς δεκάδος (pro ἐν δεκάδι); 42,22 εὑρεῖς εἰσὶν οἵ τε κόλποι (pro εὑρεῖς ἔστιν ὅτε κόλποι), et mox βαθεῖς αἰγιαλούς (propter verbum corruptum ἴῃσι).

Singularem locum in codicum numero codici F tribuendum esse ex eis quae supra exposui satis intellegi opinor. ac nescio an alii codices similes adhuc in bibliothecis latitent nondum excussi. simillimum certe suspicor esse codicem Vaticano-Palatinum graecum 248 (bombyc. saec. XIV — XV: cf. Stevenson, Codd. mss. Palat. gr. p. 135). in quo cum alia Philonea leguntur tum opusculum de opificio mundi fol. 40^v—56^v, cuius initium Augustus Mau rogatu meo benevolentissime contulit. quo ex specimine magnam intercedere similitudinem inter codicem F et codicem Palat. statim intellexi; nam et is plerumque

cum codicum classe ***b*** congruit, sed multis locis et eisdem fere quibus codex F ab ea memoria discedit. velut 1,11 in eo scriptum est παρέχουσα (= F); 2,1 ὀργάνου (= F); 2,13 ἐναργῶς (= F^2); 2,14/15 ἀποσεμνῦναι τοῦ μετρίου; 3,3 ἐρεῖ (pro αἱρεῖ: cf. lectionem codicis M); 3,14 γένεσιν οἰκεῖον ὄνομα.

Eis quae de codicum necessitudine disserui hoc fere stemma efficitur:



6. Ad libros manu scriptos quibus opera Philonea integra continentur alterum accedit subsidium artis criticae in Philone factitandae, quod excerptis efficitur ex scriptis eius collectis. nam Philo et antiquis temporibus et medio quod dicitur aevo multum lectitabatur eiusque doctrina sententiaeque saepe et a multis adhibebantur. inprimis in codicibus graecis qui vocantur miscellaneis excerpta Philonea permulta circumferuntur. ex eiusmodi codicibus ipse adhibui codicem Parisinum 1630 (P), cuius notitiam aliquam habebat etiam Mangey, quippe qui P duas lectiones e codice Regio 3502 (is enim nunc notatus est numero 1630) repetitas commemoret, προσπεριβαλόντες (1,3) et ἐναργῶς (2,13). est codex bombycinus, forma duodecima, saec. XIV, cuius foliis 88^v—91^v excerpta quaedam Philonea leguntur. initium facit excerptum ex libro περὶ μετανοίας, pertinens a verbis Φιλάρετος καὶ φιλόκαλος usque ad verba εἰς ἅπαν οὐκ ἀγνοήσαντος (= II 405 Mang.), sequuntur ἐκ τῶν φίλωνος ἐξηγήσεων ἀπανθίσματα τῶν περὶ κοσμοποιίας, quae florilegia libelli de opificio mundi particulas comprehendunt hasce:

1. verba Τῶν ἄλλων νομοθετῶν — τῷ κόσμῳ συνᾴδοντος (1,1—12) omissis verbis μήτ' εὐθὺς — τοῖς ὑφ' ἑτέρων συντεθεῖσιν (1,7—9);
2. verba τὸ μὲν οὖν κάλλος — πλέον ἀποσεμνῦναι τοῦ μετρίου (1,14—2,15);
3. verba τὸν δὲ κόσμον οἱ φάσκοντες — τῷ μὴ πεποιηκότι (2,23—3,7);
4. verba ἐπεὶ οὖν ὁρατὸς — γεννητικώτατος ὁ ἕξ (3,14—22);
5. verba οἱ καρυατίζοντες — στερεὸν ἤδη σῶμα (16,7—11), quibus compilator de suo adiunxit haec verba: ἔστι δὲ ὁ τούτων ἀριθμὸς ἰσάκις καὶ ἴσος καὶ ὡσανεὶ ἡμιόλιος, μέτρον τε ἰσότητος ἔχων μηδὲν διαφέρον τῶν πλανητῶν. ἀλλὰ τίς δύναται τὴν ἀκριβεστέραν κατάληψιν ἰχνηλατῆσαι τῶν δεδημιουργημένων;
6. verba δεῖ δὲ τὸν κόσμον — παγῆναι τὸν ἕξ (4,6—7), quibus adiecta sunt verba τὴν δὲ πρώτην οὐ καλεῖ πρώτην, ἵνα μὴ ταῖς ἄλλαις συγκαταριθμῆται (4,12—13);
7. verba προλαβὼν γὰρ ὁ θεὸς — ἀπεικονίσθη (4,17—20), quibus addidit compilator haec: εἶτα λέγει (scil. Φίλων) τὸν ὁρατὸν τοῦτον κόσμον πρὸς ἀόρατον ἀρχέτυπον γενέσθαι καὶ χρῆται παραδείγματι τούτῳ;
8. verba ἐπειδὰν πόλις κτίζηται — τοὺς τύπους αὐτῆς (5,6—21);
9. verba ἀλλ' οὐ πρὸς τὸ μέγεθος — ἑκάστῳ τὸ ἐπιβάλλον (6,19—7,6);
10. verba ἐπεὶ δὲ τὸ σύμπαν ὕδωρ — εἰς διαμονήν (11,5—13);
11. verba διὸ φλέβας — ἔμελλον ἀναχεῖν (11,17—18);
12. verba ὁ μὲν δὴ προστάττει — ἀϊδιότητος (13,6—14) omissis verbis τὰς σπερματικὰς οὐσίας — καιρῶν περιόδοις (13,10—12);
13. verba τῇ δὲ τετάρτῃ ἡμέρᾳ — πρὸ σοφίας θαυμάσαντες (13,18—14,3);
14. verba ἵνα μηδενὶ γενητῷ — καρποὺς ἤνεγκεν (14,7—11);
15. verba οἷα γὰρ ἡνίοχος — θεῷ δυνατά (14,14—16);
16. verba ὅπερ νοῦς ἐν ψυχῇ — τῶν σωματικῶν ἀντίληψιν (17,11—14);
17. verba μετὰ δὴ τὰ ἄλλα πάντα — ἡγεμόνα νοῦν (23,18—23);
18. verba ἐπεὶ δὲ οὐ σύμπασα εἰκὼν — τύπον ἔχοντος (25,2—5).

Memoria contextus Philonei, quae his excerptis continetur, proxime distat a codicum classe ***b***, sed ut aliquot locis, inprimis eis quibus graviores corruptelae in codices eius classis irrepserunt aut verba scriptoris perperam transposita sunt, in partes aliorum codicum abeat. veluti 1,3 προσπεριβαλόντες veram lectionem una cum codice *M* suppeditat; 2,13 ἐναργῶς (= F^2);

5,18 εὐκρασίαν om. (= *VM*); 11,17 ἐπλήμμυρεν (= *M*); 14,1 πολύ (= ***VMa***); 14,15 ἐπειλημμένος (= ***Va***); 16,8 προτιθέντες (= ***VMFa***); 16,11 στερεόν (= ***VMFa***). exemplum igitur, ex quo excerpta codicis *P* fluxerunt, non dissimile videtur fuisse archetypo codicum Laurentiani *F* et Vaticano-Palatini 248.

Magis quam *P* cum codicum classe ***b*** conspirat codex Palatinus Heidelbergensis 129 (bombyc. saec. XIV), in *Pal. 129* quo excerpta Philonea tradita sunt foliis 14^r—17^v, 24^r—28^v, 31^r. excerpta e libello περὶ κοσμοποιίας, quae fol. 14^v et 24^r leguntur, benignissime ac liberalissime Maximilianus Treu mecum communicavit. huius codicis scripturae discrepantias, quippe quae nihil fere novi afferant, ubique enotare supersedi. uno tantum loco bonam lectionem servavit in ceteris codicibus aut omissam aut pessumdatam: folio 24^r cum alia tum verba Philonis οἷα ἑταιρὶς καὶ μάχλος — δι' ἑαυτοῦ μὴ δυναμένου (64,11—65,1) laudantur, in quibus codex Palatinus integriora tradit ceteris verba τοὺς τύπους ἑκάστων ἐνσφραγιζόμεναι καὶ τὸ ὅμοιον ἐνεργαζόμεναι πάθος (64,16). vestigium genuinae scripturae servavit etiam codex *M*, sed corruptum (ἐναυγαζόμεναι), in reliquis codicibus vocabula καί et ἐνεργαζόμεναι desunt.

Excerpta quaedam ex opusculo περὶ κοσμοποιίας traduntur a patribus ecclesiasticis Clemente Alexandrino, Eusebio Caesariensi, Ioanne Damasceno. et Clemens Alexandrinus quidem e Philonis libello auctore non laudato transcripsit Solonis carmen de hominum aetatibus (p. 39—40,2). Eusebius duobus locis Praeparationis Evangelicae particulas quasdam opusculi Philonei descripsit: uno loco (Praep. Ev. VIII 13) ea quae capite altero huius editionis scripta sunt (p. 2,11—3,17), altero (Praep. Ev. XI 24) primum particulas capitis sexti et capitis septimi, inde a verbis εἰ δέ τις ἐθελήσειε usque ad verba πρῶτον ἐποίησε τὸν οὐρανόν (p. 7,6—8,8), deinde finem capitis septimi et caput octavum, inde a verbis πρῶτον οὖν ὁ ποιῶν ἐποίει usque ad verba εἰλικρινὲς γὰρ οὐδὲν τῶν ἐν αἰσθήσει (p. 8,16—9,13), denique finem capitis noni et initium decimi, inde a verbis ἐπεὶ δὲ φῶς μὲν ἐγένετο usque ad verba στερεὸν ἐκάλεσεν (10,13—26). quod Eusebius in his Philoneis cum codice Vindobonensi plane conspirat, nemo iam mirabitur, quandoquidem codicem *V* ex antiquissimo codice bibliothecae Caesariensis

derivatum esse constat. Ioannes Damascenus, qui permulta Philonea in Sacra Parallela sua recepit, pauca descripsit ex opusculo de opificio mundi. Mangey in adornandis fragmentis Philonis a Ioanne Damasceno traditis codice Societatis Iesu Claromontanae usus est: hunc eundem fuisse suspicor cum codice Rupefucaldino, quem adhibuit Michael Lequien in curanda editione operum Ioannis Damasceni (Paris. 1712); nam is fuit codex Claromontanus 150, qui postea Meermannianus 94, tum Phillippsianus Cheltenhamensis 1450 fuit, nuper in bibliothecam regiam Berolinensem transmigravit. ipse Parisiis contuli Ioannis *Presbyteri et monachi* codicem Coislinianum 276 (membr. saec. X), in quo excerpta e libro de opificio mundi haec leguntur: verba τίς ἂν εἴη — καὶ χωρῆσαι ἡ ὁ θεῖος λόγος (p. 6,3—5); verba εἴ τις ἐθέλοι γυμνοτέροις — οὐκ ἐμόν (7,6—10); τὸ ἀόρατον καὶ νοητὸν φῶς — καὶ καθαρᾶς αὐγῆς μεταλαμβάνει (9,5—11); οὐχ ὡς πέφυκεν — τὸ μέγεθος αὐτῶν (7,2—5). Ioannes Damascenus plerumque cum Eusebio et codice *V* congruit, sed excerptorum more saepe Philonis verba mutavit.

Philonis excerptorem et compilatorem nuper deprehendi Ioannem Laurentium Lydum. in huius enim libro qui de mensibus inscribi solet multa quae de quaternario numero et de septenario exponuntur e Philonis libro περὶ κοσμοποιίας auctore non nominato compilata sunt. quod quanta neglegentia Ioannes fecerit quo melius cognoscatur, verba eius apposui locis Philonis ex quibus singula delibata sunt significatis. prior locus (de numero quaternario) legitur de mens. II cap. 8 (p. 64 Roether):

Philo p. 16,12—16
> περὶ δὲ τοῦ κατ᾽ ἀριθμὸν ἀξιώματος ὁ τέταρτος ἀριθμὸς τετράγωνός ἐστι· μόνος γὰρ ἰσάκις ἴσος ἰσομερὴς ἐκ τῶν αὐτῶν καὶ συνθέσει καὶ δυνάμει πέφυκε γεννᾶσθαι· σύνθεσιν μὲν οὖν ἐκ δυεῖν καὶ δυεῖν, δύναμιν δὲ ἐκ τοῦ δισδύο, πάγκαλόν τι συμφωνίας εἶδος ἐπιδεικνύμενος, ὃ μηδενὶ τῶν ἄλλων ἀριθμῶν συμ-
p. 15,2—3
> βέβηκεν. — ὅθεν καὶ ἀποτελεσματικὸς καλεῖται· εἰ γὰρ ἀπὸ μονάδος μέχρι τετράδος ἑξῆς συντεθεῖεν ἀριθμοί, δεκάδα ἀποτελοῦσιν.

alter locus est de mens. II cap. 11 (p. 72 sqq. Roether):

p.36,16—37,6
> οἵ γε μὴν Πυθαγόρειοι τῷ ἡγεμόνι τοῦ παντὸς τὴν ἑβδόμην ἀνατίθενται. . . . ὀρθῶς οὖν ἀμήτορα τὸν ἑπτὰ ἀριθμὸν ὁ

> Φιλόλαος προσηγόρευσε· μόνος γὰρ οὔτε γεννᾶν οὔτε γεννᾶσθαι πέφυκε· τὸ δὲ μήτε γεννῶν μήτε γεννώμενον ἀκίνητον, ἐν κινήσει γὰρ ἡ γέννησις, τὸ μὲν ἵνα γεννήσῃ, τὸ δὲ ἵνα γεννηθῇ, ὡς καὶ αὐτὸς ὁ ῥήτωρ ὁ Ταραντῖνος, φησὶ δὲ οὕτως· „Ἔστι γὰρ ἡγεμὼν καὶ ἄρχων ἁπάντων εἷς ἀεὶ ὢν θεός, μόνιμος, ἀκίνητος, αὐτὸς ἑαυτῷ ὅμοιος“. . . . ἡ τοίνυν ἑβδο- p. 34,19—26
> μὰς συνέστηκεν ἐξ ἑνὸς καὶ δυοῖν καὶ τεττάρων, ἔχουσα δύο λόγους ἁρμονικωτάτους, τόν τε τριπλάσιον (l. διπλάσιον) καὶ τὸν τετραπλάσιον. ἔχει δὲ καὶ διαιρέσεις ζυγάδην τρόπον τινὰ συνεστώσας· διαιρεῖται γὰρ πρῶτον εἰς μονάδα καὶ ἑξάδα, ἔπειτα εἰς πενταάδα καὶ δυάδα, καὶ τελευταῖον εἰς τριάδα καὶ τετράδα· μουσικωτάτη δὲ ἡ τούτων τῶν ἀριθμῶν ἀναλογία. — διατείνει δὲ αὐτῆς ἡ φύσις καὶ ἐπὶ τὴν ὁρατὴν ἁπάντων p. 42,7—12
> οὐσίαν, οὐρανὸν καὶ γῆν· αὐτίκα γοῦν οὐρανόν φασιν ἑπτὰ διεζῶσθαι κύκλοις, ὧν ὀνόματα τάδε· ἀρκτικός, ἀνταρκτικός, θερινός, χειμερινός, Ἡμερινός, ζωδιακὸς καὶ προσέτι γαλαξίας· [ὁ γὰρ τοιοῦτος ἀριθμὸς θεῖός ἐστιν]. — ὅθεν τὰ κατὰ τὴν ἡμε- p. 44,12—14
> τέραν ψυχὴν διὰ (l. δίχα) τοῦ ἡγεμονικοῦ λόγου ἑπταχῇ σχίζεται, πρός τε πέντε αἰσθήσεις καὶ τὸ φωνητικὸν ὄργανον καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸ γόνιμον. — καὶ τὸ πᾶν δὲ τοῦτο ἐν ἑπτὰ θεωρεῖται· p. 45,9—11
> ἐν σώματι, ἐν διαστάσει, ἐν σχήματι, ἐν μεγέθει, ἐν χρώματι, ἐν κινήσει, ἐν στάσει, καὶ παρὰ ταῦτα οὐδὲν ἕτερον συμβέβηκε τοῖς ὁρωμένοις. — . . . ἑπτὰ δὲ καὶ φωνῶν μεταβολαί, ὀξεῖα, βαρεῖα, p. 45,11—14
> περισπωμένη, σύμφθογγος (l. δασὺς φθόγγος), ψιλή τε καὶ μακρὰ καὶ βραχεῖα. — ἔνθεν καὶ τὰ ἑπτάμηνα βρέφη τελειογονεῖσθαι p. 46,5—6
> πέφυκεν, ὡς Ἱπποκράτης λέγει· ἡ γὰρ τοῦ ἀριθμοῦ ψυχογονικὴ δύναμις τὰ ἑπτάμηνα τέλεια ἀποφαίνει . . . — καὶ κινήσεις δὲ p. 45,14—16
> αἱ πᾶσαι μόναι εἰσὶν ἑπτά, ἥ τε ἄνω, ἥ τε κάτω, ἡ ἐπὶ δεξιὰ ἢ εὐώνυμα, ἡ πρόσω, ἡ κατόπιν, ἡ ἐν κύκλῳ. — στοιχείων δὲ p. 46,16—47,1
> τὰ φωνήεντα ἑπτά, ἐπειδὴ καὶ ἐξ ἑαυτῶν ἔοικε φωνεῖσθαι καὶ τοῖς ἄλλοις συνταττόμενα φωνὰς ἐνάρθρους ἀποτελεῖν· τῶν γὰρ ἡμιφώνων ἀναπληροῖ τὸ ἐνδέον, ὁλοκλήρους δὲ κατασκευάζει τοὺς φθόγγους, τῶν δὲ ἀφώνων τρέπει τε καὶ μεταβάλλει τὰς φύσεις, ἵνα γένηται τὰ ἄρρητα ῥητά.

7. Haec hactenus de libris manu scriptis et de reliquis artis criticae subsidiis, venio nunc ad editiones. primus Philonis opera typis excudenda curavit Adrianus Turnebus,

cuius editio sic inscripta est: Φίλωνος Ἰουδαίου εἰς τὰ τοῦ Μωσέως Κοσμοποιητικά, Ἱστορικά, Νομοθετικά, τοῦ αὐτοῦ μονόβιβλα. *Philonis Iudaei in libros Mosis de mundi opificio, historicos, de legibus, eiusdem libri singulares. ex Bibliotheca Regia. Parisiis, ex officina Adriani Turnebi typographi Regii. Regiis Typis. M. D. LII.* in primo folio legitur editoris epistula dedicatoria ad Carolum Cardinalem Lotharingiae missa. ordinem quo scripta Philonis in hac editione principe disposita sunt a Turnebo excogitatum esse ipsius testimonio constat; scribit enim in epistula illa cum alia tum haec: πολλὴν δὲ σύγχυσιν εὑρόντες ἐν τῇ τῶν λόγων τάξει, οὕτως αὐτοὺς κατεχωρίσαμεν, ὡς ὑπὸ τοῦ συγγραφέως ἐδοκοῦμεν τὴν ἀρχὴν διατεθεῖσθαι, ἀκολουθήσαντος ὡς ὑπελαμβάνομεν ταῖς τοῦ Μωσέως ἑξῆς ὥσπερ καθ' εἱρμὸν ῥήσεσι καὶ ἱστορίαις. opera autem in tres partes dividendi ansam ni fallor ei dederunt Philonis verba quae initio libelli de praemiis et poenis II 408 Mang. leguntur τὰς μὲν οὖν τῶν διὰ τοῦ προφήτου Μωσέως λογίων τρεῖς ἰδέας εἶναι συμβέβηκε· τὴν μὲν γὰρ περὶ κοσμοποιίας, τὴν δὲ ἱστορικήν, τὴν δε τρίτην νομοθετικήν. nec sine causa Turnebus in Philonis scripta hanc Pentateuchi divisionem transtulit, cui cum non omnes libros accommodatos videret, quartam formavit partem librorum singularium.

Quod *ex Bibliotheca Regia* se Philonem edere denuntiat, libros manu scriptos dicit Regis Christianissimi bibliothecae Fontebladensis, qui nunc in bibliotheca Parisiensi quae vocatur Nationali adservantur. sunt autem codices Parisini numeris 433 et 434 nunc signati inprimis intellegendi, quos iam tum in bibliotheca Regia fuisse supra dixi (p. XVI sq.). atque in libello quidem de opificio mundi recensendo primario duce et auctore Turnebus usus est codice Parisino 433 (*L*); nam huius contextum in editione principe integrum fere expressum videmus. itaque cum codex *L* ad codicum classem ***b*** referendus sit, in universum Turnebi editione principe memoria classis ***b*** repraesentatur. codicem *L* autem, non alterum Parisinum, illi pro fundamento fuisse eo comprobatur, quod iis quoque locis quibus *L* vel a codice *K* et reliquis classis ***b*** codicibus vel ab omnibus recedens singularem tradit lectionem, editio princeps cum codice *L* conspirat: 20,19 καὶ ἀφήν *L* et *ed. pr.*, εἰς ἀφήν vel καὶ εἰς ἀφήν *ceteri codices*; 21,13 φθοράν *L* et *ed. pr.*, φοράν

ceteri codd.; ibid. κρατερώτερα *L* et *ed. pr.*, κραταιότερα *ceteri codd.*; 23,12 τοῦ ζώου *L* et *ed. pr.*, τοῦ om. *K* et *plerique codd.*; 25,8 τῶν ὅλων *L* et *ed. pr.*, τὸν ὅλων *reliqui codd. classis* ***b***; 31,22 ἀνατέμνοντες *L* et *ed. pr.*, ἀνατέμνονται *reliqui codd. classis* ***b***; 35,7 ἐναρμονίαν *L* et *ed. pr.*, ἁρμονίαν *ceteri codd.*; 39,8 οἵ τ' *L* et *ed. pr.*, alii *codices* aliter; 47,8 τῇ ἀνωτάτῳ *L* et *ed. pr.*, τῆς ἀνωτάτω *K* et *plerique codd.*; 54,16 ξυνέβαινε *L* et *ed. pr.*, συνέβαινε *ceteri codd.*; 55,6 δὴ *L* et *ed. pr.*, δὲ *reliqui codd. classis* ***b***.

Sed Turnebus alterum quoque Parisinum, codicem *K*, ante oculos videtur habuisse. duobus certe locis editio princeps cum codice *K* congruit, non cum *L*: 34,5 articulum ὁ omittunt *K* (et *FHI*) et *ed. pr.*, habet *L*; 58,23 τὸν δ' οὐχ ὅμοιον *K* (et *FHI*) et *ed. pr.*, τὸν δ' οὐχ ἥμερον *L*. accedit quod in codice *K* ab altera manu, quae hominis docti esse mihi videbatur, vel in margine vel supra versum lectiones variae et emendationes adscriptae sunt, quae fere omnes in editione principe redeunt; nescio an manus sit ipsius Turnebi: 4,15 αὐτήν *K* in textu, ᾗ in margine (αὐτῇ *ed. pr.*); 10,5 ἐπαπολυόμενα *K* in textu, δυό in margine (ἐπαποδυόμενα *ed. pr.*); 11,19 ἀρετῶσαν *K* in textu, ἀρόσιμον in margine (ἀρόσιμον *L* et *ed. pr.*); 23,12 ζώου *K* in textu, τοῦ add. in margine (τοῦ ζώου *L* et *ed. pr.*); 35,7 ἁρμονίαν *K* in textu, ἄλλως ἐναρμονίαν in margine (ἐναρμονίαν *L* et *ed. pr.*); 37,5 εἴ *K* in textu, ἴσως εἰς in margine (εἰς *ed. pr.*); 39,9 μεμνημένον γάμου εἶναι *K* in textu, ἄρ' add. in margine (μεμνημένον ἄρ γάμου εἶναι *ed. pr.*); 39,12 ἔσθ' ὅμως *K* in textu, ἔθ' in margine (ἔθ' ὁμῶς *ed. pr.*); 43,21 ἑκάστης ἡμέρας *K* (ἑκάστην ἡμέραν *ed. pr.*); 47,5 σέπτε$^{\mu}$ *K* (σέπτεμ *ed. pr.*); 54,16 εὐνόμως *K* in textu, ἴσως εὔνομος in margine (εὔνομος *ed. pr.*); 57,3 χρόνων ἔτι περιόδοις *ed. pr.*: ἔτι in codicis *K* margine legitur inter vocabula χρόνων et περιόδοις, sed referri voluit corrector ad illud ἔτι ante δεσπόζουσι, cuius loco in contextu perperam ἐστι scriptum est; 58,23 τὸν δ' οὐχ ὅμοιον *K* in textu (*ed. pr.*), τὸν δ' οὐχ ἥμερον in margine (= *L*).

Ceterum Turnebus in constituendo contextu verborum vestigia codicum quibus usus est satis anxie pressit et ab eorum auctoritate raro discessit. vitia quibus libri Parisini scatent pleraque retinuit, non nulla correxit, sed passim corri-

gendo falsas scripturas ipse induxit. 3,5 ὅσα δ' ὠφέλιμα edidit Eusebium fortasse secutus pro eis quae in libris tradita sunt τὰ δ' ὅσα ὠφέλιμα; 3,14 γένεσιν τὸ οἰκεῖον ὄνομα de coniectura scripsit pro γένεσιν καὶ οἰκεῖον ὄνομα; 4,15 αὐτῇ recte pro αὐτήν; 7,6 ἑκάστῳ τὸ ἐπιβάλλων perperam mutavit in τὸ ἑκάστῳ ἐπιβάλλον; item 22,11 πρὸς αὐτὸ μόνον in πρὸς αὐτὴν μόνον; 28,19 λεκτέα pro λεκτέον dedit corrupta scriptura δευτέρα inductus; 30,9 εὐμαρέστερον recte pro εὐμαρέστατον; 30,23 αἰτίας· ἀναγκαίως ἔδει male pro αἰτίας ἀναγκαίας· ἔδει; 31,12 τι pro τινι; 34,3 τετράγωνοι pro τετράγωνον; 36,8 ἀποδείξει pro ἀποδεῖξαι; 38,21 ἐνάτην pro ἐννέα; 49,9 πολυσχιδῶν pro πολυσχιδῶς; 63,7 ὅσον ἀναγκαῖον φιλαυστήρῳ καὶ σεμνῷ βίῳ correxit deletis vocabulis ὃ δὴ ante φιλαυστήρῳ interpolatis; 66,22 εἰς τὴν τοῦ ὅλου γένεσιν recte scripsit pro καὶ τὴν τοῦ ὅλου γένεσιν.

Non nulla ad emendationem Philonis contulit Turnebus in appendice editioni suae adiecta. ut ipsa inscriptione appendicis indicavit (Ἡ διάφορος γραφή, καὶ σφαλμάτων τινῶν ἐπανόρθωσις), duplex lectionum genus ibi congessit, alterum earum quibus typothetae errores ac levia menda corriguntur, alterum variarum quae proprie dicuntur lectionum; quas, etsi non nullae in codicibus quibusdam redeunt, non tamen e codice quodam haustas esse credo, sed coniecturae Turnebi ipsius deberi, praesertim cum duabus lectionibus vocabulum ἴσως praefixerit; omnes autem tales sunt, quales homini docto facile attribueris: 1,3 προσπεριβαλόντες pro προσπεριλαβόντες; 1,15 ἂν ὑμνῆσαι pro ἀνυμνῆσαι; 15,10 περιλαβοῦσα pro παραλαβοῦσα; 16,8 προτιθέντες pro προστιθέντες; 21,2 et 61,16 χυλούς pro χιλούς; 21,13 φοράν pro φθοράν; 35,3 ἐν ἁρμονίαις pro ἐναρμονίας; 39,13 μέγ' ἄριστος pro μετ' ἀρίσταις; 42,23 εἰσί pro ἴσησι; 43,1 ἀναχυθείσης pro ἀναχθείσης; 45,2 αὐλοῖς pro αὐλαῖς; 50,17 ἄρρεν pro ἄρρην; 63,1 οὕς pro οὗ; 66,17 ὀχλοκρατίαν pro ὀχλοκρασίαν.

Turnebus igitur cum Philonis opera ad fidem librorum manu scriptorum ederet, simul felix scriptoris emendandi initium fecit. quod munus persequi conatus est Ioannes Christophorson Anglus, qui (teste Mangeio) Turnebi editionem pertractavit et quadringentas fere lectiones varias, cum libros *de opificio mundi*, *de decalogo*, *de creatione principum*, *de iudice,* latine ederet (Antwerpiae 1553), ad calcem huius editionis congessit:

vide infra. sed per ducentos fere qui proxime sequebantur annos ars critica in Philonis scriptis factitanda tantum non neglecta iacebat. nam postquam Sigismundus Gelenius Philonis scripta omnia quae in Turnebi editione extant latine reddidit (Basileae 1554), et libri Philonis tres qui in editione principe desiderantur, *legum allegoriarum* liber secundus, liber *de mutatione nominum*, *de somniis* liber secundus, a Davide Hoeschelio e codice Augustano editi sunt (Francofurti 1587, Augustae Vindel. 1614), tres qui secuti sunt editores satis habuerunt textum Philonis a Turnebo constitutum ad verbum typis expressisse eique Gelenii versionem latinam librosque ab Hoeschelio editos adiunxisse. quarum editionum prima prodiit Coloniae Allobrogum anno 1613, altera Lutetiae Parisiorum a. 1640, tertia Francofurti a. 1691.

Novos studiis Philoneis impetus dedit editio Mangeiana, quae sic inscripta est: Φίλωνος τοῦ Ἰουδαίου τὰ εὑρισκόμενα ἅπαντα. *Philonis Iudaei Opera quae reperiri potuerunt omnia. Textum cum Mss. contulit, quamplurima etiam e Codd. Vaticano Mediceo et Bodleiano, Scriptoribus item vetustis, nec non Catenis Graecis ineditis, adiecit, Interpretationemque emendavit, universa Notis et Observationibus illustravit Thomas Mangey.* (*Londini*) MDCCXLII. editio haec nitidissima duo volumina comprehendens, quamquam Turnebi aliisque editionibus multis numeris praestat, non tamen omnem quam commoverat exspectationem explevit. multis enim et novis et bonis subsidiis instructus Thomas Mangey ad Philonem restituendum et emendandum plurimum conferre potuit. ac primum quidem ordinem librorum sollertius constituit quam Turnebus. deinde libris a Turnebo et ab Hoeschelio publici iuris factis adiecit e codice Vaticano graeco 381 commentarium *de posteritate Caini* (quem nostra aetate accuratius edidit Constantinus Tischendorf in Philoneis suis, Lipsiae 1868), cui accessit nova pars libri Philonei *de specialibus legibus* cum dissertatione *de iustitia*, e codice Bodleiano utraque descripta. tum vero fragmenta librorum Philonis deperditorum ex Eusebii Praeparatione Evangelica, Ioannis Damasceni Sacris Parallelis, aliis fontibus collecta scriptis quae aetatem tulerunt addidit. nec vero acquievit in recudenda editione principe, sed codicum multorum subsidio et coniecturis hominum

doctorum adhibitis novam textus recensionem instituit. itaque bene de Philone meritum esse Mangeium negandum non est. sed nec satis habuit subsidiorum nec subsidiis quae comparaverat ea qua par est deligentia et sollertia usus est, ut fundamentum magis Philonis edendi iecerit quam ad finem rem perduxerit.

Collatos Mangey habebat codices Vaticanum 152 (immo Vaticano-Palatinum 152), tres codices Parisinos Regios 1895. 2250. 2251 (nunc numeris 433. 434. 435 signatos), Coislinianum 43, Augustanum, tres codices Oxonienses, unum Cantabrigiensem, denique codicem Mediceum. ex hac codicum copia in libro de opificio mundi commemorat Vaticanum Coislinianum Augustanum unum Oxoniensem Cantabrigiensem Mediceum. de codice Vaticano-Palatino 152 supra dixi p. XIV sq., de Coisliniano 43 p. XII, de Augustano (Monacensi 459) p. XI; codicem Oxoniensem (Collegii Novi 143) apographum esse codicis Veneti 41 supra dixi p. XIII[1]). quattuor igitur codices classis ***a*** adhibuit Mangey et eorum potissimum memoriam in editione sua expressit, cum Turnebus auctoritatem codicum Parisinorum 433 et 434 i. e. classis ***b*** secutus esset. codicem Cantabrigiensem Collegii S. Trinitatis B. 9. 6 (chart., forma maxima, saec. XVI) nuper, dum Cantabrigiae moror, inspexi et pretii nullius esse statim cognovi. scriptus est manu neglegentissima, librarius duobus exemplis videtur usus esse, quorum alterum codex classis ***b*** (vel fortasse ipsa editio princeps), alterum codex classis ***a*** fuit: sequitur enim modo hanc modo illam memoriam, saepe simul utramque recepit vel supra versum vel in margine ea quae primo scripserat corrigendo. margines codicis permultis observationibus emendationibus coniecturis completi sunt adscriptis a diversis manibus: videlicet longo temporum decursu codicem multi homines tractaverunt; quibus non dubito quin adnumerandus sit Ioannes Christophorson, qui altera parte saeculi XVI socius fuit Collegii S. Trinitatis. non mirum igitur quod Mangey saepe easdem lectiones huic codici simul et Christophorsono

[1]) verba ἤδη τῆς θέας (p. 61,9), quae fide huius codicis Mangey reposuit, non in contextu leguntur (ubi τῆς εἰδεχθείας), sed in margine a manu recentissima.

adscribit. — codicem Mediceum (*M*) ab Antonio Cocchio medico Florentino accuratissime in suum usum collatum esse refert Mangey. quam laudem valde exaggeratam esse mihi persuasi, postquam librum de opificio mundi cum Mediceo ipse contuli; nam multas lectiones silentio ille praetermisit et in interpretanda codicis scriptura saepe erravit.

Codicis igitur Medicei, quem iure omnium praestantissimum praedicat, non satis accuratam cognitionem habuit Mangey. reliquorum autem quos laudat codicum scripturae discrepantias consulto (ut videtur) non omnes enotavit, sed selectas tantum, ac plerumque satis habuit adnotasse *sic Mss.* vel similia. nihilominus multis locis editionis principis errata codicum suorum ope correxit et scriptoris verba restituit. veluti 2,1 ὀργάνοις; 3,3 αἱρεῖ; 4,6 ἑξάς et ἕδει; 5,21 ἀπετέλει; 6,19 ἐπιλαχεῖν; 8,11 ἐμφανῶν; 8,18 ἐπεφήμισε; 14,19 παντελείας; 15,2 γοῦν; 15,10 περιλαβοῦσα; 17,16 παραπεμφθεῖσα; 18,7 ζητήσεως; 21,5 διαφέροντα; 24,10 χορείαις; 26,4 δι' ὅλων; 29,10 πάντων; 31,18 ἴδοῦσι; 32,15 ὑστερίζοντες; 33,4 γενέθλιον; 34,15 πλευράν; 35,3 ἐν ἁρμονίαις; 37,20 τοῖς ὀνόμασιν εἰωθότων χρῆσθαι; 38,14 ἀνθρώπων ἡλικίαι; 40,10 ἐς τὰ δὶς ἑπτά; 45,2 αὐλοῖς; 45,5 λόγοι; 54,3 ἀπηρτημένοι; 55,15 ἐκείνου; 61,20 προϊέσθαι; 66,5 ἐξ ἑτοίμου παρασχών; 67,5 τοῦ γενομένου. sed idem multa vitia propagavit ac fide codicum suorum iusto pluris aestimata textum Philonis depravavit falsis lectionibus temere receptis. velut 8,2 οὐρανοῦ retinuit, cum codices veram lectionem κόσμου ei suppeditarent; 8,16 παρὰ τοῦ νοητοῦ κόσμου verba interpolata non expunxit, quamquam in codicibus classis ***a*** omissa sunt; 11,19 ἀρόσιμον recepit codicum scripturam ἀρετῶσαν aspernatus; 43,10 γνώμην dedit egregia codicum suorum scriptura φύσιν spreta. codicem Mediceum ceteris tantopere praestare putavit, ut eius vel unius auctoritatem sequi non dubitaret. attamen multas et egregias lectiones eius recipere noluit: velut 46,4 φορά, 55,16 προπάτορα, 58,4 μόνωσιν, alias.

Omnino certam rationem in verbis scriptoris constituendis sequi non potuit, quia librorum manu scriptorum notitiam habuit imperfectam ideoque certum iudicium de singulorum librorum pretio ferre non potuit. ipse de ratione sua haec declarat: *ubique sequor editionem Parisiensem Philonis operum*

anni 1640, quae quidem quoad textum non alia est ab editione Adriani Turnebi . . . textum nullibi ex coniectura muto nec ex unius tantum codicis manuscr. fide nisi Medicei, quem reliquorum omnium longe optimum esse existimo et ex quo solo hiatus bene multos supplere in textu non dubitavi. at hanc normam non per omnia secutus est. nam etsi de coniectura aut unius codicis fide se verba tradita mutasse negat, Christophorsoni tamen lectiones paene omnes in contextum recepit; quarum etiamsi permultae in libris manu scriptis redeunt, sunt tamen quae nulla codicum fide probentur. scilicet non omnes lectiones a Christophorsono congestas e libro manu scripto excerptas esse, sed coniecturae quasdam originem debere iam dudum suspicatus eram eamque suspicionem nuper confirmatam vidi, cum codicem Cantabrigiensem Collegii S. Trinitatis inspexissem, cuius margini lectiones illius quas laudat Mangey omnes adscriptae sunt (sine dubio manu ipsius Christophorsoni). coniecturas igitur Christophorsoni et plerasque pravas Mangey textui Philonis inculcavit his locis: 2,3 οἴκοθεν μὲν οὐδὲν οὐδὲ πολλά; 2,6 τυπωθείσας; 6,6 ἔχουσα τυγχάνει; 10,20 ἐτελειουργεῖτο; 12,21 πνεῖ, κατὰ μικρόν ζωπυρεῖται; 13,11 ἄδηλοι μὲν — δῆλοι δέ; 31,21 βόες pro ταῦροι; 49,14 μηνύουσι δὲ τοῦτο[1]); 51,3 θνητὸς ὁ ἄνθρωπος; 53,5 φύσει αἰσθητῷ; 55,9 ἃς ὡς λεωφόρους; 57,18 ὡς ἐπ' αὐτὸ τὸ πέρας φθάνειν; 58,23 τὸν δ' ἀνήμερον; 66,10 ἀναδιδάσκει Μωσῆς. uno tantum loco emendationem videtur invenisse, 30,9 παραγαγεῖν pro παρελθεῖν.

Suas ipsius coniecturas Mangey plerasque in adnotatione vel in addendis tantum commemoravit. sed passim in contextu scripturam traditam et vulgatam de suo tacite mutavit: velut 12,18 ὁρατοῖς (recte)[2]); 24,6 πολυσχιδεῖς τε ἀνατέμνων ὁδοὺς καὶ λεωφόρους; 35,16 ἀλλ' ὀρθογώνιον ἐν ὁμοίῳ μένει (videtur error subesse); 41,21 ὑπερέχει (recte); 52,13 ὥσπερ; 53,8 τοιοῦτος μὲν οὖν; 54,16 ἔννομος (fortasse error typothetae); 54,20 τῆς δὲ τῆς

[1]) ne hac quidem coniectura opus est: verbum μηνύειν absolute usurpatum est pariter ac de creat. princ. II 367 Mang.; similiter verbum τεκμηριοῦσθαι infra p. 38,1 τεκμηριώσαιτο δ' ἄν τις κτλ.

[2]) ὁρατοῖς Mangey de coniectura dedisse existimandus est, cum codices praeter Vindobonensem omnes ὁρατός tradant idemque legatur in editione principe.

πόλεως; 57,7 ἐνεδοίασεν; 58,7 ἐνησμένισε; 61,5 ἀναρριπίζουσαι (recte); 62,12 παρέχει; 66,17 κακοπολιτειῶν (recte); 66,20 ὃς ἐξομοιώσας, tum ἔργον, πάσῃ; 67,2 παραλαμβάνοντες.

Summa cum laude Mangey in praefatione Ieremiam Markland commemorat, cuius opera et consilio et iudicio perpetuo se usum esse profitetur. coniecturas eius non paucas in addendis publici iuris fecit, non ubique tamen virum illum sagacissimum laudavit. etenim exempla editionis principis et editionis Mangeianae, in quorum marginibus Markland emendationes et coniecturas suas adnotavit, etiam nunc in bibliotheca Musei Britannici adservantur. quae cum nuper Londini inspexissem, Mangeium haud raro coniecturas tamquam suas edidisse intellexi, quas a Marklando acceperat. eis locis omnibus Marklandi nomen in adnotatione critica adscribere non dubitavi, atque alias quasdam eiusdem coniecturas, quas casu vel consulto Mangey praetermisit, recepi vel commemoravi: cf. adnot. ad p. 6,12; 24,11; 31,21; 36,18; 41,12; 49,4; 49,8; 51,14; 52,14; 60,6; 60,7; 61,11; 62,6; 62,17; 64,4; 64,13; 67,12. passim etiam Marklandi inventa Mangey tacite in contextum Philonis recepit: velut 25,14 ἀφ' ἑαυτοῦ, 28,15 ἐγγραψάμενοι.

Post Mangeium scriptis Philonis recensendis et emendandis opera paene nulla navata est. nam quae secutae sunt editiones Friderici Pfeiffer (5 voll., Erlangae 1785—1792) et Caroli Ernesti Richter (8 voll., Lipsiae 1828—1830) nil nisi apographa fuerunt editionis Mangeianae. et Pfeiffer quidem lectiones trium quos parum accurate contulerat librorum Monacensium attulit, pauca editionis Mangeianae errata correxit, Mangeii adnotationes in addendis congestas verbis Philoneis suis locis subscripsit. non igitur iniustum videtur illud Wyttenbachii iudicium: *Philone Pfeifferiano lubens caream; in hoc enim pecuniam perdidi, qui non est nisi repetitus Mangeyanus* (D. Wyttenbachii Epist. sel. ed. Mahne, fasc. II p. 88). textum Pfeifferianum ad verbum repetendum curavit Richter, fragmentis a Mangeio collectis adiecit scripta Philonis armeniace servata et ab Aucherio latine versa et edita. Pfeiffer et Richter (et Mueller, de quo plura paulo infra) Mangeianae editionis auctoritatem adeo secuti sunt, ut ne manifestos quidem sive Mangeii sive typothetarum errores corrigerent; quorum exempla ridicula

haec accipe: 3,13 προσένεμεν quod in editione Mangeiana legitur sine dubio errori debetur, quoniam in omnibus libris manu scriptis et in editione principe προσένειμεν traditum est; attamen Pfeiffer et Richter (et Mueller) προσένεμεν edunt; 4,6 ἔξας ed. Mang. pro ἑξάς: non aliter ed. Pfeiff. Richt.; 12,4 βοτανίας pro βοτάνας Mang. Pfeiff. Richt. (Mueller); 23,13 ταὐτὸ δὲ τοῦτο Mang. Pfeiff. Richt. (Mueller): δὴ codd. et ed. princ.; 32,17 ἀφιέντες Mang. Pfeiff. Richt. (Mueller): ἐφιέντες codd. et ed. princ.; 51,11 δενεγκεῖν (pro διενεγκεῖν) Mang.: δ' ἐνεγκεῖν (sic!) Pfeiff.; 57,11 ἐπαυτοματίσῃ (pro ἀπαυτοματίσῃ) Mang. Pfeiff. Richt.; 67,5 γεγεννημένου in editione Mangeiana legitur, sed γενομένου Mangeium scribere voluisse ex adnotatione eius apparet: Pfeiffer et Richter tamen γεγεννημένου receperunt. quin etiam novis vitiis editores illi novissimi textum Philonis inquinaverunt: 10,24 ἔννοια τίς recte dedit Mangey, at ἔννοια τὶς Pfeiffer, ἔννοιά τις Richter (et Mueller); 33,14 παραυξηθείς recte Mangey, προαυξηθείς Pfeiffer et Richter (et Mueller); 52,10 πρῶτον om. Richter (et Mueller).

Philonis opusculum de opificio mundi commentario instructum seorsum edidit I. G. Mueller (Berolini 1841). qui de explicanda et illustranda Philonis doctrina bene meruit, in recensendis autem verbis scriptoris viam et rationem secutus est falsissimam; putavit enim Turnebi editione verum et genuinum textum Philonis contineri, Mangeii codicibus omnino depravatum atque interpolatum. itaque sicubi Mangey codicum suorum (classis ***a***) auctoritatem secutus ab editione principe discessit, Mueller ad hanc ita sese applicavit, ut Turnebi recensionem tantum non integram exprimeret. tanta vero iudicii perversitate occaecatus fuit, ut ne aperta quidem errata editionis principis repudiare in animum inducere posset, quamquam Turnebus ipse non nulla in appendice correxerat. veluti 21,13 φθοράν vocabulum (pro φοράν) reduxit a Turnebo in appendice correctum; 30,19 in editione principe male impressum est ἐναντί φύσεια (pro ἐναντία φύσει), sed a Turnebo in appendice correctum: Mueller tamen ἔναντι φύσει scripsit; 35,6 θεωρίαν (pro θεωρίᾳ) in editione principe erratum est, sed in appendice correctum: nihilo secius Mueller θεωρίαν scripsit ac defendere conatus est; 35,11 τρίγωνον, quod errore omissum

videtur in editione principe, omisit etiam Mueller; 40,15 ἰδίαν σύστασιν (pro διασύστασιν) non aspernatus est. sed cum tantopere editionem principem editionibus recentioribus praeferret, non tamen impeditus est, quominus vitiosissimas quasdam scripturas (quas supra commemoravimus) ex Pfeifferi et Richteri editionibus transcriberet.

Non nulla ad scripta Philonis emendanda et illustranda contulit Fridericus Creuzer in commentatione annalibus inserta qui inscribuntur *Theologische Studien und Kritiken,* 1832, p. 3 sqq. (= *Deutsche Schriften* III, 2). cf. adnot. ad p. 61,4 sqq. 62,13.

8. Omnibus his codicibus et editionibus ceterisque subsidiis quam poteram diligentissime excussis et examinatis Philonis libellum περὶ κοσμοποιίας ad fidem librorum manu scriptorum et ad artis criticae normas recensere et emendare studui. atque in priore quidem parte libelli me ducem potissimum secutum esse codicem Vindobonensem consentaneum est. in altera autem parte praecipuum auctorem codicem Mediceum existimavi eiusque lectiones amplexus sum omnes quas et sententiarum conexu et Philonis usu dicendi commendari mihi persuasi; iis vero locis quibus vel corruptelis vel glossematis textus Philonis in codice *M* aperte depravatus est ceterique codices de scriptura inter se discrepant, modo codicum classis ***a*** modo classis ***b*** auctoritas sequenda fuit. melioribus codicibus eisque diligentius usus multa vitia quae in editiones e corruptis codicibus irrepserant e textu Philonis sustuli ac saepius Mangeio genuina verba scriptoris restitui. sed non omnia vulnera quae Philonis textus vulgatus prae se fert librorum manu scriptorum ope sanari possunt, quoniam nullus codex a mendis scripturae et corruptelis liber est ac memoria Philonis iam antiquitus depravata fuit. itaque plus semel coniectura opus est ad vitia tollenda et verba tradita emendanda. emendationes ab aliis propositas recepi his locis:

4,15 αὐτῇ scripsi cum editoribus omnibus pro αὐτήν. nam Philo etsi verbum ἐπιφημίζειν aliquotiens cum duplici accusativo coniungit (cf. 8,18 ὧν τὸ μὲν ἐπεφήμισε σκότος), non tamen τὴν πρόσρησιν ἐπιφημίσας αὐτήν dixisse putandus est: cf. 3,14 τῷ δ'

αἰσθητῷ γένεσιν οἰκεῖον ὄνομα ἐπεφήμισεν; 47,2 οἱ τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασιν ἐξ ἀρχῆς ἐπιφημίσαντες; de Abrah. II 8 (Mang.) τὴν ἐκ τῶν τριῶν σύνθετον κλῆσιν ἐπιφημίσας ἑαυτῷ. ceterum dativus postulatur participio ἐνιδών, de quo pronomen illud non minus pendet quam de participio ἐπιφημίσας. structura verborum simillima est 44,15 τοτὲ μὲν ἠρεμεῖ τοτὲ δὲ κινεῖται τὰς ἁρμοττούσας σχέσεις καὶ κινήσεις ἕκαστον.

6,12 ἀνόμοιος, quod propter sententiae concinnitatem necessarium videtur, inserui monente Marklando (in notis mscr. ad editionem Turnebi).

19,15 ἀληθεστέρων idem probabiliter coniecit pro ἀληθεστέρων: cf. quod det. pot. insid. I 208 καὶ ὅσα ταῖς ἐτησίοις ὥραις καινουργούμενά τε καὶ ἐξ ἔθους ἀποτελεῖται.

25,14 ἀφ' ἑαυτοῦ dedi Marklandum (et Mangeium) secutus pro ὑφ' ἑαυτοῦ. vicissim 36,10 ἀπό ex ὑπό corruptum est in codicum classe ***b***.

30,9/10 παραγαγεῖν cum Christophorsono (et Mangeio) scripsi pro παρελθεῖν, quod ferri nequit.

31,21 ἄροτον ex ἄροτρον correxit Markland (quem secutus est Mangey). idem vocabulum Philoni restituendum est de septen. II 283 extr.; recte traditum est ἄροτον de creat. princ. II 370.

36,18 καὶ τὸ γεννῶν verba inserenda esse monuit Markland (in notis mscr. ad editionem Mangeianam).

37,2 γεννῆται pro γένηται scripsi cum Mangeio.

39,5 ἔτι pro ἐπί correxit Bergk.

39,7 πᾶς τις ἐν ἑβδομάδ' ἐστὶν ἄριστος scripsi Brunckii coniecturam secutus.

41,12 γεωμετρικὴν δ' ἐκ τῶν τεσσάρων corrigendum esse pro γεωμετρικὴν δ' ἡ τῶν διὰ τεσσάρων vidit Markland.

41,16 τοῦ μέσου, quod ex versu proximo perperam repetitum est, delevi cum Gelenio (Marklando Muellero).

49,9 πολυσχιδῶν pro πολυσχιδῶς scripsi Turnebum secutus.

53,16/17 verba post ἐπακμάσαι libris manu scriptis tradita τῶν κατὰ γενεὰν ἀμαυροτέρας ἀεὶ τάς τε μορφὰς καὶ τὰς δυνάμεις λαμβανόντων inepte repetita esse ex eiusdem capitis clausula (54,5—7) recte monuit Mueller.

56,11 ἐξῆρται pro ἐξήρτηται correxit Mangey.

58,4 ἐναπεμάττετο pro ἀπεμάττετο recte coniecit Mangey; sed quod idem paulo post (58,7) tacite scripsit ἐνησμένισε barbarum est.

61,4 αἳ inserendum esse coniecit Creuzer (*Deutsche Schriften* III 2 p. 443).

61,5 ἀναρριπίζουσαι pro ἀναρριπτοῦσαι (tacite) correxit Mangey.

63,1 οὗς pro οὖ correxit Turnebus.

64,4 χαίρουσαι pro χαίρουσα scribendum esse monuit Markland (in notis mscr. ad editionem Mangeianam).

66,17 κακοπολιτειῶν pro κακοπολιτῶν correxit Mangey. cf. de agric. I 307 (ubi κακοπολιτειῶν *M*) et de paenit. II 406.

Ipse scripturam libris traditam de meo mutavi his locis:

7,15/16 verba τὸ παράδειγμα, ἀρχέτυπος ἰδέα τῶν ἰδεῶν, quibus tautologia intolerabilis efficitur et pronomen αὐτός a substantivo ὁ θεοῦ λόγος male secernitur, ut interpolata uncis inclusi. primo adscripta fuerunt in margine ad illustranda verba ἡ ἀρχέτυπος σφραγίς, tum in contextum irrepserunt, sed falsum locum obtinuerunt.

18,1 ἐμπαρεῖχε restitui: legebatur ἐμπαρέχει, sed codex *V* tradit παρεῖχεν et sequuntur imperfecta εἶχε et προσπεριειργάζετο.

19,7/8 ἀποκρύψεσιν pro ἐπικρύψεσιν (praecedente ἐπιτολαῖς) correxi, sicut traditum est loco simillimo 43,16. cf. Chrys. ap. Stob. Ecl. I 24,5 (Wachsm.) κυνὸς ἀπόκρυψιν ὑπὸ γῆν. Aet. Plac. II 29,6 (Diels, Doxogr. p. 360) τὰς μηνιαίους ἀποκρύψεις (σελήνης). item ἀποκρύπτεσθαι dicitur de sole et stellis deficientibus, non ἐπικρύπτεσθαι: cf. Archil. frg. 74,3 (Bergk) ἀποκρύψας φάος ἡλίου. Aet. Plac. II 28,4 (Diels, Doxogr. p. 358) τὸ δὲ ἀποκρυπτόμενον περὶ αὐτήν (σελήνην). Diog. La. VII 146 (σελήνη) ἀποκρύπτουσα αὐτόν (ἥλιον).

21,2 articulum ἡ ante ὅρασις delevi concinnitatis causa.

28,13 ἐν αἷς ἅπάσαις e scriptura codicum *VM* ἐν αἷς ἅπασαν restitui: legebatur ἐν οἷς ἅπασι.

28,15 libri manu scripti haec tradunt: ἀφ' ἧς οἱ μετὰ ταῦτ' ἄνθρωποι γραψάμενοι ταῖς ἑαυτῶν ψυχαῖς τὰς εἰκόνας ἀναγκαιοτάτην καὶ ὠφελιμωτάτην τέχνην τῷ βίῳ παρέδοσαν. Mangey ex coniectura (Marklandi) dedit ἐγγραψάμενοι, quod probarem, nisi antecederet ἀφ' ἧς, cui aptius videtur esse γραψάμενοι: cf. 53,19 τὰ δ' ἀπὸ τῶν μιμημάτων γραφόμενα. itaque ἐν vocula addita scripsi

γραψάμενοι ἐν ταῖς ἑαυτῶν ψυχαῖς: cf. 67,7 ἐν τῇ αὐτοῦ ψυχῇ σφραγισάμενος.

29,12 ἁπαντᾶται correxi pro vulgata scriptura ἁπαντᾷ. codices leviter corruptos esse apparet, quippe qui vel ἁπαντᾶ τὲ vel ἅπαντα τε vel ἃ πάντα τε tradant. item de septen. II 289 nescio an ἁπαντᾶται restituendum sit, cum in codice *M* scriptum sit καὶ φθόνος οὐδεὶς ἁπαντᾶ ταῖς ἐκ τῶν δεσποτῶν παλαιοτάτῳ ἔθει κεκρατημένων (cf. Tischendorf Philon. p. 36,5). forma verbi media legitur etiam de confus. ling. I 422 μήτε τὰς ἀπαραιτήτους ἐκ θεοῦ δίκας τοῖς οὕτως ἀνοσιουργοῖς ἁπαντωμένας. verbo medio ἁπαντᾶσθαι pro activo ἁπαντᾶν utuntur etiam Polybius et Lucianus.

30,7 codices plerique tradunt ἤλπισαν, pro quo Mangey scripsit ἐλπὶς ἄν, codex *V* ἐλπὶς ἂν ἦν, codex *M* ἤλπισαν εἰς. equidem Philonem scripsisse arbitror ἐλπὶς ἂν εἴη. cui coniecturae non obstat παρασχεῖν infinitivus aoristi; nam apud Philonem alibi quoque infinitivus aoristi (sine particula ἄν) cum verbo ἐλπίζειν coniunctus legitur: cf. de Iosepho II 60 ὃς ἐλπίσας τὴν Περσῶν καθελεῖν ἀρχήν. de mut. nom. I 612 οὐδ' ἐλπὶς ἐφικέσθαι.

31,22/23 in codicibus haec leguntnr: καὶ βαθείας αὔλακας ἀνατέμνοντες δι' ἡμέρας ἔστι δ' ὅτε μακρὸν δόλιχον ἀποτείνουσι. ante μακρόν aliquid intercidisse particula δέ satis declarat. inserui καὶ νυκτός: cf. 29,16 καὶ τὸν γεωπόνων κάματον μεθ'ἡμέραν καὶ νύκτωρ ἀτρύτως ἐκδεχόμενοι.

32,4 sic legebatur: καὶ μὴν τό γε θυμικώτατον ζῷον ἵππος ῥᾳδίως ἄγεται χαλινωθείς, ἵνα μὴ σκιρτῶν ἀφηνιάζῃ, καὶ τὰ νῶτα κοιλάνας εὖ μάλα πρὸς τὸ εὔεδρον δέχεται τὸν ἔποχον. non de equo qui agitur i. e. iugo coacto vel ad currum iuncto hoc loco verba fieri, sed de veloci et ad equitandum idoneo manifestum est. deinde codices *VM* χαλιναγωγηθείς praebent, quod verum esse arbitror, si quidem non intellegitur, quomodo ex ἄγεται χαλινωθείς corrigi potuerit ἄγεται χαλιναγωγηθείς, cum contrarium facile fieri potuerit. quodsi Philo χαλιναγωγηθείς scripsit, verbum ἄγεται ne sic quidem ferri potest. itaque hoc vocabulum interpolatum esse censeo.

33,5 ἂν ὑμνῆσαι scripsi (pro ἀνυμνῆσαι), ut 1,15 in plerisque codicibus traditum est.

33,10 codicum scriptura vario modo corrupta est: ἡ δὲ τῆς ἑβδομάδος ἀριθμός *V*, ἡ δὲ τῆς ἑβδομάδος ἐκτὸς ἀριθμός ***ab***, ἡ δὲ ἑπτὰς ἕβδομος ἀριθμός *M*. pro ἑβδομάδος corrigendum esse δεκάδος intellexit Mangey eique adstipulati Richter et Mueller scripserunt ἡ δὲ τῆς δεκάδος ἐκτὸς ἀριθμός. equidem ἡ δ' ἐκτὸς δεκάδος, ἀριθμός dedi, sicut antea scriptum est ἡ μὲν ἐντὸς δεκάδος. vocabulum ἀριθμός pro appositione accipiendum est: similis structura legitur de septen. 44,13 (Tischend.) ἔστι δὲ νουμηνία κατὰ σελήνην, χρόνος ὁ ἀπὸ συνόδου ἐπὶ σύνοδον, ὅν κτλ.

34,9 ἐφ' αὑτόν correxi pro ἐπ' αὑτόν. proximo versu codex *M* recte tradit ἐφ' αὑτόν.

34,23 legebatur ζυγώδη τρόπον τινὰ συνεστῶσα ἑβδομάς. Markland (in notis mscr. ad edit. Turnebi) temptavit ζυγώδης, quod vocabulum alibi nusquam reperitur. sed cum in codice *M* ζυγάδι exaratum sit, ζυγάδην Philonem scripsisse iam dudum conieceram, nuper vero hanc coniecturam a Ioanne Lydo confirmatam inveni, qui in excerptis Philoneis, quamvis in ceteris corruptus sit, ζυγάδην recte tradit (v. supra p. XXV). ζυγάδην legitur etiam de post. Caini I 237, de praem. et poen. II 411.

41,7.8.9 καθ' ὃν ter deinceps correxi pro καθ' ἥν, si quidem pronomen relativum pendet de vocabulo λόγῳ.

44,13 legebatur ἑπταχῆ σχίζεται, πρὸς πέντε αἰσθήσεις κτλ.: restitui εἰς πέντε αἰσθήσεις. hoc loco iam Lydus scripturam corruptam legit (v. supra p. XXV).

46,1 ἑβδόμη inserui, quod sententiae conexu manifesto postulatur.

48,14/15 libri manu scripti in duas (vel tres) partes discedunt: καὶ γὰρ εἰ μὴ κατὰ μέρος ἀθρόα πάντα διεξελήλυθε ***Ma***, καὶ γὰρ εἰ (μὴ) τὰ κατὰ μέρος ἀθρόα πάντα διεξελήλυθε ***b***. neutra lectio ferri potest. codicum ***Ma*** auctoritatem secutus et voce ἀλλὰ inserta scripsi καὶ γὰρ εἰ μὴ κατὰ μέρος ἀλλ' ἀθρόα πάντα διεξελήλυθε. cf. 12,10 νυνὶ μὲν γὰρ ἐν μέρει γίνεται τὰ γινόμενα χρόνοις διαφέρουσιν, ἀλλ' οὐκ ἀθρόα καιρῷ ἑνί. similiter Markland (in notis mscr. ad edit. Mang.) coniecit ἀθρόα δὲ πάντα διεξελήλυθε.

51,1 ὃ γὰρ ἐνεφύσησεν, οὐδὲν ἦν ἕτερον correxi pro vulgata τὸ γὰρ κτλ.

51,10 legebatur ἑκάτερα ἄριστος ψυχήν τε καὶ σῶμα. codex *M* tradit ἑκατέρων, unde ἑκάτερον restitui coll. 55,12 τὸ καθ' ἑκάτερον ψυχήν τε καὶ σῶμα κάλλος.

66,8 verba ὧν ἄξιον ἀπέχεσθαι non habent quo referantur. suspicor ea in margine ab aliquo lectore adscripta librariorum culpa in contextum irrepsisse.

66,20 ante ἐξομοιώσας articulum ὁ inserui. subinde ὃ πάσῃ κατεχρήσατο τῇ οὐσίᾳ traditur libris plerisque; sed cod. *M*: ὅσα πάσῃ, unde ὃς ἁπάσῃ correxi.

Restat unus locus graviore corruptela afflictus. 42,22 sqq. libri manu scripti haec tradunt: εὑρεῖν (εὐρείαις ***a***) γὰρ ἔστιν ὅτε κόλποι (κόλπον ***a***) θαλάττης ὑποσυρείσης (ὑποσυράσαις ***a***) ἀμπώτεσι βαθὺς (ἐκ βάθους *M*) ἐξαίφνης αἰγιαλὸς (αἰγιαλοὶ *M*) ἴησι (om. *M*, εἴσεισι ***a***) καὶ μικρὸν ὕστερον ἀναχυθείσης πελάγη βαθύτατα (ὤφθησαν add. *M*) οὐ βραχείαις ὁλκάσιν ἀλλὰ μυριοφόροις ναυσὶν ἐμπλεόμενα. eas lectiones quas uncis inclusi aut corruptas aut coniecturas esse atque omnino reiciendas facile intellegitur. sed neque εὑρεῖν ἔστιν ὅτε κόλποι graece dici potest neque εὑρεῖν habet quocum coniungatur. deinde ἴησι vel potius ἴησι perobscurum est; fallitur enim Mueller verbum ἴέναι notionem intransitivam prorumpendi et invadendi habere posse ratus. sententia loci ni fallor haec est: *interdum sinus, cum mare aestu decrescente recedit, subito profundum litus fiunt et paulo post aqua refluente maria profundissima.* cf. de septen. 45,14 (Tischend.) ἢ οὐχὶ ταῖς αὐξήσεσιν αὐτῆς ἀναχέονται ποταμοὶ καὶ πηγαὶ καὶ μειοῦνται πάλιν μειώσεσι καὶ πελάγη τοτὲ μὲν ἐξαναχωρεῖ καὶ ἀμπωτίζοντα ὑποσύρεται, τοτὲ δ' ἐξαπιναίως ἐπιτρέχει κατὰ παλίρροιαν. verbum εὑρεῖν corruptum esse ex εὐρεῖς, ut *lati* sinus commode opponantur *profundo* litori, iam dudum conieceram, postea hanc coniecturam codice *F* confirmatam inveni. tum pro ἴησι exspectaverim γίνονται, quod cum nimis a tradita scriptura distet, quamvis dubitanter εἰσί scripsi, quod et Turnebus (in appendice) et Markland (in notis mscr. ad edit. Turnebi) commendaverunt. sed fortasse post ἀμπώτεσι aliquid intercidit velut μειοῦνται et subinde scriptum fuit καὶ βαθὺς ἐξαίφνης αἰγιαλὸς ἄνεισι vel simile aliquid, *et subito profundum litus prorumpit, in conspectum venit.*

In rebus orthographicis codicum auctoritatem in universum secutus sum. sed cum in his rebus libri manu scripti parum sibi constare soleant, ubi necessarium videbatur, vel ab optimis discedere non dubitavi. iota ἀνεκφώνητον ab omnibus codicibus abest. in accentibus ponendis multos a librariis errores committi satis constat. eiusmodi minutias omnes in adnotatione critica enotare necessarium non duxi. singillatim hoc loco monenda mihi haec sunt: ἀπὸ σκοποῦ in codice *V* ubique ἀποσκοποῦ uno vocabulo scriptum est, in ceteris codicibus omnibus ἄπο σκοποῦ. haec posterior scriptura ad praeceptum quoddam grammaticum videtur referenda esse, quippe quae alibi quoque occurrat: ut apud Harpocrationem ἄπο τοῦ πράγματος· ἀντὶ τοῦ ἄποθεν, apud Phrynichum Bekk. An. 27,12 ἄπο καιροῦ λέγειν· τὸ ἀκαίρως. cf. etiam quae disputaverunt Th. Benfey in Götting. Nachr. 1878 p. 175 sqq. et G. Curtius in Stud. Lips. III p. 321 sqq. — Littera ν quae dicitur paragogica in codice *V* saepe ante consonas scripta, ante vocales omissa est; item οὕτως, non οὕτω, in codice *V* ante consonas plerumque reperitur. — Elisio et crasis vocalium in libris manu scriptis modo factae modo neglectae sunt. Philonem vero hiatum tantum non ubique evitare studuisse maxime probatur eo quod pronominis relativi formis plenioribus ante vocales utitur ὅπερ, ἅπερ, ὅσαπερ, ἥτις etc. eandem ob causam formam contractam usurpat θάτερον, particulam ὡς pro ὅτι ante vocales et διότι pro ὅτι (*quia*) post vocales etc. in codice antiquissimo *V* elisio et crasis raro neglectae sunt. itaque eius auctoritatem secutus crasin reduxi in τοὐναντίον, τἀναντία, τἀναγκαῖον, κἀκ, κἀκεῖνο, τἀληθές, τἀγαθά, τἀδικεῖν etc.

II. Observationes de sermone Philonis.

Sermo Philonis non multum abhorret ab illo quo scriptores Graeci eius temporis optimi et eruditissimi uti solebant. nam Philo, ut mos fuit nobilium Iudaeorum Alexandrinorum, a puero litteris Graecis operam dederat et celeberrimos Graecorum poetas et scriptores prosae orationis diligentissime tractaverat. itaque cum philosophiae studio animum intendisset et ad scribendum accederet, vulgari illa quae in Asia et Aegypto

tum in usu erat dialecto uti noluit, sed exemplum ceterorum hominum litteratorum secutus veterum scriptorum artem dicendi imitatus est. quo in studio tam felix fuisse quibusdam visus est, ut perversum illud dictum ἢ Φίλων πλατωνίζει ἢ Πλάτων φιλωνίζει non tantum ad philosophiae doctrinae verum etiam ad sermonis similitudinem referendum esse sibi persuaderent. sed etiamsi Philonis sermo non is est, qui cum Platonis elegantia vere comparari possit, laudem tamen boni et elegantis pro suo tempore scriptoris iure adeptus est. quamquam enim novis et raris vocabulis et dictionibus non plane abstinuit, summopere tamen studuit, ut orationem suam Attico quodam colore afficeret.

Ac primum quidem in delectu verborum non ad unum scriptorem vel ad unum genus scriptorum sese applicavit, sed ut in philosophiae doctrina explicanda non unum philosophum quasi ducem sibi elegit, sed multorum, inprimis Platonis Stoicorum Pythagoreorum, dogmata usurpavit, ita verborum copiam multorum scriptorum in usum suum convertit. omnium vero scriptorum veterum maxime adamavit Platonem, quem aliquotiens in libris suis nominatim laudat, multo saepius tacite adhibuit et expilavit. itaque non mirum quod magnam copiam verborum a Platone accepit. verba Platonica[1]) in libello de opificio mundi sunt ἀδιάφθορος, ἀεροπόρος, αἰσθητικός, ἀκράτωρ, ἀμιγής, ἀμυδρός, ἀμυντήριον, ἀναβλαστάνειν, ἀναρμοστία, ἀνάρμοστος, ἀνήνυτος, ἀπᾴδειν, ἀπαθανατίζειν, ἀπακριβοῦν, ἀπομηκύνειν, ἀποσεμνύνειν, ἀπόσπασμα, ἀπραξία, ἀσυμφωνία, ἀταμίευτος, αὐτοκρατής, ἀφιλόσοφος, βραβευτής, γαστριμαργία, γεώδης, γνωστικός, δυσωπεῖσθαι, ἐκμαγεῖον, ἐλλόγιμος, ἐμφαίνειν, ἐναντιότης, ἐξικμάζειν, ἐξίτηλος, ἐπίκηρος, ἐπιφημίζειν, ἐποχετεύειν, ἑστιάτωρ, ἑτεροιότης, εὐάρμοστος, ζωτικός, θεραπαινίς, ἰδιότης, ἵδρυσις, ἰσάκις ἴσος, κένωσις, κλῆσις, κορυβαντιᾶν, λαιμαργία, λεωφόρος ὁδός, μαλακότης, μαρμαρυγή, μετριάζειν, μόνωσις, ὄγκος, ὁλκός, ὁλόκληρος, ὀργανοποιία, πειθαρχεῖν, πῆξις, πρόσταγμα, προϋπάρχειν, σκοτοδινιᾶν, συνᾴδειν, σύστασις, σωματοειδής, ὑποσκελίζειν, φιλοθεάμων. nec solum singula vocabula, sed etiam totas φράσεις Platonis lubens

[1]) In eis quae congessit Siegfried (Philo von Alexandria, Iena 1875, p. 32 sqq.) multa desiderantur.

Philo repetiit, praecipue ex Timaeo dialogo, quem quasi fundamentum libelli de opificio mundi dixeris: velut ἔχει περιλαβοῦσα 15,10 (cf. Plat. Tim. 30c περιλαβὸν ἔχει); πολλῶν χάριν 18,12 (cf. Plat. Tim. 33c); τὸ ποιητικὸν γένος 50,4. 60,12 (cf. Plat. Tim. 19d). cf. etiam locos Platonis in appendice p. 69 sqq. laudatos.

Poetica verba rara apud veteres scriptores, crebriora apud posteriores, a nullo frequentius usurpantur quam a Philone. in libro de opificio mundi e poetarum usu petita extant haec fere vocabula, quorum tamen non nulla iam Plato adhibuit (et Aristoteles):

ἀγχίσπορος: vocabulum Aeschyleum. Plat. Rep. III 391e.

ἀέναος (cf. de Cherub. I 161. de plant. I 347): Hesiod. Op. 587. 595. Plat. Phaed. 111d.

ἀΐδιος: poet. Plat. Arist. etc.

ἀμήτωρ: Soph. Eur. Plat. Conv. 180d.

ἀνάγνως: (ἄναγνος) trag. Lycophr.

ἀοίδιμος: poet. (Dionys. Hal. Plut. Lucian.).

ἀρετᾶν: pro vulgata scriptura ἀρόσιμον 11,19 e codicibus restitui ἀρετῶσαν, quo participio saepissime Philo usus est; cf. de somn. I 677 ἀρετῶσα παιδεία; de victim. II 249 ἡ βαθεῖα καὶ ἀρετῶσα πεδιάς; de septen. II 280 ἀρετῶσα διάνοια; II 286 τὴν ἀρετῶσαν χώραν; de spec. leg. II 309 γῆν ἀρετῶσαν; de creat. princ. II 371 ἀρετῶσα γῆ; II 372 ἐν ἀρετώσῃ γῇ; II 373 τὴν ἀρετῶσαν γῆν; de praem. et poen. II 410 ἐν ἀρετώσῃ χώρᾳ; leg. ad Cai. II 587 ἀρετῶσαν γῆν. verbum ἀρετᾶν apud veteres non legitur nisi apud Homerum ϑ 329. τ 114.

ἀρχηγέτης: Pind. trag. Plat.

ἀτμός: a Philone usurpatur forma masculina, quae legitur apud Aeschylum Euripidem alios poetas; eadem forma utuntur Plutarchus Lucianus alii. Attici scriptores (Plato Theophrastus) formam ἀτμίς praeferunt; utraque forma apud Aristotelem occurrit, sed saepius ἀτμίς.

ἄτρυτος et ἀτρύτως: poet. Arist.

γάνυσθαι: poet. Plat.

δεσπόζειν: poet. Plat. Arist.

ἐνστηρίζειν: Hom. Φ 168. Apoll. Rh. IV 1518.

ἐξευμαρίζειν (cf. Siegfried, gloss. Philon. s. v.): Eurip.
ἐπαποδύεσθαι (cf. Siegfried, gloss. Philon. s. v.): Ar. Lys. 616. Suid. s. v. ἐπαποδυώμεθα.
ἐπίχειρα: trag. Plat.
εὐκταῖος: poet. Plat.
κάματος: poet.
κλαῦμα: Aesch. Soph. Ar.
κλόνος: poet.
κλύδων: poet. Arist. (Polyb. Plut.).
κραταιός: forma poetica, quam 21,13/14 e codicibus restitui, saepius apud Philonem legitur: cf. quod det. pot. insid. I 223. de septen. II 282. 288. de praem. et poen. II 412. eadem utuntur Plutarchus Lucianus alii.
μακραίων: trag. Apoll. Rh. (LXX).
νήχεσθαι: poet.
νουθεσία: poet.
ὀδύνη: poet. Plat.
πλωτήρ: poet. Plat. Arist.
προπομπός: Aesch. (Plut. Sext. Emp.).
στενωπός: poet. Plat.
τεθηπέναι: poet. (Plut. Luc.).
χρεῖος (cf. de post. Caini I 254. de conf. ling. I 431. de vit. Mos. II 98): trag. (Luc.).

Sed in hac veterum scriptorum imitatione Philo multa illa quae longo aevo post litteras e Piraeo evectas novata erant non neglexit atque ingentem copiam eorum verborum usurpavit quae in philosophorum scholis inventa et formata in communem usum transierant. velut inde ab Aristotele demum in usu erant vocabula ἀδιάφορος, ἀντωθεῖν, ἀποτέλεσμα, ἀσυνήθης, αὐτοκίνητος, γεῦσις, διαμονή, διατυποῦν, διαυλοδρομεῖν, διάφυσις, διχότομος, εἵρμός, ἔκκρισις, ἐμπεριέχειν, ἔμφασις, ἐμφυσᾶν, ἐναπολείπεσθαι, ἐνέργεια, ἔνικμος, ἐντελέχεια, ἐνυπάρχειν, εὐσαρκία, εὔχορτος, εὔχροια, ἐφικτός, ζῳογονεῖν, θεολογεῖν, θυμικός, ἰοβόλος, καταπληκτικός, κατόρθωσις, κεφαλαιώδης, λιμνάζειν, μείωσις, μοναδικός, μονήρης, ὀξυωπής, ὀξυωπία, ὅρασις, ὀργανικός, περίττωμα, πολυσχιδής, πρόεσις, σπερματικός, συνδυασμός, σωματικός, ταυτότης, τελεσιουργεῖν, φιλάρετος, φύραμα. atque ut a Platone et ab Aristotele, ita ab aliis philosophorum scholis nova vocabula Philo accepit, in-

primis a Stoicis et a Pythagoreis. et Stoicorum quidem vocabula haec dixerim: ἀνεπίδεκτος (26,5 παντὸς ἀνεπίδεκτος κακοῦ: cf. Diog. La. VII 147), ἀλληγορία, ἀνώφοιτος[1]), ἀποκαταστατικός, ἀφάνταστος, ἀφθαρσία, ἐναπομάττεσθαι, ἐνδιάθετος, ἐνσφραγίζεσθαι, κατάληψις. e Pythagoreorum doctrina vocabula mathematica potissimum repetiit, velut ἀναλογεῖν, ἀρτιοπέριττος, κανονικὴ θεωρία, μουσικὴ τελεία, παντέλεια.

Multis vocabulis, quae iam apud veteres scriptores leguntur, scriptores posteriores novas notiones induerunt, et quae apud illos propria sunt, metaphorice hi usurparunt. velut ἀνάπτεσθαί τι apud Philonem (ut apud Diodorum et Plutarchum) notionem habet sibi vindicandi aliquid: cf. 29,6. 62,3; verbum activum ἀνάπτειν τινί τι est *tribuere*, *mandare alicui aliquid*. ἀνατέμνειν ὁδούς a Philone dicitur de aperiendis novis viis: cf. 24,6. 43,9. 55,9. de Abrah. II 2. de monarch. II 226. de creat. princ. II 362. similiter αὔλακας ἀνατέμνειν 31,22. 43,17, ἀνατέμνειν τὴν πεδιάδα 29,14. ἀνατρέχειν 14,9 metaphorice dictum est, ut apud Polybium et Diodorum (*respicere*). ἀναχαιτίζειν apud ceteros scriptores modo intransitive usurpatur (*reluctari*) modo transitiva notione deiciendi et evertendi; Philo hoc verbo utitur de cohibendo citato cursu et impetu: cf. 29,8. 32,17. de agric. I 311. de vit. Mos. II 84. 123. de septen. p. 47,6 (Tischend.); item Lucianus. ἀπάτη apud Philonem (et in N. T.) passim non fraudem, sed illecebras significat: 59,17 ἡ τῆς ἀπάτης πρόφασις (serpentis in paradiso), 63,12 τὰς δὲ γοητείας καὶ ἀπάτας. cf. Moeris Atticista ἀπάτη ἡ πλάνη παρ' Ἀττικοῖς, ἀπάτη ἡ τέρψις παρ' Ἕλλησιν. γνώριμος apud Philonem et alios scriptores posteriores *discipulum* significat, et ὑφηγητής *magistrum*: cf. 57,9. de post. Caini I 254. de ebriet. I 362. de vit. Mos. II 93. γυμνός metaphorice usurpatur 1,1. 7,6. δικάζειν de sensuum iudicio dictum est (*discernere*, *secernere*) 21,1. 48,13. 61,16. eadem notio inest in verbo κρίνειν 45,8. δύναμις *multiplicationem* vel eam summam quae efficitur multiplicatione

[1]) cf. Zeno ap. Stob. Ecl. I 19,4 (Diels, Doxogr. p. 459) φύσει γὰρ ἀνώφοιτα ταῦτ' εἶναι διὰ τὸ μηδενὸς μετέχειν βάρους. apud Philonem ἀνώφοιτος legitur de opif. m. 56,11. de vit. Mos. II 111. 115. [de mundo II 612. 621. de incorr. mundi II 498. 513].

significat his locis: 4,4. 6. 16,14. 15. δυσπόριστον vulgo dicitur id quod difficile est comparatu; Philoni 29,14 τὸ τῶν ἀναγκαίων δυσπόριστον est *difficultas res necessarias comparandi*. eadem notio occurrit apud Plut. Sol. cap. 23 πλὴν εἰ μὴ σπανίζοντος τότε τοῦ νομίσματος μεγάλας ἐποίει τὰς ἀργυρικὰς ζημίας τὸ δυσπόριστον. ἐκτέμνεσθαι verbum passivum cum accusativo iunctum Philoni idem est quod ἀποστερεῖσθαι, ἀφαιρεθῆναι: cf. 25,19 νοῦν καὶ λόγον ἐκτέτμηται. quod deus sit immut. I 292 τὸ λογίζεσθαι ὁ νοῦς ἐκτμηθείς. de migr. Abrah. I 446 θυμὸν καὶ ἐπιθυμίαν ἐκτέτμηται. de spec. leg. II 304 ἐκτετμημένος τῆς ψυχῆς τὸ βιωφελέστατον. ἐμβαθύνειν vulgo transitive usurpatur, a Philone (et LXX) intransitive (*penitus se demittere, penetrare in aliquid*): cf. 27,13. de praem. et poen. II 412. οἱ ἐντυγχάνοντες a Philone et a ceteris scriptoribus posterioribus dicuntur *lectores*. μεγαλόπολις Philoni (ut Stoicis) est *universitas rerum*: cf. 5,20. de monarch. II 217. μήποτε cum εἰκότως consociatum 19,17. 21,7 est *fortasse*, quam notionem grammaticis et scholiastis usitatissimam e dialecto Alexandrina petitam esse suspicatus est Sturz, de dial. Maced. et Alex. p. 184. οἰκείωσις 3,7 idem est quod οἰκειότης, *familiaritas*, *necessitudo*. πολύθεος 66,16 dicitur is qui multos deos esse credit. προλαμβάνειν apud scriptores posteriores (inde ab Aristotele) notionem habet praesentiendi et providendi, a Philone (et Plutarcho) etiam cum particula ὅτι et cum enuntiato interrogativo construitur: cf. 4,17. 13,21. ὑπέρβασις 51,12 idem est quod ὑπερβολή. ὑπόσχεσις apud Philonem passim non promissionem, sed sententiam quamlibet propositam significat: cf. 36,8. de septen. 48,3 (Tischend.). φθάνειν ἐπί τι Philoni est *pervenire ad aliquid*, *adipisci aliquid*, quae notio verbi φθάνειν primum apud LXX interpretes occurrere videtur; eadem utuntur Plutarchus et alii. χορηγεῖν inde ab Aristotelis tempore idem significat quod παρέχειν, *praebere*, *suppeditare*, *donare*; item χορηγία *copia*, *subsidium*.

Sed Philo ipse etiam nova vocabula excogitavit. in libello de opificio mundi haec occurrunt, quae ante Philonem cognita non fuisse videntur:

ἀγαλματοφορεῖν.

ἀγκιστρεύεσθαι.

ἀκαθαίρετος (cf. Siegfried, Glossar. Philon. s. v.).

ἀνάπλησις.

ἀνθογραφεῖν.

ἀντεπίθεσις (cf. Siegfried, Gloss. Philon. s. v.).

ἀντιπροσφθέγγεσθαι.

ἀπαύγασμα (cf. de plant. I 337. de concup. II 356).

ἀπελευθεριάζειν.

ἀπεριμάχητος.

ἀποχέτευσις: verbo ἀποχετεύειν utuntur Plato Aristoteles alii (Philo de agric. I 306).

διασύστασις: cf. quod omnis prob. lib. II 454. verbum διασυνιστάναι legitur apud Diog. La. III 79, apud Philonem saepe (cf. Siegfried, Gloss. Philon. s. v.).

ἐπίλαμψις (cf. de sacrif. Abel et Cain I 168. de Abrah. II 7. de spec. leg. II 330).

ἐπιλιχνεύειν: ἐπιλιχνεύει 61,7 e codice *M* restitui pro περιλιχνεύουσι, item de migr. Abrah. I 446 nescio an περιλιχνεύουσα corrigendum sit in ἐπιλιχνεύουσα. cf. leg. alleg. I 137. de agric. I 305.

εὐθυβόλος.

ζυγάδην (v. supra p. XXXIX).

ζωοπλαστεῖν (cf. Siegfried, Gloss. Philon. s. v.).

ἰχνηλατεῖν (cf. Siegfried, Gloss. Philon. s. v.).

καρυατίζειν.

νέφωσις (cf. de vit. Mos. II 98).

ὀλιγοδεΐα (cf. de vit. Mos. II 85. 163. de victim. II 239. de spec. leg. II 273. quod omnis prob. lib. II 457. de septen. 51,8 Tischend.).

παναύγεια.

παρευημερεῖν (cf. Siegfried, Gloss. Philon. s. v.).

πολύβυθος.

προδιατυποῦν.

προεκτυποῦν.

προεπισημαίνεσθαι.

προευαγγελίζεσθαι (cf. de mut. nom. I 602).

προευτρεπίζεσθαι (cf. Siegfried, Gloss. Philon. s. v.).

προτυποῦν (cf. de confus. ling. I 431).

σιτοπόνος.

σταχυηφορεῖν: forma verbi σταχυηφορεῖν, quam 12,4 e codicibus optimis restitui, tradita est etiam de septen. 50,16. 61,6 (Tischend.). item de carit. II 400 scribendum est σταχυηφορήσας et de execrat. II 430 ἐσταχυηφόρησεν. cf. leg. ad Cai. II 583 σταχυηφόρον et vocabula eodem modo formata σταχυηκομεῖν, σταχυηκόμος, σταχυηλόγος, σταχυητόμος.

στελεχοῦν.

στοχαστής.

συμπαράληψις (cf. leg. alleg. I 134).

ὑπόποκος.

φιλαύστηρος.

φιλέβδομος.

ψυχοειδής.

In verborum declinatione Philo quantumvis sermoni Attico studeret, tamen formas quasdam a scriptoribus Atticis alienas admisit, soloecismis vero et barbarismis abstinuit. vocabulorum formas dialecti Atticae proprias apud Philonem multas legimus. velut πρᾴως, non πραέως, 10,9. 30,6. quod det. pot. insid. I 219: cf. Phot. πρᾴως· οὐ πραέως. καὶ πρᾷον, οὐ πραΰ. καὶ πρᾷος, οὐ πραΰς. δένδρεσιν dixit 11,11, non δένδροις, quae forma apud scriptores Atticos raro occurrit. πλέον 2,14. 22,10. 38,21. 66,19, non πλεῖον. ἀφαυαίνειν, non ἀπαυαίνειν: cf. Ar. Ran. 1089. Eccl. 146. lex. Bekk. An. 462,15 Suid. αὐαίνεται, Eust. in Hom. p. 1387,1. 1547,62. ἀρύτονται 9,9 et ἀνύτει 32,9 formas Atticas ad optimorum codicum fidem restitui; item de septen. 45,6 (Tischend.) ἀνύτει Philo scripsit. cf. lex. Bekk. An. 411,28 Suid. ἀνύτειν οἱ Ἀττικοί, ὅπερ ἡμεῖς ἀνύειν. lex Bekk. An. 448,24 Suid. ἀρύτεσθαι σὺν τῷ τ λέγουσι καὶ οὐκ ἀρύεσθαι (ex Aelio Dionysio Atticista: cf. Eust. p. 1216,62). Moeris Att. ἀρύτεσθαι Ἀττικοί, ἀρύεσθαι Ἕλληνες. διττός dixit, non δισσός. item λύττα, non λύσσα, et λυττᾶν: cf. de praem. et poen. II 411. 423. ἑξαίσιος formam masculinam cum nominibus femininis Philo coniungit: 42,19 βίαις ἑξαισίοις. de vit. Mos. II 99 ἡ ἑξαίσιος φορά. eundem usum, qui communis fuisse videtur, omnes scriptores inde ab Homero (O 598 ἑξαίσιον ἀρήν) sequuntur praeter Xenophontem, a quo (si libris fides habenda est) φυγὴ ἑξαισία dicitur Hell. IV 3,8. item ὁλκός forma masculina cum substantivis femininis

a Philone coniungitur ad exemplum Platonis: 51,16 ὁλκὸν ὕλην. 54,2 ὁλκοῦ δυνάμεως. quod det. pot. insid. I 209 ὁλκὸς γὰρ ἡ δύναμις αὐτοῦ. de post. Caini I 239 ἡδονῆς ὁλκοῦ (hanc codicis Vaticani scripturam in ἑλκούσης temere mutavit Tischendorf Philon. p. 104,2). de somn. I 623 ὅτι ὁλκὸν ἀὴρ ἔχει φύσιν. de Abrah. II 11 ὁλκοὺς ἔχοντες δυνάμεις. de monarch. II 229 ὁλκοὶ καὶ εὐάγωγοι διάνοιαι. leg. ad Cai. II 585 ὁλκὸς δύναμις.

ἁρμόττειν et ἁρμόζειν promiscue Philo videtur usurpasse, sed frequentior usus formae Atticae: cf. 44,16. 58,11. 66,1. altera forma (ἥρμοζεν) legitur 52,2. inter formas τέτταρες et τέσσαρες, θάλαττα et θάλασσα, fluctuat scriptura codicum; sed saepius Philo videtur usus esse formis Atticis. similiter modo ἀεί modo αἰεί videtur scripsisse: longior forma traditur 9,20. 33,16. 53,12. cf. de spec. leg. p. 7,17. 22,20. 29,8. 38,6. 41,24. 60,2 (Tischend.). κρείττονα similesque formas alternat Philo cum formis apud Atticos usitatioribus μείζω et similibus.

Vulgarem usum Philo secutus est in his formis verborum: ὁ σίελος dixit 45,20, cum sermo Atticus postularet τὸ σίαλον. cf. Ael. Dionys. ap. Eust. p. 1390,57. Moeris Att. σίαλον ἐν τῷ ᾱ καὶ οὐδετέρως Ἀττικοί, σίελον ἐν τῷ ᾰ καὶ ἀρσενικῶς Ἕλληνες. καθώς in libello de opificio mundi semel legitur 67,6, ceteris locis omnibus forma Attica καθάπερ usus est Philo. forma καθώς inde ab Aristotele demum occurrit: cf. Sturz de dial. Maced. et Alex. p. 74 sqq. Lobeck ad Phryn. p. 425. fortasse illo loco pro καθώς corrigendum est καθ' οὕς (scil. νόμους καὶ θεσμούς). ἰχθύας formam vulgarem scripsit 22,10.14, si codicis *V* auctoritatem sequimur. Attici dicebant ἰχθῦς: cf. Phryn. Bekk. An. 44,20 ἰχθῦς· ἡ αἰτιατικὴ τῶν πληθυντικῶν· Ἀττικώτερον ἤπερ ἰχθύας. Δήμητραν formam accusativi vulgarem dixit 50,2. δυσί dativi forma vulgari, quae apud scriptores Atticos non reperitur, usus est 41,22. 45,2.3. 66,5. ὑπολέλειπτο 21,19 scripsit augmento neglecto: apud scriptores Atticos exempla huius usus rara sunt; cf. Kühner, Gr. Gr. I p. 506,11. Stahl, Quaest. gramm. ad Thuc. pertin. p. 59². προευτρεπίσατο 28,7 sine augmento in libris optimis exaratum est, item de praem. et poen. II 409: a scriptoribus Atticis augmentum in verbis quae a diphthongo ευ incipiunt non neglegitur; cf. Stahl l. l. p. 59 sq. ἐνδιητᾶτο 54,12 traditur et ἐνδιητήθη 62,10: item

de septen. 67,2 (Tischend.) ἐνδιητῶντο scribendum videtur (ἐνδιαιτῶντο *M*, ἐνεδιαιτῶντο Tischendorf, quae forma nulla est); Attici dicebant ἐνεδιητῶντο et ἐνεδιητήθησαν duplici augmento. imperativi tertiae personae pluralis terminatione vulgari in -έτωσαν Philo usus est: ἀναδραμέτωσαν, ἐλπιζέτωσαν 14,9.11. ἐνστηρίσῃ 23,4 et στηρίσασθαι 31,15 formae sunt vulgares: Attici dicebant ἐνστηρίξῃ, στηρίξασθαι. sic Philo ipse de agric. I 311 στηριχθήσεται, de profug. I 553 στηριχθείς.

In syntaxi et constructione verborum Philonis sermo haud exiguam similitudinem ostendit cum veterum scriptorum Atticorum dictione, sed insunt etiam multa posteriorum tantum scriptorum propria.

